

# R. P. GARNERI

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARIENSIS

## GREGORIANI

### LIBER PRIMUS.

#### I CAPUT PRIMUM.

DE DEO.

(4\*) Deus aliquando in sacra Scriptura nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut scriptum est: *Ecce constitui te deum Pharaonis (Exod. vii, 1)*. Et sicut Moyses ait: *Si quis hoc, vel illud fecerit, applica illum ad deos (Exod. xxxii, 8)*; videlicet ad sacerdotes. Qui rursus dicit: *Diis non detrahes (ibid. 28)*, id est sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat (Psal. lxxxii, 4)*. Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ad Moysen dicitur: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob (Exod. iii, 6)*. Unde Paulus apostolus, volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens: *Quorum patres sunt et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5)*. Qui enim nuncupative dicitur, Deus inter omnia; qui vero essentialiter, Deus super omnia est; quia et electus quisque vel in exemplo justitiæ prærogando positus dici deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative Deus; Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

#### II CAPUT II.

DE ANGELIS.

(5) Novem esse angelorum ordines testante sacro eloquio didicimus, angelos videlicet, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. Esse namque angelos et archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ testantur. Cherubim vero atque seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: *Super omnem principatum, et potestatem, et virtutem et dominationem (Ephes. i, 21)*. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates (Coloss. i, 16)*. Dominationes vero, princi-

patius ac potestates, jam ad Ephesios loquens descripserat; sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit thronos de quibus necdum fuerat Ephesius locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est principatibus, potestatibus, virtutibus atque dominationibus conjunguntur throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum angeli et archangeli, cherubim atque seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse angelorum ordines inveniuntur. Unde et ipsi angelo, qui primus est conditus, per prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti (Ezech. xxviii, 12)*. Ubi notandum quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei similis insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, onyx et berillus, saphyrus, carbunculus, et smaragdus (ibid. 13)*. Ecce novem dixit nomina lapidum, quæ profecto novem sunt ordines angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus angelus ideo ornatus et operatus exstitit, quod, dum cunctis agminibus angelorum prælatus est ex eorum comparatione clarior fuit. Sciendum 3 autem quod angelorum vocabulum nomen est officii non naturæ. Græca etenim lingua angeli *nuntii*; archangeli vero, *summi nuntii* vocantur. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus; sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Qui facit angelos suos spiritus (Psal. ciii, 4)*. Ac si patenter dicat: *Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, angelos facit*. Ille autem qui minima nuntiant angeli; qui vero summa annuntiant, archangeli vocantur. Hinc est enim quod ad Mariam virginem non quilibet angelus; sed Gabriel archangelus mittitur (*Luc. i, 26*). Ad hoc quippe ministerium summum angelum ve-

(4\*) Ex hom. 8 in Ezech. 1.

(5) Hom. 34 in Evang.

nire dignum fuerat, quod summum omnium nuntiabat. A pari est inter reliquos priorem existere; dominari vero est etiam subjectos quosque possidere.

Qui ideo etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque enim in illa sancta civitate quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine nominibus seiri non possint; sed, cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomen a ministeriis trahunt. Michael namque, *quis ut Deus? Gabriel autem fortitudo Dei, Raphael vero dicitur medicina Dei.*

Et quod miræ virtutis aliquid agitur, Michael miti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi quod nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens: *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isa. xiv, 13).* Dum in fine mundi in sua virtute relinquitur, extremo supplicio perimendus cum Michaele archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Joannem dicitur: *Factum est prælium cum Michaele archangelo (Apoc. xii, 7), ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exurgat. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aerias potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (Psal. xxiii, 7, 8). Et rursus: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ (ibid. 10). Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat qui virtutum Dominus et potens in prælio ad debellandas potestates veniebat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, medicina Dei, qui videlicet dum Tobie oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatibus ejus tenebras tersit (Tob. xii, 13).*

Qui ergo ad curandum mittitur, dignus videlicet fuit ut Dei medicina vocaretur. Virtutes vero vocantur illi nimirum spiritus, per quos signa et miracula frequentius fiunt. Potestates etiam vocantur hi qui hoc cæteris potentius in suo ordine perciperent, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsent, qui subjectis aliis, dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur. Dominationes autem vocantur, qui etiam potestates principatum dissimilitudine alta transcendunt. Nam princi-

Ea ergo angelorum agmina quæ mira potentia præminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, dominationes vocantur. Throni quoque illa agmina sunt vocata quibus ad exercendum judicium semper Deus omnipotens præsidet; quia enim thronos Latino eloquio *sedes* dicimus, throni Dei dicti sunt ii qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia discernat. Unde et per Psalmistam dicitur: *Sedes super thronum; qui judicas æquitatem (Psal. ix, 7, 5).* Cherubim quoque *plenitudo scientiæ* dicitur. Et sublimiora illa agmina idcirco cherubim vocata sunt, quod tanto perfectiori plena sunt scientia, quanto claritatem Dei

vicinius contemplantur, ut secundum creaturæ modum eo plene omnia sciant, quo visioni Conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphim etiam vocantur illa sanctorum spirituum agmina, quæ ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili ardente amore. Seraphim namque *ardentes* vel *incendentes* vocantur quæ, quod ita Deo conjuncta sunt, ut inter hæc et Deum nulli alii spiritus intersint, tanto magis ardente quanto hæc vicinius vident. Quorum profecto flamma amor est, quod quo subtilius claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt. Quia autem superna illa civitas ex angelis et hominibus constat; quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei (6) (Deut. xxvi, 8, juxta LXX)*, quod, inquam, tanta illuc ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum; superest ut ipsi quoque homines qui ad cælestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur.

Distinctæ namque conversationes hominum singulorum agminum ordinibus congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli qui divinæ largitatis munere reflecti secretorum cælestium summa, et capere pervalent et nuntiare. Quo ergo isti nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt alii qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo igitur isti nisi ad supernarum virtutum sortem et numerum currunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatum cælestium numerum, sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus et electorum hominum merita transcendunt; cumque et bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo

(6) Ibi Plantiniana editio habet constituit, pro statuit, etsi Græcum verbum refragari videatur.

isti sortem suam, nisi inter principatum numerum, acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis, omnibus desideriis dominantur, ut ipso jure munditiæ inter homines vocentur. Unde et ad Moysen **G** dicitur: *Ecce constitui te deum Pharaonis (Exod. vii, 1)*. Quo ergo isti nisi inter numeros dominationum currunt? Et sunt nonnulli, qui, dum sibimetipsis vigilantia cura dominantur, dum se sollicita intentione discutiunt, divino timori semper inhærentes, hæc in munere virtutis accipiunt, ut judicare et alios possint. Quorum profecto mentibus, dum divina contemplatio semper præsto est, in iis velut in throno Dominus præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti nisi throni sui Conditoris sunt? ut quid nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, ut cherubim jure nominentur. Quia enim, ut præfati sumus, cherubim plenitudo scientiæ dicitur, et Paulo dicente: *Didicimus quia plenitudo legis est charitas (Rom. xiii, 10)*, omnes qui Dei et proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhælant, nil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant et ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt. Amando ardent, loquendo et alios accendunt, et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi seraphim dixerim, quorum cor in ignem conversum lucet et urit, quia et mentium oculos ad superna illuminant, et compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant? Qui ergo ita ad amorem Conditoris sui inflammati sunt, non nisi inter seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt.

**7** *Sciendum præterea est quod in Scriptura sacra angelorum vocabulo aliquando ipse Dominus Jesus Christus designatur, aliquando præcursor ipsius Joannes, aliquando prædicatores sancti, aliquando sanctæ Ecclesiæ prælati, aliquando Ecclesiæ sacerdotes.*

(7) Per angelum quippe intelligitur Christus sicut in libro beati Job, cum de afflictione generis humani loqueretur Eliu, intulit dicens: *Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus (Job xxxiii, 23)*. Quis enim iste est angelus, nisi ille qui per prophetam dicitur magni consilii Angelus? (*Isa. ix, 5, juxta LXX.*) Quia enim Græca lingua evangelizare dicitur denuntiare, semetipsum annuntians Dominus Angelus vocatur. Et bene ait: *Si fuerit pro eo angelus*

*A loquens, quia sicut ait Apostolus: Et interpellat pro nobis (Rom. viii, 26)*. Sed quid pro nobis loquatur, audiamus unum de similibus. Mos medicinæ est, ut aliquando similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis; sæpe autem calida frigidis, frigida calidis curare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens laboribus pressos, quiddam nobis simile, et quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus: Concordavit nobis veritate naturæ, sed discordavit a nobis vigore justitiæ. Viciosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat, ut præbendo imitationis formam ante actæ malitiæ mutaret vitam, sed videri ab homine non poterat Deus. Homo ergo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur atque invisibilis Dominus apparuit similis nobis homo visibilis, ut dum videretur ex simili curaret ex justo; et dum veritate generis concordaret conditioni, virtute artis **B** obviaret ægritudini.

Quia ergo in carne veniens Dominus non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit; nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit: atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit, recte dicitur quod pro tanto homine, iste Angelus unum de similibus loquitur, quia nec ita natus, ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita suscitatus. Non enim est operante coitu, sed superveniente **C** Spiritu sancto conceptus. Natus autem materna viscera et fecunda exhibuit, et incorrupta servavit. Rursum nos omnes, cum nolumus, morimur, quia ad solvendum pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem, quia nulli admistus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ, quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam: et potestatem habeo iterum sumendi eam (Joan. x, 18)*. Qui etiam præmisit: *Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a meipso (ibid.)*. Rursum non ut reliqui suscitatus est, quia nostra resurrectio in sæculi finem dilata est; illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgemus; nam ipse per se. Neque enim qui Deus erat sicut nos ab alio, ut resuscitari potuisset, indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat a nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus sicut ipse. Pro eo enim quod simpliciter homines sumus, superiori adjutorio, ut resurgere valeamus indigemus. Ille autem ejusdem resuscitationis vim cum Patre et sancto Spiritu Deus exhibuit: quam tamen solus in humanitate suscepit. Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnibus tamen distat a nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ: unde bene dicitur quod pro nobis iste Angelus unum de similibus lo-

(7) Ex lib. xxiv in Job, c. ii.

quitur. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen a nobis, id est in formæ veritate non discrepet, per hoc pro nobis Patri loquitur : per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippe ejus, vel interpellare, est seipsum pro hominibus hominem demonstrare.

9 (8) Per angelum quoque spiritualiter Joannes præcursor et baptista Domini designatur, sicut ipse Dominus in Evangelio de ipso Joanne turbis loquens testatur dicens : *Quid existis videre in deserto ? Prophetam ? Etiam dico vobis plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te (Matth. xi, 7; Luc. vii, 25; Malach. iii, 1).* Quod enim Græce angelus, hic Latine nuntius dicitur. Recte ergo qui nuntiare supernum judicem venerat, angelus vocatur, ut dignitatem servet in nomine, quam explet in operatione.

(9) Rursum angelorum nomine sancti prædicatores exprimuntur, sicut in libro beati Job cum Dominus de antiqui hostis damnatione loqueretur, addidit dicens : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur (Job xli, 16).* Quid enim hic per angelos, nisi in extremo tempore supernæ patriæ nuntios accipere debemus ? Qui, cum sublatus fuerit diabolus, timebunt, quia, adveniente districto Judice, tanto hinc pondere terroris excutitur, ut sanctorum et prædicatorum fortitudo turbetur. Cum enim sublatus fuerit, timebunt angeli, quia cum judicii turbine rapitur, ii, qui in corporibus reperiri potuerint, immenso terrore concussi etiam supernæ patriæ nuntii contremiscunt. Quamvis enim jam fortes atque perfecti sint, adhuc tamen quia in carne sunt positi, in tanti terroris turbine non possunt nulla formidine concuti. Sed, cum Leviathan iste rapitur, cumque omnia in ejus interitu elementa quatiantur, prædicatores sanctos quos, ut diximus, adhuc in suis corporibus illud tempus invenerit, spes de regni propinquitate lætificat, carnis infirmitas de iræ ostensione perturbat. Erit ergo in eis aliquo modo tremor lætus, et timor securus, quia et cælesti regno remunerari se certi sunt, et per tanti turbinis metum, pro carnis infirmitate contremiscunt. Quomodo ergo tunc iniquorum conscientia D concutitur, quando etiam justorum vita turbatur ? Hi qui oderunt adventum judicis, quid facient, si terrorem tanti judicii, etiam qui diligunt, expavescent ? Sed 10 quia in sanctis prædicatoribus hic pavore excoquitur, si qua in eis esse potuit rubigo vitiorum, postquam dicitur : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli; apte mox subdidit. Et territi purgabuntur (ibid.).* Hinc iterum Paulus ait : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis,*

(8) Hom. 6 in Evang. Matth. xi, 7; et Luc. vii, 25 et 27.

(9) Ex lib. xxxiv in Job c. vii, xiv.

(10) Hom. 6, in Evang.; l. v in Job, c. xxviii.

*A prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (I Tim. iii, 16).* Qui enim dispensationis mysterium postquam apparuisse angelis dixit, prædicatum esse gentibus subdidit, profecto angelorum nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios designavit. Iterum quoque angelorum nomine Ecclesiarum prælati designantur. Unde in Apocalysi sua Joannes septem Ecclesiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est prælati populorum. Hinc propheta ait : *Et angeli pacis amare seebunt (Ezech. xxxii, 7).*

(10) Omnes quoque qui sacerdotii nomine censeantur, angeli vocantur, propheta Malachia testante qui ait : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus (11) Domini exercituum est (Malach. ii, 7).* Sed et unusquisque si, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat; si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum verba sanctæ antiphrasiosæ impendit; profecto angelus existit.

### III. CAPUT III.

#### De celo.

*In Scripturâ sacra cælorum nomine aliquando ordo supernarum potestatum designatur, aliquando sancta Ecclesia, aliquando anima cujuslibet recti, aliquando cæleste judicium, aliquando divinum eloquium, aliquando sublimis vita sanctorum, aliquando Judaici populi sacerdotium, vel Pharisæi vel legis doctores, aliquando cælestis vita. Quando autem plurali numero ponitur, aliquando intelliguntur angelici spiritus, aliquando spiritualiter sancti apostoli, aliquando quilibet prædicatores justi, aliquando perfecti quilibet homines.*

(12) Cæli quippe nomine, sublimitas supernarum potestatum intelligitur, sicut ad beatum Job sub increpatione Eliu loquitur, dicens : *Suspice cælum et intuere, contemplare æthera, quod altior te sit (Job xxxv, 5).* Quæ verba quamvis beato Job scienti majora, nequaquam dici debuerint, vera tamen sunt quæ dicuntur. In celo enim, vel æthere supernas possumus potestates accipere divinis semper obtutibus inhærentes. (13) Hoc ergo dicens considerare nos admonet, ut cum angelicos spiritus longe adhuc a vobis distare conspiciamus, ipsi Creatori atque dominatori spirituum quanto discamus inferius agnoscamus. Ipsi siquidem 12 angeli spiritus Creatoris nostri potentiam plene contemplari non possunt; de quibus tamen certum est quia nobis eo ipso altiores sunt quo lapsi in infimis non sumus, ut videlicet colligamus quanto Deo inferiores existimus; qui etiam creaturis sublimibus, sed longe illo inferioribus subjacemus. Dicit ergo : *Suspice cælum, et intuere, contemplare æthera quod altior te sit.* Ac si diceret : *Vide quantum a divina celsitudine separaris, a cujus potentia etiam illæ potesta-*

(11) D. Gregor. per angelos posse intelligi, sanctos doctores scribit.

(12) Ex lib. xvi in Job, c. viii.

(13) Hæc sunt in medio capituli.



tes humilitate contremiscunt, quæ te immensa sublimitate transcendunt. Et quanto ipso summo inferior es, qui inferiorem te etiam inferioribus deprehendis?

(14) Rursum cæli nomine Ecclesia designatur sicut in Apocalypsi de diabolo sub draconis specie per Joannem dicitur : *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram* (Apoc. xi, 4). Cælum quippe est Ecclesia quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejicit, quia illa Satanae extremas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cælo in terram cadere est relicta nonnullos spe cælestium illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc iterum per eundem Joannem dicitur : *Factum est silentium in cælo quasi dimidia hora* (Apoc. viii, 1). (15) Cælum quippe Ecclesia est, quæ dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque in se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo, dum cogitationum tumultuosi strepitus se ingerunt, etiam jam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena cordia oculum violenter trahunt. *Corpus enim, sicut scriptum est, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Bene ergo hoc silentium non integra, sed dimidia 13 hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardentem inchoatur.

(16) Iterum cæli nomine anima justi accipitur, sicut scriptum est : *Cælum mihi sedes est* (Isa. vii, 49). Alibi quippe scriptum est : *Anima justi sedes est sapientiæ*. Testante ante Paulo : *Scimus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I Cor. i, 24). Quia ergo sapientia est Deus, si Dei sedes est cælum, et anima justi sedes est sapientiæ, cælum utique est anima justi.

(17) Cæli quoque nomine cæleste iudicium intelligitur, sicut in libro beati Job, Domino ipsum interrogante, scriptum est : *Nunquid nosti ordinem cæli, et pones rationem in terra?* (Job xxxviii, 33.) Ordinem quippe cæli nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem ejus in terra ponere est ante humana corda talium secretorum causas aperire; rationem videlicet cæli in terra ponere est supernorum iudiciorum mysteria vel considerando discutere, ut loquendo manifestare. Quod utique facere in hac vita possumus, nullus potest. Ut enim a parvis ad majora veniamus,

(14) Ex c. xii, lib. xxxii in Job, 413.

(15) Ex lib. x in Job, c. xii, 124.

(16) Ex c. xv, l. xxix in Job, 20; et Hom. 38 in

quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quia sæpe vir rectus a iudicio non solum non iudicatus, sed etiam punitus redeat, et iniquus ejus adversarius, non solum non punitus, sed et victor abscedat? Quis intelligat cur vivit alius insidians moribus proximorum, et moritur alius qui profuturus esset vitæ multorum; alius culmina potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet; alius tantummodo læsos defendere concupiscit, et tamen ipse oppressus jacet; alius vacare appetit, et innumeris negotiis implicatur; alius negotiis implicari desiderat et coactus vacat; alius male inchoans, usque ad vitæ suæ terminum ad pejora protrahitur; alius bene incipiens, per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum; alius celsitudinem bene vivendi appetere et vult et valet; alius nec vult, nec valet; alius vult et non valet; alius valet et non vult? Quis ergo ista iudiciorum cælestium secreta discutat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos 14 quippe iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini ut se nescire cognoscat; nescientem vero se cognoscat ut timeat, timeat ut humilietur, humilietur ne præsumat in se, non præsumat in se ut Couditoris sui auxilium requirat, et qui in se ficiens mortuus est, auctoris sui auditorium appetens vivat. Audiat itaque vir rectus jam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra se sunt nesciens : *Nunquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra*, id est nunquid occultos ordines iudiciorum cælestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Job de iudiciorum incomprehensibilium investigatione requiritur, ac si aperte ei diceretur : *Cuncta quæ pateris, tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum cælestium ignarus, cur hoc pateris nescis.*

(18) Rursum cæli nomine divinum eloquium designatur, sicut in Psalmo scriptum est : *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (Psal. ciii, 3). Quid enim cæli nomine nisi sacra Scriptura signatur de qua nobis et sol sapientiæ, et luna scientiæ et ex antiquis Patribus stellæ exemplorum lucent. Quod sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros et per verba doctorum displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est : *Et aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini* (Dan, iii, 79; Psal. cxlviii, 4). Hujus ergo cæli superiora Dominus aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus solis angelis in secreto sunt cognita. Cælum ergo hoc et coram nobis extenditur, et tamen aquis ejus superiora conteguntur, quia et quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et

Evang.

(17) Ex l. xxix in Job, c. xviii, 32.

(18) Hom. 9 in Ezech.

quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur occulta (19). Hinc est quod beatum Job Dominus interrogat, dicens : *Et gelu de cælo quis genuit?* (Job xxxviii, 29.) Quid enim gelu nisi torpor perfidiæ exprimitur? Cælum vero sacrum eloquium intelligitur, quod nobis diem intelligentiæ aperiens sole nos justitiæ illustrat, **15** quod, dum nos vitæ præsentis nox continet, stellis nobis mandatorum fulget.

(20) Cæli quoque nomine sublimis sanctorum vita intelligitur, sicut scriptum est : *Ascende cælum, et loquar* (Deut. xxxiii, 2, juxta LXX). Non enim insensibili, sed rationabili creaturæ loquebatur. De hoc iterum in Job interrogante Domino scriptum est : *Et gelu de cælo quis genuit?* (Job xxxviii, 29.) Quid enim in gelu nisi frigida et perfidiæ torpore constricta accipimus corda Judæorum? Quid vero hic aliud cælum, nisi sublimis debet intelligi vita sanctorum? Cælum fuit Abraham, cælum Isaac, cælum Jacob. Sed quia persecutores Domini pontifices Judæorum perfidiæ torpore frigidi de illorum Patrum progenie processerunt, quasi de cælo gelu exiit, quia de sublimi prole sanctorum processit frigida plebs infidelium. Cum enim de Abraham natus est Caiphas, quid aliud nisi gelu de cælo processit? Quod tamen gelu idcirco Dominus genuisse dicit, quia Judæos, quos naturaliter ipse bonos condidit, justo judicio per eorum malitiam frigidos a se exire permisit. (21) Dominus enim auctor est naturæ, non culpæ. Genuit ergo creando naturaliter, quos iniquos permisit vivere tolerando patienter.

Iterum, cæli nomine Judaici populi sacerdotes, vel Pharisei, seu legis doctores exprimuntur, sicut in libro beati Job scriptum est : *Ignis Dei descendit de cælo, et tactas oves puerosque consumpsit* (Job i, 16). Omnes qui prædicationis officium in Synagoga tenuerunt cælum recte appellati sunt, quia nimirum sapere cælestia credebantur. Unde et Moyses, cum sacerdotes ac populum ad verba suæ admonitionis excitaret, ait : *Attende, cælum, et loquar, et audiat terra verba oris mei* (Deut. xxxii, 1, juxta LXX). Per cælum videlicet significans præpositorum ordinem, per terram vero subditam plebem. Hoc igitur loco cælum sacerdotes, vel Phariseos, vel legis doctores non inconvenienter accipimus, quia ante oculos hominum, dum cælestibus officiis inservirent, quasi desuper lucere videbantur. Sed quia summopere in Redemptoris nostri adversitate commoti sunt, quasi ignis **16** de cælo cecidit, dum ad decipiendum imperitum populum ab his etiam qui vera docere putabantur, flamma invidiæ exarsit. Quid autem in ovibus atque in pueris, nisi innocentes quosque, sed tamen adhuc infirmos, accipimus? Qui dum adversitatem Phariseorum ac prin-

cipum tolerare timuerunt, infidelitatis concrematione consumpti sunt. Dicatur ergo : *Ignis Dei descendit de cælo et tactas oves puerosque consumpsit*, id est a propositorum cordibus flamma invidiæ corrui, quidquid boni in plebibus oriebatur incendit.

(22) Cæli nomine cælestis vita designatur, sicut in libro beati Job de hypocrita dicitur : *Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur* (Job x, 6). Superbia hypocritæ usque ad cælum ascendere dicitur, quando ejus elatio cælestem agere vitam videtur. Cujus etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus ejus sanctorum præcedentium coæquari meritis creditur. Sed quasi sterquilinum in fine perdetur, quia in morte dum ad tormenta ducitur, stercorebus vitiorum plenus a malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis quæ injusti æstimaunt magna bona justis stercora deputant. Unde scriptum est : *De stercore boum lapidabitur piger* (Eccli. xxii, 2). Is enim qui sequi Dominum noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit. Et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimium affligitur, quæ justis viri velut stercora contemnant. Qui ergo ex terrenorum percussione atteritur, quid aliquid quam de boum stercore lapidatur? Et recte hypocrita sterquilinio similis esse dicitur, quia, dum temporalem gloriam appetit, modo per cogitationem apud semetipsum tumet, modo eandem gloriam aliis invidet, et etiam alios veraciter habente irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercorebus in conspectu æterni judicis illius pectus fetet. Dicatur ergo : *Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit; quasi sterquilinum in fine perdetur*. Quia si cælestem vitam agere se simulat, **17** et si intellectum suum esse similem veris prædicatoribus ostentat, quasi sterquilinum tamen in fine perdetur, quia mens illius pro vitiorum fetore damnabitur.

(23) Cælorum autem nomine angeli designantur, sicut ad beatum Job ab Eliu per irrisionem dicitur : *Tu forsitan cum eo subricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt* (Job xxxvii, 18). Quid enim per cælos, nisi hi qui in cælestibus sunt conditi, angelici spiritus designantur? De quibus bene dicitur, *qui solidissimi quasi ære fusi sunt*. Natura namque æris est rubigine difficile consumi. Et virtutes angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus angelis, hoc in mune: e retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripiens culpæ mordeantur, ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis sine permaneant, et in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant.

(19) Ex c. xv, lib. xxix in Job, post medium, 124.

(20) lb., paulo post principium.

(21) Ex l. ii, c. xix, in Job, 126.

(22) Ex l. xxv in Job, c. iii.

(23) Ex l. xxxvii in Job, c. xxiv.

(24) Cœlorum quoque nomine sancti specialiter apostoli designantur, sicut in Psalmo scriptum est : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Psal. xviii, 1). Unde iterum in Job scriptum est : *Spiritus ejus ornavit cœlos* (Job, xxvi, 13). Tunc namque apostolos spiritus ejus ornavit, cum replevit. Quod Luca referente didicimus, qui ait : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis; seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (Act. ii, 2 et 5). Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris. Scimus enim quod ille apostolorum, id est cœlorum primus, ante acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties mori timuit, vitam negavit (Matth. xxvi, 69, 70). Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus (Luc. xxii, 35). Et quidem mancipium, ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus : et rursus, ut talis sexus infirmitas **18** etiam officii sui delectatione vilesce- ret, non ab ancilla tantum, sed ab ancilla ostiaria requisitus (Joan. xviii, 17). Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quanta eum timoris infirmitas possideret qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus exstiterit, quanta Dominum auctoritate contra sacerdotes ac principes prædicaverit, Luca testante didicimus. Ille namque paulo ante timidus, jam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem sacerdotum ac principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatemque cæteris præstat, ne in nomine Jesu loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur (Act. iv, etc.). Sancti enim Spiritus virtute solidatus hujus mundi altitudines, libertatis calce deprimebat, ut in imo esset cernere quidquid contra Creatoris gratiam altum tumeret. Hæc sunt ornamenta cœlorum, hæc sunt dona Spiritus quæ diversis manifestari virtutibus solent. De his etiam cœlis in Psalmo dictum est : *Verbo Domini cœli firmati sunt* (Psal. xxxiii, 6). De his quoque ornamentis Spiritus subditur : *Et spiritum oris ejus, omnis virtus eorum* (ibid.). Bene itaque dicitur, *spiritus ejus ornavit cœlos*, quia prædicatores sancti, nisi promissa Paracliti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent.

(25) Cœlorum nomine quilibet sancti doctores designantur, sicut in Psalmo scribitur : *Domine, in-*

(24) Ex l. xvii in Job, c. xix.

(25) Coniunge ejusdem Greg. explanationem ad iv psal. pœnit. 13. Ex c. x, l. xxx in Job.

(26) Hæc sunt ante versiculi notati explanationem.

*clina cœlos tuos, et descende* (Psal. cxliiii, 5). Quid enim in cœlis, nisi sanctos prædicatores accipimus? Cum enim inclinatur cœli, Dominus descendit, quia cum eum in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, divinitatis notitias nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippead nos Deus descenderet, si prædicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. (26) Si enim ea nobis prædicare vellent quæ capiunt, cum superna contemplatione debriantur, et non magis scientiam suam quodam moderamine et sobrietate temperarent; adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Incurvantur ergo cœli, ut descendat Dominus, et nos in novæ fidei luce nascamur.

**19**(27) Cœlorum quoque nomine perfectorum mentes designantur. Unde Eliu beato Job cum irrisione dicit : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* (Job xxxvii, 18.) Possunt namque per cœlos electorum mentes exprimi, a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ : quæ, quamvis corpore degant in infimis, tamen iam corde inhærent summis, et veraciter dicunt : *Nostra conversatio in cœlis est.* (Philipp. iii, 20). Qui solidissimi ut ære fusi sunt, quia ab integritate cœptæ fortitudinis nulla mutabilitatis rubigine consumuntur.

#### CAPUT IV.

##### DE FIRMAMENTO.

*In Scriptura sacra firmamenti nomine aliquando Redemptor noster, uliquando confirmatio angelicæ naturæ post ruinam malorum designatur.*

(28) Firmamenti nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et similitudo super caput animalium firmamenti, quasi aspectus cristalli horribilis. Et extenti super capita eorum desuper* (Ezech. i, 22). Quid enim per firmamentum, nisi per figuram noster Redemptor intelligitur verus Deus super omnia, et factus inter omnia homo perfectus, in quo nostra natura apud Patrem confirmata est? De quo et per Psalmistam prophetando dicitur : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi* (Psal. lxxix, 18). Humana etenim natura priusquam a Creatore omnium susciperetur, terra erat; nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (29) (Gen. iii, 19, juxta LXX). Ait postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in cœlis sublevata et super angelos ducta, firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed terra firmamentum quod **20** aspicitur, cujus habeat similitudinem subinfertur, cum dicitur, *quasi aspectus cristalli horribilis*. Crystallum ex aqua congelascit, et robustum fit. Scimus vero quanta sit aquæ mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad

(27) Ex. l. xxvii in Job, c. xxiv, circa medium.

(28) Ex. hom. 7 in Ezech.

(29) Ibi vulgo legitur, *redibis*.

mortem passionibus subjacuit, aquæ simile juxta A aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lacescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo usque ad passionem suam per momenta temporum mobiliter decurrit. Cujus cursum Propheta intuens ait : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam etc. (Psal. xviii, 6.)* Sed quia per resurrectionis suæ gloriam, ex ipsa sua corruptione, in incorruptionis virtute corvaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et hæc eadem natura esset, et ipsa jam, quæ fuerat, corruptionis mutabilitas non esset. Aqua igitur in crystallum versa est, quando corruptionis etiam infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem mutata.

## CAPUT V.

## DE SOLE.

In Scriptura sacra cum figurate sol ponitur, aliquando Dominus intelligitur, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestæ visionis ostensio, aliquando intelligentia sapientium, aliquando fulgor boni operis vel fervor amoris Dei, aliquando lumen veritatis, aliquando prædicatorum claritas, aliquando tentationis ardor.

(30) Solis nomine Dominus significatur, sicut per prophetam dicitur : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (Habac. iii, 11, juxta LXX).* Elevato enim sole in ordine suo, luna statuitur, quia, ascendente ad cælos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur.

21 Rursus solis nomine, persecutio intelligitur, sicut in Evangelio Veritas dicit, quod nata sine radicibus semina orto sole aruerunt (*Matth. viii*), quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum, temporalimomento virentia, superveniente persecutionis ardore siccantur.

Solis nomine, manifestæ visionis ostensio designatur, sicut Propheta Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat, dicens : *In sole posuit tabernaculum suum (Psal. xviii, 6.)*. Ac si diceret, humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifeste visionis ostendit. Et sicut eidem prophetæ divina voce per Nathan dicitur : *Tu fecisti in abscondito, ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis (II Reg. xii, 12)*. Quid enim per conspectum solis, nisi cognitionem insinuat manifestæ visionis? Iterum solis nomine sapientium intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni (Apoc. xvi, 8)*. Phialam videlicet in solem effundere est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igni, quia, dum sapientes viri cruciatibus victi, male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque

fortium argumenta præstant perditionibus infirmorum.

(31) Rursus solis nomine claritas boni operis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Si vidi solem, cum fulgeret (Job xxxi, 26)*. Sol quippe in fulgore est bonum opus in manifestatione. Scriptum quippe est : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est (Matth. v, 16)*. Et rursus : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes. (Luc. xii, 35)*. Quod enim hoc loco fulgenti sole, hoc in Evangelio lucerna ardente designatur. Bonum namque opus, cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte; cum vero in Ecclesia resplendet, sol fulget in die. Bonum opus, si adhuc tale est

B quod soli mali mirentur, lucerna videlicet 22 in nocte est; si autem ita proficit, ut mirari a bonis ac perfectioribus possit, nimirum sol est in die. Bonum opus cum per activam vitam corporis lucet, quasi lucernæ more lumen ex testa resplendet. Cum vero per solam virtutem mentis in contemplatione attollitur, quasi more solis de cælo veniens lux videtur, *si vidi solem, cum fulgeret.* (32) Ac si aperte diceret : *Opus meum, etiam cum aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gloriam non accendi, quia dum eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti.*

(33) Solis nomine lumen veritatis accipitur. Sic Sapientiæ libro perhibetur quod impii in extremo dle indicii cognita sua damnatione dicturi sunt : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis (Sap. v, 6)*. Ac si aperte dicant : *Interni nobis luminis radius non refulsit.* Unde et Psalmista de malignis spiritibus loquens subdit dicens : *Ortus est sol, et congregati sunt in cubilibus suis, etc. (Psal. ciii, 22)*. (34) Quia videlicet veritatis lumine per carnem apparente fidelium mentibus dæmones excussi, quasi ad cubilia sua sunt reversi, dum sola in delium corda tenuerunt.

(25) Rursus solis nomine, prædicatorum claritas designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo (Job ix, 7)*. Quid enim solis nomine, nisi claritas prædicatorum accipitur? Unde et per Joannem dicitur : *Factus est sol niger, ut saccus cilicinus (Apoc. 6, 12)*. In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostendetur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos, aspera et despecta monstratur. Qui stellarum quoque claritate figurantur, quia cum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Unde et subtractis prædicatoribus per prophetam dicitur : *Prohibitæ sunt stellæ pluviarum (Jer. iii, 3)*. Quia vero sol per diem fulget, et stellæ obscuritates no-

(30) Ex hom. 29 in Evang.

(31) Ex lib. xxii, in Job, c. iv.

(32) Ex cap. v lib. in Job, citati longe post principium.

(33) Ex lib. xxiv, in Job, cap. xii.

(34) Ex lib. xxvii in Job, c. xvii.

(35) Ex lib. ix in Job, c. iii.

tis irradiant, et plerumque in sacro eloquio diei appellatione, æterna patria, noctis autem nomine præsens vita signatur, prædicatores sancti, ut sol nostris oculis fiunt, cum conceptionem [al. contemplationem] nobis veræ lucis aperiunt, et velut, stellæ in tenebris lucent, **23** cum per activam vitam pro futuris nostris necessitatibus terrena disponuntur. Quasi in die ut sol coruscant, cum ad contemplandam internæ claritatis patriam, mentis nostræ aciem sublevant, et quasi stellæ in nocte resplendent, quia, et cum terrena agunt, offensurum jam-jam que nostris operis pedem exemplo suæ rectitudinis dirigunt. Sed, quia expulsis prædicatoribus, non fuit qui plebi Judaicæ in perfidiæ suæ nocte remanenti resplenderet, vel claritatem conceptionis [al. contemplationis] ostenderet, vel activæ vitæ lumen aperiret; Veritas quippe, quæ hanc repulsam deseruit, subtracto prædicationis lumine, merito suæ pravitatis excæcavit; recte dicitur: *Qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo.* Oriri quippe ei solem noluit, a qua prædicantium animum divertit. Et quasi sub signaculo stellas claudit, quia, dum prædicatores suos per silentium intra semetipsos retinuit, cæcis iniquorum sensibus cœleste lumen abscondit.

(36) Solis nomine tentationis ardor designatur, sicut per Moysen dicitur: *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somno, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua; et post solis occasum regredietur in castra (Deut. xxiii, 10, 11).* Nocturnum quippe somnium est tentatio occulta, cum tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen cordis vel corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus, egredi extra castra præcipitur quia videlicet dignum est, ut qui immunda cogitatione pollutus, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur culpæ suæ meritum ante oculos ponat, et ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutus ergo extra castra exire est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despiciere. Quid ad vesperam lavatur aqua, cum defectum suum conspiciens, ad poenitiæ lamenta convertitur, ut cineribus abluat omne quod in animo occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat, quia defervescente tentationis ardore necesse est ut iterum fiduciam erga bonorum societatem sumat. Post aquæ quippe lavationem, occumbente sole ad castra revertitur: **24** qui post poenitiæ lamenta, frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparat, ut jam se a cæteris longe esse non æstimet qui mundum se per obitum intimi ardoris gaudet.

## CAPUT VI.

### DE LUNA.

*In Scriptura sacra lunæ nomine aliquando sancta Ec-*

(36) Ex lib. x in Job, cap. xxxi.

(37) Ex lib. xvii in Job, cap. i.

*clesia, aliquando fama boni operis, aliquando stultorum mobilitas, aliquando mutabilitas temporalitatis designantur.*

(37) Lunæ nomine sancta Ecclesia exprimitur, sicut per beatum Habacuc dicitur: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (Habac. iii, 11, juxta LXX).* Elevato enim sole, in ordine suo luna statuitur, quia ascendente ad cælos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur. Psalmista quoque sanctam Ecclesiam conspiciens in perpetua perfectione mansuram sub appellatione lunæ descripsit dicens: *Luna perfecta in æternum (Psal. lxxxviii, 38).* Quam, quia ad resurrectionis spem Dominica resurrectio roborat, recte subjungitur: *Testis in cælo fidelis (ibid.).*

(38) Rursum lunæ nomine fama boni operis intelligitur, sicut per beatum Job dicitur: *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare (Job xxxi, 26).* Per solem quippe fulgentem fulgor boni operis; per lunam vero, opinio bonæ operationis intelligitur. Post præmissum ergo solem, apte quoque incedentem clare lunam subdidit, quia videlicet post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur. Si enim verum est quod quidam **25** putant, lunam illustrationem per occultum circulum a radio solis accipere, ut possit lucem nocturnis cursibus exhibere, ab hujus significationis ordine hæc quoque suspicio non abhorret. Fama quippe a bono opere vires accipit et favoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Est aliud in luna, quod per similitudinem bonam spargenti famæ conveniat: lux namque ejus etiam in tenebrarum tempore iter ambulantis ostendit; quia et dum de aliena vita, lux quæ illius opinione clara cognoscitur ostenditur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. Sed nonnunquam opus quod ab aliena opinione sumitur, minus mundo desiderio in animo formatur. Nam infirmæ mentes, cum bona de aliis audiunt, aliquando se ad operationem rectam, non amore virtutis, sed dilectione laudis accendunt. Et profecto liquet quod sicut natura solis est ut quæque attigerit accendat et siccet, ita lunaris ignis est proprium ut quidquid contigerit, exurat quidem, sed exurendo humidum reddat. Ad vitam igitur bonam alios per amorem Dei affectus recti operis, alios vero amor laudis inflammat. Sed, cum recti operis affectu accendimur, quasi per ignem solis a vitiorum humore siccatur. Eum vero quem ad opus bonum laudis amor provocat, concupita fama quasi luna attingit, quia videlicet ejus animum et accendit et resolvit. Accendit scilicet ad exercitium operis, resolvit vero ad concupiscentiam favoris. Plerumque tamen ad exercenda bona opera aliena nos utiliter exempli persuadent. Et cum mente humiliter opinionis alienæ bona suscipimus, nostra vel ad melius bona perducimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque

(38) Ex lib. xxii in Job, cap. v.

nos de vita proximi, famæ splendor irradiat, mens nostra, ut prædiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunæ lumen gressus ponit. Sed sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque, si laudibus famæ nostræ incendimur, a virtute vacuumur; quia dum delectatur animus in hoc quod de se extriusecus haberi considerat, illud obliviscitur ad quod introrsus anhelabat. Sed quia sanctum virum nec fama laudabilis extulit, clare incedentem luna minime accendit.

**26** (39) Lunæ nomine stultorum inconstantia designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur* (Eccli. xvii, 42).

(40) Iterum lunæ nomine mutabilitas temporalitatis designatur, sicut Joannes in Apocalypsi ait: *Mulier, amicta sole et luna sub pedibus ejus* (Apoc. xii, 1). In sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur. Quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

## CAPUT VII.

### DE STELLIS.

*In Scriptura sacra, cum stella singulari numero ponitur, Christus intelligitur. Cum vero plurali numero ponitur, aliquando specialiter prophetæ anti-qui, vel apostoli sancti prædicatores, aliquando quorumlibet sanctorum justitia quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes hominibus ostendunt.*

Stellæ nomine Christus designatur, Joanne attestante, a quo stella splendida et matutina vocatur. Vivus namque apparens post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicavit.

(41) Stellarum quoque nomine vel prophetæ vel apostoli designantur, sicut in libro beati Job de Domino **27** dicitur: *Qui aufert stellas pluviam, et effundit imbres ad instar gurgitum* (Job xxxvi, 27). Duo quippe in hac vita sunt genera justorum: Unum videlicet bene viventium, sed nulla docentium; aliud vero recte viventium, et eadem recta docentium, sicut et in cæli facie aliæ stellæ prodeunt, quas lunæ pluviam subsequuntur; aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. Igitur quoties in sancta Ecclesia recte quidam vivunt, sed tamen prædicare eandem rectitudinem nesciunt, stellæ quidem sunt, sed in siccitate aeris natæ, quia per exemplum bene vivendi lucem cæteris præbent, sed prædicationis verbum plure nesciunt. Cum vero in ea quidam et recte vivunt, et aliis eandem rectitudinem verbis prædicationis

influunt, quasi ad proferendas pluvias in cælum stellæ producuntur, quæ sic vitæ suæ meritis luceant ut in prædicationis sermone pluant. Annon in hoc cælo astrum pluviam Moses excitavit, qui dum de supernis emicuit, corda peccantium quasi in arentem inferius terram sanctæ exhortationis pluvia ad ubertatem germinis infudit? Annon Isaias astrum pluviam ostensus est, qui in eo quod lucem veritatis prævidens tenuit, siccitatem infidelium prophetando annuntians irrigavit? Annon Jeremias et prophetæ cæteri velut in cælo positi astra pluviam fuerunt, qui in prædicationis culmine erecti, dum pravitatem peccantium libere increpare ausi sunt, quasi verborum guttas obcæcationis humanæ pulverem rigando presserunt, quorum videlicet animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex præsentis vita superna judicia auferunt, quasi a cæli facie. Stellæ pluviam subtrahuntur, et ad occultum astra redeunt, dum peractis suis cursibus sanctorum animæ in thesauris dispositionis intimæ reconduntur. Sed quia terra aresceret, si subductis stellis pluviam superna funditus fluentia cessarent, recte dicitur: *Qui aufert stellas pluviam, et effundit imbrem ad instar gurgitum*. Nam cum prophetas abstulit, eorum vice Dominus apostolos misit qui in similitudine gurgitum pluerent, postquam, subductis antiquis Patribus, exteriora legis prædicamenta tacuissent. Stellas ergo pluviam abscondit, et ad instar gurgitum imbres fudit, quia, **28** dum prædicatores legis ad secreta et intima retulit, per dicta sequentium uberius vis prædicationis emanavit.

(42) Rursum stellarum nomine quorumlibet bene viventium animæ designantur, sicut in libro beati Job scriptum est: *Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* (Job xxv, 5). Quid enim per lunam nisi cuncta simul Ecclesia? Quid per stellas, nisi singulorum bene viventium animæ designantur, qui inter pravorum hominum conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent? Unde per Paulum quoque discipulis dicitur: *Inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo* (Philipp. ii, 15). Et iterum: *Stella enim ab stella differt in claritate* (I Cor. xv, 41). Luna ergo non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc prævenientis gratiæ dona perfundant; nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum miraculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur quia apud districti judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hæc quotidie gratia parcentis tergat.

(43) Item stellarum nomine hypocritarum fictio designatur, sicut per Joannem de diabolo dicitur: *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stel-*

(39) Ex lib. xxxiv in Job, cap. xii.

(40) Ex lib. xxxiv in Job, cap. xii.

(41) Ex lib. xxvii in Job, cap. v.

(42) Ex lib. xvii in Job, cap. x.

(43) Ex lib. xxxii in Job, cap. xii, circa medium.

larum cæli, et misit eas in terra (Apoc. xii, 4). Cælum quippe est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, quas radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejecit, quia Satanae extremitas, per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cælo in terram cadere est, relicta nonnullos spe cælestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc Daniel sub Antiochi specie de hac draconis cauda loquitur dicens : *Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas* (Dan. viii, 10). De fortitudine quippe et de stellis dejecit, cum nonnullos, et virtute operis robustos, et luce justitiæ resplendentes frangit.

## 29 CAPUT VIII.

### DE LUCIFERO.

*In Scriptura sacra Luciferi nomine, aliquando unigenitus Dei, vel sermo divinus, aliquando justi vita intelligitur.*

(44) Luciferi nomine Unigenitus Dei designatur, sicut beatus Job de ipsius incarnatione requirit, dicens : *Nunquid produces Luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terræ consurgere facies?* (Job xxxviii, 32.) Quid enim Luciferum intelligimus nisi Unigenitum Dei? Pater quippe in suo tempore Luciferum produxit, quia sicut scriptum est : *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (Gal. iv, 4). Qui natus ex Virgine velut Lucifer, inter tenebras nostræ noctis apparuit, quia, fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nuntiavit. Luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore sui luminis, mortalitatis nostræ tetram caliginem tersit.

(45) Potest autem Luciferi nomine sermo divinus designari. Unus enim atque idem sermo Dei est in ore prædicantis. Quem dum isti gaudentes audiunt, illi vero invidendo, claritatem Luciferi sibi in vesperi tenebras vertunt. Dum isti humiliter vocem sanctæ prædicationis accipiunt, quasi ad stellæ lucem, oculos cordis aperiunt. Dum vero illi bene dicenti invident, et non salutis causam, sed elationis gloriam quærunt, prorumpente iniquitatis suæ vespere, in somnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo iudicium is, qui electo est Lucifer, reprobo auditori fit vesper, quia exhortatione sancta qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur : *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* (II Cor. ii, 15, 16) : aliis quidem odor mortis **30** in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Verbum itaque suum auditoribus

(44) Ex l. xxix in Job, cap. 7, 17.

(45) Ex eod. l. x, cap. ii.

(46) Ex l. x in Job, cap. xii, longe post princi-

esse Luciferum simul et vesperum vidit, per quod eos alios ab iniquitate suscitari, et contra alios sopiri in iniquitate conapexit.

(46) Iterum Luciferi nomine justi vita intelligitur, sicut in libro beati Job dicitur : *Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* (Job xi, 17). Et recte Luciferi justi vita comparatur. Solem quippe præcurrrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorum namque admiratione conspiciamus quid de majestate veri luminis æstimmus. Necdum Redemptoris nostri patientiam videmus, sed tantum virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia ergo honorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis objicit, quasi clarus ad nos Lucifer ante solem venit. Dicat ergo Soplhar tentato homini, etiam quasi desperanti dicat : *Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* (47). Sæpe namque tot tentamenta nos obsident, ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum desperationis inclinet. Unde plerumque mens in tædium vertitur, vix ipsa virtutis suæ damna considerat, et tota dolens quasi jam et a sensu doloris aliena frangitur, et numerare non valet, quanto cogitationum tumultu vastatur. Ruituram se per momenta conspicit, eique, ne arma repugnationis arripiat, gravius mœror ipse contradicit. Circumductos quolibet oculos obscuritas obsidet, et cum visum tenebræ semper impediunt, mens tamen nil aliud quam tenebras videt. Sed apud misericordem iudicem sæpe hæc ipsa quæ adnismus quoque orationis aggravat, pro nobis subtilius justitia exorat. Nam mœroris nostri caliginem Conditor conspicit, et subtracti luminis radios refundit, ita ut erecta protinus per dona mens vigeat quam paulo ante decertantia vitia superbix calce deprimebant. Mox corporis pondus discutit, atque ad contemplationis lumen post perturbationis suæ tenebras erumpit. Mox in gaudium profectus attollitur; et quæ prius inter tentamenta cadere ex desperatione cogebatur, sine cogitationis certamine præsentia despicit, **31** sine dubitationis obstaculo de ventura retributione confidit. Justus ergo cum se consumptum putaverit, ut Lucifer oritur, quia mox ut tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, et in se ipse monstrat diem justitiæ, qui casurus paulo ante timuit noctem culpæ.

## CAPUT IX.

### DE PLEIADIBUS.

*In Scriptura sacra Pleiadum nomine sancti omnes, vel Novum Testamentum designatur*

(48) Pleiadum nomine sancti designantur : unde beatum Job Dominus requirit, dicens : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades?* (Job xxxviii 31.) Pleiades stellæ ἀπὸ τοῦ πλείωτος, id est a plurimum, 20.

(47) Hæc sunt ante prædicta.

(48) Ex l. xxix in Job, cap. xvi, xxvii, xxviii.

*ralitate* vocatæ sunt, ita autem vicinæ sibi et divisæ sunt conditæ, ut et simul sint et conjungi nequam possint, quatenus vicinitate quadam conjunctæ sint, sed tactu disjunctæ. Quid ergo micantes Pleiades, quæ et septem sunt, aliud quam sanctos omnes denuntiant : qui inter præsentis vitæ tenebras Spiritus septiformis gratiæ nos lumine illustrant, qui, ab ipsa mundi origine usque ad ejus terminum diversis temporibus ad prophetandum missi, juxta aliquid sibi conjuncti sunt, juxta aliquid non conjuncti sunt? Stellæ enim Pleiades, sicut supra dictum vicinitate est, sibi conjunctæ sunt et tactu disjunctæ, simul quidem sitæ sunt, et tamen lucis suæ radios divisim fundunt. Ita sancti homines, aliis atque aliis ad prædicandum temporibus apparentes, et disjuncti sunt per visionem suæ imaginis, et conjuncti per visionem mentis. Simul micant, quia unum prædicant, sed non semetipsos tangunt, quia in diversis temporibus patiuntur. Quam diversis temporibus Abel, Isaias et Joannes apparuerunt! divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione. Nam Abel Redemptoris nostri passionem significans **32** agnum in sacrificio obtulit de cujus passione Isaias ait : *Sicut agnus coram tondente se, obmutescet et non aperiet os suum* (Isa. LIII, 7). De quo Joannes quoque ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. I, 29), Ecce divisim quidem temporibus missi, et tamen concorditer de Redemptoris nostri innocentia sentientes, eumdem agnum Joannes ostendendo, Isaias providendo, Abel offerendo locutus est; et quem Joannes in ostensione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit. Quia vero quomodo Pleiades stellæ de Redemptoris humanitate sibi concinant diximus : nunc quomodo in ostendenda unitate Trinitatis concorditer luceant, demonstramus. Diversis quippe temporibus huic mundo David, Isaias, et Paulus apparuit, sed tamen nullus eorum, alteri diversum sentit, quia etsi semetipsos non noverant facie, unum tamen didicerant ex divina cognitione.

David quippe ut auctorem omnium Deum in Trinitate ostenderet, dixit : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (Psal LXVI, 7, 8); ac ne tertio Deum nominans, tres Deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit : *Et metuant eum omnes fines terræ* (ibid.). Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum, tria quæ dixerat, intimavit. Isaias quoque cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, seraphin voces exprimens ait : *Sanctus, sanctus, sanctus* (Isa. VI, 3). Ac ne tertio Deum nominans unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit : *Dominus Deus Sabaoth* (ibid.). Quia ergo non Domini Dii, sed Dominus Deus addit, unum existere, quod tertio sanctum vocaverat indicavit. Paulus quoque, ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait : *Ex ipso, per ipsum et in*

*A ipso sunt omnia* (Rom. XI, 36). Atque ut unitatem ejusdem Trinitatis ostenderet protinus addidit : *Ipsi gloria in sæcula* (ibid.). Qui ergo non ipsi, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius ipsum dixit. Quasi ergo et uno loco Pleiades sitæ sunt, quia de Deo concorditer sentiunt, et tamen semetipsas non tangunt, quia, sicut dictum est, per hujus mundi temporis diversa patiuntur. Quod quia solius divinæ virtutis est et disjunctis temporibus missos in fidei prædicatione conjungere, **33** et dissimilibus virtutibus prædictos, fulgore intentionis unire recte dicitur : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades*, ac si dicat : Ut ego qui unus omnia impleo, atque in unitatis sensu, electorum mentes implendo con-

**B** jungo.

(49) Pleiadum quoque nomine potest Testamenti Novi gratia designari. Ipsæ quippe stellæ Pleiades, sicut et superius diximus, septem sunt. Tanto ergo Testamenti Novi gratiam apertius indicant, quanto cuncti liquido cernimus quod per illud fideles suos Spiritus sanctus septiformis muneris lumine illustrat. Redemptor autem noster in carne veniens, Pleiades junxit, quia operationes septiformis Spiritus simul in se, et cunctas et manentes habuit. De quo per Isaiam dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet et super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum Spiritus timore Domini* (Isa. XI, 1, 2). De quo Zacharias ait : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (Zach. III, 9). Atque iterum : *Et in candelabro aureo lucernæ septem* (Zach. IV, 2). Nullus vero hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum, cujus est isdem Spiritus, qui de Patre ante sæcula procedit. Bene ergo dicitur : *Super lapidem unum septem oculi sunt*, huic enim lapidi septem oculos habere est, simul omnem virtutum Spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationem sermonum (I Cor. XII, 8, 11), juxta distributionem sancti Spiritus accepit; ad habenda vero cuncta ejusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero Conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suæ potentiam simul se habere omnes sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes Pleiades procul dubio jungit. Audiat itaque beatus Job : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades?* Ac si aperte diceretur : Habere quælibet lumina quarumdam virtutum potes; sed nunquid exercere simul omnes operationes sancti Spiritus sufficis? Mé ergo **34** conjungentem Pleiades in cunctis virtutibus contemplare, et tu de paucis ab elatione compescere.



CAPUT X.  
DE ARCTURO.

*In Scriptura sacra, Arcturi nomine aliquando tota simul Ecclesia, aliquando vetus lex designatur.*

(50) Arcturi nomine tota simul Ecclesia intelligitur: unde beatum Job Dominus interrogat dicens: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* (Job xxxviii, 3.) Arcturus quippe ita nocturna tempora illustrat, ut in cœli axe positus per diversa se vertat, nec tamen occidat. Neque enim extra currens volvitur, sed in loco situs in cunctis mundi partibus nequaquam casurus inclinatur. In Arcturo ergo qui per gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, nequaquam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ecclesia designatur, quæ fætigationes quaslibet patitur, nec tamen ad defectum proprii status inclinatur. Gyrum laborum tolerat, sed tamen ad occasum cur temporibus non festinat. Neque enim ad ima poli Arcturus nocturno tempore ducitur; sed dum ipse volvitur nox finitur, quia nimirum dum sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur, præsentis vitæ umbra terminatur. Eaque stante nox præterit, quia illa in sua incolumitate perdurante mortalitatis hujus vita percurrit. Est autem in Arcturo quod considerantius possumus intueri. In septem quippe stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, atque ad ima quatuor inclinatur, modo quatuor superius erigit, et tres inferius premit. Sancta quoque Ecclesia cum modo in fidelibus Trinitatis notitiam, modo autem fidelibus virtutes quatuor, id est prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam prædicat, quasi rotatu prædicationis **35** status sui speciem quodammodo immutat. Nam cum quibusdam de operibus suis gloriantibus confidentiam proprii laboris evacuat, et fidem Trinitatis exultat, quid aliud facit, nisi tres stellas Arcturus elevat, quatuor inclinatur? Et dum quosdam bona opera non habentes de sola fide præsumere prohibet, sed operari enixius quæ præcepta sunt, jubet quid aliud Arcturus facit nisi quatuor stellas erigit, tres deponit? Videamus quod tres elevet, quatuor deponat. Ecce per Paulum contra fidem de operibus superbientibus dicit: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Dominum. Quid etiam Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (Rom. iv, 2; Genes. xv, 6). Videamus quomodo quatuor elevet, tres deponat. Ecce per Jacobum de fide contra opera superbientibus dicit: *Sicut corpus sine spiritu emortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (Jac. ii, 26). Arcturus itaque volvitur, quia sancta Ecclesia juxta auditorum suorum mentes in diverso latere prædicationis arte versatur. Arcturus volvitur, quia sancta Ecclesia in noctis hujus tribulationibus rotatur. Sed hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissi-

(50) Ex lib. ix, cap. xvi, 27.

(51) Ex lib. et cap. citatis, post medium,

A pat, quia labores Ecclesiæ ad requiem permutat. Tunc et Pleiades plenius jungit, cum gyrum Arcturi destruit, quia tunc nimirum sancti omnes etiam sibi visionis specie copulantur, quando in fine mundi sancta Ecclesia ab his quos nunc sustinet laboribus solvitur. Dicit ergo: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare.* Subaudis, ut ego, qui tunc sanctorum vitam etiam per speciem unio, cum gyrum universalis Ecclesiæ corporaliter solvo. Et quis hominum solius divitiarum hoc esse virtutis ignorat? Sed ut cognoscat homo quid ipse sit, memoretur assidue quid solus Dominus possit.

(51) Potest quoque Arcturi nomine vetus lex intelligi. Arcturus quippe ex parte aquilonis surgit. Quacunque autem se per gyrum Arcturus verterit, Pleiades ostendit. Et cum lux diei jam vicina efficitur, stellarum ejus ordo distenditur. Non immerito ergo per Arcturum, qua plaga frigoris surgit, **36** lex designatur. Quasi enim ab aquilone lex veneratur, quæ tanta subditos rigiditatis asperitate terebat. Nam cum pro culpulis suis alios perciperet lapidibus obrui, alios gladii morte multari, plaga torpens, et velut a sole charitatis aliena præceptorum suorum plus premebat ex frigore quam ex calore nutrebat. Nec mirum quod per Arcturi septem stellas Testamentum Vetus exprimitur, quia et in veneratione legis dies septimus existit venerabilis, et per hebdomadam integram constituti sacrificii vota tendebantur. Quacunque autem se Arcturus vertit, Pleiades, quæ Testamentum Novum significant, ostendit, quia per omne quod Testamentum Vetus loquitur Testamenti Novi opera nuntiantur. Sub textu enim litteræ legit mysterium prophetiæ. Et quasi inclinatur se Arcturus et demonstrat, quia, dum ad spiritalem intellectum flecitur, significata per illud lux gratiæ septiformis aperitur. Et appropinquante diei luce stellarum ejus ordo ostenditur, quia postquam per semetipsam nobis veritas innotuit, ab obsequiis carnalibus litteræ præcepta laxavit.

CAPUT XI.

DE AERE.

*In Scriptura sacra, aeris nomine, sæcularium mentium mobilitas designatur, sicut ab Eliu dicitur.*

(52) Subito cogitur aer in nubes. Aer quippe ipsa sua tenuitate spargitur, ut nulla firmitate solidetur (Job xxxvii, 21). Nubes autem tanto firmiores sunt quanto densiores. Quid ergo per aerem nisi mentes sæcularium designantur, quæ innumeris hujus vitæ desiderii deditæ huc illucque more aeris fluidæ disperguntur? Sed aer in nubes cogitur, cum fluxæ mentes superni respectus gratia virtutis soliditate roborantur, ut intra in sinum cordis recta **37** sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant.

(52) Ex lib. xxvii in Job, cap. 25.

## CAPUT XII.

## DE NUBIBUS.

In Scriptura sacra, nubium nomine aliquando humanitas Christi designatur, aliquando caligo ignorantiae, aliquando sancti prophetæ, aliquando quilibet doctores sancti, aliquando quilibet iusti, aliquando mobiles quique, aliquando soliditas mentium, aliquando temporalia bona, aliquando cor superbum.

(53) Nubis nomine caro Redemptoris accipitur sicut per Psalmistam de ipso dicitur: *Qui ponit nubem ascensum suum* (Psal. ciii, 3). Nubem quippe ascensum suum Dominus posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad cœlestia ascendit.

(54) Nubis nomine caligo ignorantiae designatur. Unde propheta Ezechiel Judæorum crudelitatem contra Dominum prospiciens, ait: *Et vidi et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna* (Ezech. 1, 4). Quid enim aquilonis nomine nisi diabolus intelligitur, et quid ventus turbinis nisi ipsius tentatio accipitur? Bene autem maligni spiritus immissio ventus turbinis appellatur. Turbo quippe ædificium quod tangit concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quæ agitur in mente ventus est turbinis, quia hanc concutiendo per desideria a statu suæ rectitudinis evellit. Ventus ergo turbinis ab aquilone venit, cum vitam Judaici populi malignus spiritus in tentatione concussit, ubi et recte additur: *Et nubes magna*. **38** Quia quanto plus quisque exarsit in crudelitate, tanto amplius obcæcari metuit ignorantiae suæ caligine. Redemptorem quippe humani generis quem in lege ac prophetis intelligentes expectaverant, videntes negabant. Unde actum est ut eorum mens magna ignorantiae suæ nube tegetetur, ne hunc post inquirentes agnoscerent, quem prius et denuntiare poterant, et amare reuebant. Nam cum modo ejus virtutes et miracula, modo autem passiones aspicerent in infidelium cordibus, nubes magna ab aquilone venerat, quia ex peccati sui frigore propter infirmitatem passionis illius et inter signa caligabat.

(55) Iterum nubium nomine sancti prophetæ designantur, sic per Psalmistam dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (Psal. xvii, 14), id est occulta est scientia in prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi mysteria immensa gestarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat.

(56) Iterum nubium nomine sancti apostoli designantur, sicut per Isaiam de ipsis Dominus dicit: *Mandabo nubibus, ne pluunt super eam imbrem* (Isa. v, 6).

(57) Nubium nomine prædicatores sancti designantur, sicut ab Eliu dicitur: *Frustrum desiderat*

*A nubes* (Job xxxvii, 11). Quid enim electi quique sunt, nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? Sed frumentum, quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluvias expectat ut crescat, quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole sicceat. Hoc frumentum supernus agricola in mundo surgere, et nubes desiderare conspexerat cum dicebat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate autem dominum messis ut mittat operarios in messem suam* (Matth. vii, 37). Qui igitur hic frumentum, illic messis; qui vero hic nubes, illic operarii vocantur. Quia nimirum prædicatores sancti et nubes sunt et operarii. Nubes videlicet per doctrinam, operarii per vitam. Nubes, quæ verbis influunt; operarii, quæ non desinunt agere quod loquuntur. Unde et subditur: *Et nubes spargunt lumen suum* (Job xxxvii, 11). Nubes enim lumen suum spargere est prædicatores sanctos, exempla vitæ et loquendo et agendo dilatare.

(58) Rursum nubium nomine quilibet iusti designantur. Sic per Isaiam dicitur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (Isa. lx, 7, 8.) Iusti namque ut nubes volare dicti sunt, quia a terrenis contagis sublevantur. Et quasi columbæ ad fenestras sunt, quia per sensus corporis exteriora quæque non respiciunt intentione rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis.

(59) Nubium nomine mobiles quique exprimuntur, sic per Salomonem dicitur: *Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet* (Eccl. xi, 4). Venti quippe nomine malignus spiritus designatur qui mentem tentationibus impellit. Nubium vero appellatione peccatores exprimuntur, quos toties huc illucque diabolus impellit et revocat, quoties tentationes ejus in eorum cordibus suggestionum flatibus alternat. (60) *Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet*, quia is qui tentationes maligni spiritus metuens, et iniquorum lapsus conspiciens, semetipsum desperat, neque nunc exercetur in boni semine operis, neque post reficitur de munere justæ retributionis.

(61) Nubium nomine, soliditas mentium accipitur: sicut per Eliu dicitur: *Subito aer cogitur in nubes* (Job xxxvii, 21). Aer quippe ipsa sua tenuitate aspergitur, ut nulla firmitate solidetur. Nubes autem tanto firmiores sunt, quanto densiores (62). Quid ergo per aerem nisi mentes sæcularium designantur, quæ innumeris hujus vitæ desideriiis deditæ huc illucque more aeris fluidæ

(53) Ex homil. 8 in Ezech.

(54) Ex hom. 21 in Ezech. disperse.

(55) Ex lib. xxvii, in Job, cap. v.

(56) Ibidem.

(57) Ex lib. xxvii, in Job., cap. xix, 22.

(58) Ex lib. xxi in Job, cap. ii.

(59) Ex lib. xxvii in Job, cap. v.

(60) Eodem quidem sensu, sed non iisdem omnino verbis impressa legunt exemplaria.

(61) Ex lib. xxvii in Job, cap. xxv.

(62) Hæc in cap. 11 supra dixit.

dispargantur? Quid per nubes nisi mentis soliditas intelligitur? Aer autem in nubes cogitur, cum fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, ut intra signum cordis recta sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant. **40** Aer Petrus fuerat, cum per terrena desideria sparsus eum quasi aura transiens pro vita carnis cura piscationis agitabat. Aer et omnes apostoli exstiterant, qui jam per legem alta didicerant, sed necdum per fidem firma sapiebant. Subito autem aer in nubes coactus est, quia per respectum supernæ gratiæ fluxa corda piscantium in soliditatem versa sunt prædicatorum, ut eorum infirmæ cogitationes fortia sentiendo densescerent, ac amore nubium aquas scientiæ caperent, et subterjacentem terram verbis prædicationis irrigarent, peracto ministerio, ad cœli secreta recurrerent, atque ad æternam requiem finito labore pervenirent.

(65) Nubium nomine temporalia bona designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Velut nubes pertransiit salus mea (Job xxx, 15)*. Nubes quippe in alto eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit. Sic nimirum, sic sunt temporalia iniquorum bona. Velut in alto quidem per honoris celsitudinem crigere videntur; sed ad cursum vitæ quodædam mortalitatis suæ flatibus impelluntur. Salus ergo ut nubes transit, quia perversorum gloria, quæ alta est, fixa non est.

(64) Nubium nomine corda superborum designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendit (Job vii, 6)*. Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata a vento impellitur ut currat; calore autem solis dissipatur, ut evanescat. Sic nimirum corda fiunt hominum, quia per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant, impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum motibus huc illucque pertrahuntur. Sed districto respectu superni judicis, quasi solis calore liquefiunt, et semel locis penalibus tradita ad operationis usum ultra non redeunt. Vir igitur sanctus, elationis incursum defectumque humani generis exprimens, dicat: *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet*. Ac si aperte dicat: *In altum currendo deficit qui superbiendo ad interitum tendit. Quem si semel culpa ad pœnam* **41** *pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non relicit.*

### CAPUT XIII.

#### DE VENTIS.

*In Scriptura sacra, cum ventus singulari numero ponitur, aliquando diabolus, aliquando tentatio diaboli, aliquando prosperitas transitoria, aliquando superbia, aliquando res quælibet transitoria, aliquando concussio districti judicis designatur. Cum vero pluraliter venti dicuntur, animæ sanctorum intelliguntur.*

(65) Venti nomine malignus spiritus designatur

(63) Ex lib. xx in Job, cap. xx, 22.

(64) Ex lib. viii in Job, cap. x, 114.

sicut de damnatione impii per beatum Job dicitur: *Tollet eum ventus urens (Job xxvii, 21)*. Quis enim hoc loco ventus urens, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammam in corde excitat ut ad æternitatem suppliciorum trahat? Perversum ergo quilibet ventus urens tollere dicitur, quia insidiator malignus spiritus qui viventem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Ab hujus urentis venti adustione uniuscujusque electi mens temperatur, quando in ea vitiorum fervor extinguitur, et desideriorum carnalium flamma frigescit. Unde et sancta Ecclesia in Sponsi sui laudibus læta clamat: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi (Cant. ii, 2)*, impium autem tollit ventus urens, quia videlicet malignus spiritus, eum quem nunc succenderit igne perversæ concupiscentiæ, rapit postmodum ad flammam gehennæ.

(66) **42** Venti nomine tentatio malignorum spirituum designatur, sicut ad beatum Job de filiorum ejus morte dicitur: *Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus. Qui corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt (Job i, 18, 19)*. Regio deserti, immundorum est spirituum multitudo derelicta, quæ dum Conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit. Ab hac autem ventus vehemens venit, et domum subruit, quia ab immundis spiritibus fortis tentatio subripit, et a tranquillitatis suæ statu conscientiam evertit. In quatuor vero angulis domus subsistit, quia nimirum solidum mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus consistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Unde et quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Sed nonnunquam dum ignavia menti subrepat, prudentia frigescit; nam cum fessa torpet ventura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio surrepat, temperantia nostra marcescit. In quantum enim ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamur. Nonnunquam se timor cordi insinuat, et vires nostræ fortitudinis turbat: et eo minores contra adversa existimus, quo quædam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnunquam vero amor suus se menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine justitiæ divertit, et quo se totam auctori reddere negligit, eo in se justitiæ juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit. Et quasi quassatis angulis domus obruitur, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filii convivantur, quia intra arcana mentis, quæ principaliter his quatuor vir-

(65) Ex lib. xviii in Job, cap. xii, post medium.

(66) Ex lib. ii in Job, cap. xxvi, in initio, 36.

tutibus ad summæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes cæteræ quasi quædam cordis soboles se invicem pascunt. Donum quippe spiritus, **43** quod in subjecta mente, ante alia, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, format eandem mentem ut contra singula quæque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat, ut contra stultitiam sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra superbiam det timorem.

Sed nonnunquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, si continuo in his securitate perfruitur, a quo sibi hæc sint obliviscitur, seque a se habere putat quod nunquam sibi abesse considerat. Unde fit ut aliquando se hæc eadem gratia utiliter subtrahat, et præsumenti menti quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra, unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus quæ a nobis servari non possunt. Ad hoc itaque intimandæ humilitatis magisterium, fit plerumque ut irruente tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens, qualiter malis imminetibus obviet, vel contra tentationem quomodo se præparet ignoret. Sed hac ipsa stultitia cor prudenter eruditur: quæ unde ad momentum desipit, eo post verus, quo et humiliter sapit, et sapientia, unde quasi amittitur, inde certius possidetur. Aliquando dum sublimia intelligendo in elatione se animus erigit, in rebus imis et vilibus, gravi hebetudine pigrescit, ut repente sibi etiam ima clausa videat qui pernix summa penetrabat. Sed hæc ipsa hebetudo intellectum nobis, dum subtrahit, servat, quia dum ad momentum cor humiliat, verius ad sublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere consilii gravitate gaudemus, pulsante causæ emergentis articulo præcipatione subita rapimur, et qui nos semper disposite vixisse credimus repente intima confusione vastamur. Sed tamen ejusdem confusionis eruditione discimus, ne nostris viribus consilia nostra tribuamus, et tanto maturius ad gravitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum mens adversa fortiter contemnit, subortis adversitatis eventibus hanc metus vehemens **44** percutit. Sed per hunc concussa discit cui tribuat quod in quibusdam fortiter stetit, ei tanto post validius fortitudinem retinet, quanto hanc repente irruente formidine sibi jam quasi elapsam videt. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentina ignorantia cæcitate torpescimus. Sed quo ignorantia mentis oculus ad momentum clauditur, eo post ad scientiam verius aperitur, ut nimirum flagello suæ cæcitatibus eruditus scire ipsum a quo habeat sciat. Aliquando dum religiose cuncta disponimus, dum pietatis viscera plene nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente

A percutimur. Sed quasi obdurati cognoscimus cui pietatis habitæ dona tribuamus, et pietas verius velut extincta recipitur, dum quasi amissa et amplius amatur. Aliquando dum subjectum se divina formidini animus gaudet, repente superbia temperante rigescit; sed tamen valde mox timens, quia non timet, ad humilitatem iterum se festinus inflectit, et tanto hanc solidius recipit, quanto ejus virtutis pondus quasi amittendo pensavit.

Eversa igitur domo moriuntur filii: quia turbata in tentatione conscientia ad utilitatem propria cognitionis rapiuntur in momento temporis, obruuntur genitæ in corde virtutes. Qui profecto filii intus per spiritum vivunt, dum exterius carne moriuntur, quia videlicet et virtutes nostræ tentationis tempore, etsi in momento turbatæ ab status sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseverantiam integræ in mentis radice subsistunt. Cum quibus etiam tres sorores occumbunt, quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Sæpe enim quasi a Conditoris amore torpescimus, dum ultra quam nobis congruere credimus, flagello fatigamur. Sæpe dum plusquam necesse est mens formidat, fiduciam sibi met spei debilitat. Sæpe dum immensis quæstionibus animus tenditur, perturbata fides, quasi defectura fatigatur. Sed tamen vivunt filii quæ domo concussa moriuntur, quia etsi intra conscientia spem, fidem, charitatem occumbere perturbatio ipsa **45** renuntiat, has tamen ante Dei oculos vivas perseverantia rectæ intentionis servat. Unde et puer qui hoc nuntiat, solus evadit, quia mentis discretio etiam inter tentamenta incolumis permanet. Agiturque puer, fit Job filios flendo recipiat, dum discretione nuntiante dolens animus vires quas quasi amittere cœperat, plenitudo conservat. Mira autem hoc nobiscum agitur dispensatione, ut mens nostra culpæ nunquam pulsatione feriat. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit enerviter cadere, inde accipitur fortiter stare.

(67) Venti nomine prosperitas transitoria ostenditur, sicut per beatum Job dicitur: *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide* (Job xxx, 22). Quid enim per ventum nisi transeuntis vitæ prosperitas designatur? Sed quia præsentis vitæ gloria, quasi in alto cernitur, et nulla stabilitate solidatur, elevatus velut super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur, quando ad hoc solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevar, ut repente deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia, quæ per beatum Job designatur,

(67) Ex lib. xx in Job, cap. xxiv, in initio, 25.

cunctis in honore est, infirmi quique in ea qui transitoriis successibus lætantur, quo nisi super ventum positi videntur elevati? Quia subsequenti persecutionis tempore dum prosperitatis aura pertransit, eorum protinus elevatio corrui, et repente cadentes discunt, quia elevati prius in vento sederunt (68). Quæ videlicet verba etiam beati Job personæ specialiter congruunt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse videbatur. Neque enim mentem illius prosperitas fugitiva elevaverat, quam inter tot rerum affluentias miro semper virtutis pondere **46** premebat. Sed juxta hoc quod exterius videri potuit, qui in suis humilis, in alienis oculis elevatus fuit, quasi super ventum positus, elisus est valide, quia rebus exterioribus fultus unde æstimabatur surgere, inde videbatur cecidisse. Quem videlicet casum sanctus vir in mente non pertulit, quia nulla adversitas dejicit quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit. Quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerat, omne quod foris mutabiliter agitur, ad arcem mentis minime pertingit.

(69) Venti nomine superbix tumor intelligitur sicut de malitiosis hominibus per prophetam dicitur: *Traxerunt ventum quasi dracones* (Jer. xiv, 6). Quid enim draconum nomine nisi malitiosi homines designantur? Venti vero nomine superbix inflatio intelligitur. Perversi ergo ventum quasi dracones trahunt, cum per malitiosa superbia inflantur.

(70) Venti nomine quælibet res transitoria designatur, sicut a beato Job sub persona infirmorum dicitur: *Abstulisti quasi ventus desiderium meum* (Job xxx, 15). Quid venti nomine nisi res transitoria accipitur? Ventus ergo desiderium tollit, cum res quælibet transitoria æternitatis appetitum destruit (71). Fidelis se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Qui despectis supernis promissionibus terrena desiderant; et si quando in eorum mente aliquid de appetitu æternitatis oritur, suborta citius transitoria delectatione dissipatur.

(72) Venti nomine concussio extremi judicii intelligitur, sicut propheta Ezechiele testante didicimus, qui ejusdem judicii terrorem contemplans, ait: *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone* (Ezech. 1, 4). Venti namque nomine perturbatio ultimi judicii; aquilonis vero nomine peccatorum frigiditas designatur. Ventus ergo turbinis ab aquilone venit, quia **47** nimirum causa peccatorum exigit ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet.

(73) Velocitate ac sublimitate ventorum solent

(68) Al. in ventum se dederunt. Sic accep. Greg. impressa.

(69) Ex lib. xx in Job, cap. xxix, 28.

(70) Ex lib. x in Job, cap. xx, 22.

(71) Hæc sunt in explicatione verborum: *Redactus sum in nihilum* (Job xxx, 15).

animæ sanctorum signari, sicut per Psalmistam de Deo dicitur: *Qui ambulat super pennas ventorum* (Psal. ciii, 5), id est qui transgreditur virtutes animarum. Hinc iterum a beato Job dicitur: *Qui fecit ventis pondus* (Job xxviii, 25). Ventis namque Dominus pondus fecit, quia, dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graves reddit, non illa gravitate qua dicitur: *Filii hominum usquequo gravi corde?* (Psal. iv, 3.) Aliud namque est gravem esse per consilium, aliud per peccatum. Aliud est gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei, non jam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantix gravitate consistent. Adhuc ille populus leviter movebatur, de quo per prophetam dicitur: *Abiit vagus in viam cordis sui* (Isa. lvii, 17, 18). Viam ejus vidi, et dimisi eum. Grave autem consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. Et quoniam sunt animæ quæ levi motu, nunc ista, nunc illa desiderant, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes mentium non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed cum per gratiam respicit, vagam mentem in consilii stabilitatem figit. Recte ergo nunc dicitur qui fecit ventis pondus, quia cum leves motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantix maturitatem format. Vel certe ventis pondus facere est concessam hic electis de virtutibus gloriam permista infirmitate temperare.

#### 48 CAPUT XIV.

DE AUSTRO.

*In Scriptura sacra austri nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando Judæa, aliquando vita remissa, aliquando quilibet fervens sviritu designatur.*

(74) Austri nomine Spiritus sanctus intelligitur, sicut in Canticis canticorum dicitur: *Surge, aquilo; et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (Cant. iv, 16). Per aquilonem quippe malignus spiritus intelligitur. Per austrum vero, qui nimirum calidus ventus est, non immerito Spiritus sanctus designatur, quo quisque dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur. Aquilo autem jubetur ut surgat, ut nimirum is qui mortaliū corda restringit, adversarius spiritus fugiat. Auster venit et hortum perflat, ut ejus aromata defluant, quia per adventum sancti Spiritus dum mens hominum repletur, ex ea mox opinio virtutum aspergitur, ut jure jam sanctorum lingua quasi hortus austro perflatus dicat: *Christi bonus odor sumus Deo* (II Cor. ii, 15).

(72) Simile quid habet Greg. sub finem hom. 18. in Ezech.

(73) Ex lib. xix in Job, cap. iv, in initio.

(74) Ex lib. xxvii in Job, cap. xxxii, 24. Et lib. ix, cap. xv, 16 eodem sensu pene, sed aliis verbis idem scribitur.

(75) Austri nomine Judæa intelligitur sicut per A Isaiam de gentium conversione loquens Dominus dicit : *Dicam aquiloni : Da; et austro : Noli prohibere* (Isa. XLIII, vi). Sicut enim per aquilonem gentilitas, sic per austrum Judæa signatur, quæ quasi meridiano sole incaluit, quia Redemptore in carne apparente fervorem fidei prima suscepit. Aquiloni ergo dicitur, da, cum offerte Deo suæ fidei munera gentilitas imperatur (76). Et quia conversis ad fidem gentibus primum Judæa contradixit, et ad præmiorum retributionem cœlestium designabatur suscipere eos qui dudum fuerant cultores idolorum : unde et post conversionem gentium Petro 49 dicitur : *Quare introisti ad viros præputium habentes et comedisti cum eis* (Act. XI, 4). Ideo austro jubetur ne prohibeat, quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur ne vitam gentium repellendo condemnent.

(77) Austri nomine vita remissa designatur, sicut Job dicitur : *Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper* (Job VI, 49). Theman quippe auster, Saba autem rete interpretatur. Quid ergo per austrum, qui afflata torporibus membra dissolvit, nisi fluxa vivendi remissio? quid per rete nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mente ea quæ terrena sunt appetunt, nec gressu libero ad Deum pergunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant. Cumque fluxis cogitationis auctus actibus implicantur, quasi remansuros in retis vinculis pedes ponunt. Sicut enim quidam ad devictas jam culpas per aperta quædam et non devicta retrahuntur, ita nonnulli ad ea quæ reliquerant redeunt, per quædam quæ vel honestatis nomine vel laudis honore palliantur. Nam sunt plerique qui jam aliena non appetunt, atque ab hujus mundi jurgiis inchoato quietis amore dividuntur, eruditi sacris eloquiis sitiunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt : nec tamen perfecti animi libertate terriam rerum familiarium deserunt, cui sæpe dum licite serviunt, etiam cum illicitis hujus mundi jurgiis implicantur. Cumque terrenas res studiose tueri desiderant, cordis requiem deserunt quam quærebant; et cum substantia fugiens continua provisione protegatur, conceptus in animo divinæ scientiæ sermo dissipatur, quia juxta veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt cum verbum Dei a memoria importunæ terrenarum rerum sollicitudines expellunt (Matth. XIII, 7; Luc. VIII, 14). Dissolutis itaque gressibus in rete ambulant qui dum mundum perfecte non deserunt, semetipsos gradiendo obligant ne gradientur. Et sunt nonnulli, qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quæ possident in mundo derelinquunt, semetipsos abjiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam quærunt, ab hujus mundi se actionibus separant, et pene quidquid prosperitatis arripserit, calcant; sed tamen adhuc vinculo carnalis cognitionis 50 obligati, dum amori propinquitatis

indiscrete deserviunt, ad ea sæpe per affectum cognitionum redeunt quæ jam proprio despectu subegerunt. Cumque plusquam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. Nam sæpe quosdam vidimus, quantum ad proprium studium spectat, jam præsentis vitæ desideria non habere et mundum opere et professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, et mundi in se studia jam dudum destructa reparare.

Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos a præsentis sæculo inchoata jam vitæ perfectio solvetur, sed inordinatus amor terrenæ cognitionis ligat? Qui enim districto studio et non dissolutis gressibus æternæ promissionis præmium sequuntur, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta quibus se sentiunt præpediti postponunt; et cum pro Deo necesse est, ut quibus valent inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Sed indiscretæ mentes hanc vivendi regulam nesciunt, et quo vias Dei dissolute appetunt, eo ad mundi itinera stulte replicantur. Recte ergo vir sanctus post Theman semitas, Saba itinera memorat, quia quos auster reprobi temporis solverit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem pravorum facta describens considerare hæc admonet nos, quia perversa agendo diligimus, sed hæc visa in aliis dijudicamus, et quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actione cognoscimus : sicque fit ut ad semetipsam redeat mens, et agere quod reprehendit crubescat, et quasi a speculo fœda facies displicet, dum mens a vita simili in se ipsa quod adversetur videt. At ergo : *Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper*. Ac si aperte diceret : Damna alieni temporis attendite, et tunc spem de æternis firmius sumitis, si recto cordis oculo quod in aliis displicet videtis.

Bene autem dicitur : *Exspectate paulisper*. Sæpe enim dum vitæ præsentis brevitatis quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, et 51 delectatus præsentibus, desperationis caligine reverberatur. Cumque longum putarit quod ad vivendi sibi spatium restat : repente vitam deserens, æterna invenit quæ vitare jam nequeat. Recte itaque dicitur exspectare paulisper, quia immensum est quod sine termino sequitur, et parum quidquid finitur. Longum quippe nobis videri non debet quod cursu sui temporis tendit ut non sit.

(78) Austri nomine quilibet fervens spiritu designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta quæ respiciebat ad austrum* (Ezech. XL, 24). Sicut aquilonis frigore peccatores, sic per australem viam ferventes spiritu designantur, qui calore sancti Spiritus accensi, ve-

(75) Ex lib. xxvii in Job, cap. 26.

(76) Hom. 18, in Ezechiel.

(77) Ex lib. vii in Job, cap. xiv, in principio, 17.

(78) Ex Hom. 19, in Ezech.

lat in meridiana luce virtutibus excrescunt. Notandum vero quia in spirituali ædificio alter aditus ad orientem, alius ad aquilonem, atque alius ad austrum patet. Per orientem quippe inchoantes, per aquilonem lapsi, per austrum ferventes spiritu designantur. Porta ergo ad orientem est fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem est spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperavit, funditus perit. Unde necesse est ut qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem misericordiæ reviviscat. Porta vero ad meridiem est charitas, quia igne amoris ardet. In meridiana enim parte sol in altum ducitur, quia per charitatem lumen fidei in Dei et proximi dilectione sublevatur. Patet ergo porta ad orientem, ut hi qui sacramenta fidei bene inchoaverunt, et in nullam postmodum vitiorum profunditatem demersi sunt, ad gaudia secreta perveniant. Patet porta ad aquilonem, ut hi qui post inchoationem caloris et luminis peccatorum suorum frigore et obscuritate dilapsi sunt, per compunctionem pœnitentiæ ad veniam redeant, et quæ sit internæ retributionis vera lætitia cognoscant. Patet porta ad meridiem, ut hi qui sanctis desideriis in virtutibus fervent, spirituali intellectu quotidie interni gaudii mysteria penetrent. Inter 52 hæc autem quæri potest cur quatuor mundi partes sibi, cur in hoc ædificio non quatuor, sed tres portæ esse memorantur. Quod recte quærendum fuerat, si propheta non spirituale, sed corporale ædificium, vidisset; sancta enim Ecclesia, id est speciale ædificium ut ad secreta gaudia pertingat, tres solummodo portas habet, videlicet fidem, spem et charitatem. Tribus igitur tantum portis ad interius atrium tenditur; quia per fidem, spem atque charitatem ad gaudia secreta pervenitur.

## CAPUT XV.

## DE AQUILONE.

*In Scriptura sacra aquilonis nomine aliquando malignus spiritus, aliquando gentilitas, aliquando peccatorum frigiditas designatur.*

(79) Aquilonis nomine malignus spiritus intelligitur, sicut beatus Job de Domino et eodem diabolo loquens, dicit: *Qui extendit aquilonem super vacuum* (Job xxvi, 7), pro eo namque quod ventus aquilo constringit in frigore, non incongrue aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque testatur, qui dixisse diabolum denuntiat, dicens: *Sedebit in monte testamenti in latere aquilonis* (Isa. xiv, 13). Malignus enim spiritus montem testamenti tenuit, quia Judaicum populum qui legem acceperat sibi per perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus præsidet; qui etiam in lateribus aquilonis sedet, quia mentes hominum frigiditas possidet. Bene ergo superextendi diabolus dicitur, quia

(79) Ex lib. xvii in Job, cap. xiv; et maxime hom. Ezech.

(80) Ex lib. xxvii in Job, cap. xxvi.

illa corda possidet quæ divini amoris gratia non replentur.

(80) Aquilonis nomine gentilitas designatur, sicut in libro beati Job ab Helio dicitur: *Ab aquilone aurum veniet* (Job xxxvii, 22). Quid enim per aquilonem nisi peccati frigore constricta gentilitas designatur? Quid vero auri nomine nisi animæ fideles exprimuntur? Unde per Jeremiam de quibusdam a bono tepescentibus dicitur: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (Thren. iv, 1). Aurum quippe obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiam versam in culpæ nigredinem vidit. Ab aquilone ergo aurum venire dicitur, quia per respectum gratiæ Redemptoris a gentilitate dudum perfidiæ torpore frigida in sancta Ecclesia pretiosa Deo vita fidelium multiplicatur. Ab aquilone etenim aurum venit, cum ab ipsius idolorum cultoribus vera in Domino fides clarescit.

(81) Aquilonis nomine peccatorum frigiditas designatur, sicut Ezechiel propheta ultimum iudicium ad feriendum peccatores agendum conspiciens ait: *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone* (Ezech. i, 4). Quid enim ventus turbinis aliud accipitur, nisi perturbatio iudicii? Quid vero aquilonis nomine nisi peccatorum frigiditas intelligitur? Ventus autem turbinis ab aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit ut districti iudicii concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimæ inde venire dicitur unde generatur. Nam quia ad feriendas frigiditas peccatorum mentes iudicii perturbationis ultimæ agitur, recte ab aquilone ventus turbinis venire perhibetur. Quæ videlicet concussio apte ventus turbinis esse dicitur, quia in illo die cunctorum, qui esse in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commovebuntur.

## 54 CAPUT XVI.

## DE FULGURE.

*In Scriptura sacra fulguris vel fulminis nomine aliquando execratio superni timoris, aliquando miracula sanctorum, aliquando extremi iudicii sententiæ signantur.*

(82) Fulguris nomine excitatio divini terroris intelligitur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens* (Ezech. i, 15). Ignis enim nomine sanctus Spiritus signari solet. De quo in Evangelio Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram. Et quid volo nisi ut accendantur?* (Luc. xii, 49.) Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris uritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur. Fulguris vero nomine terror divinus designatur. Sanctus ergo Spiritus in medio animalium splendor ignis, et de igne fulgur egrediens discursus

(81) Ex hom. ii, in Ezech. i, in exposit. horum verborum: *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.*

(82) Ex hom. v, in Ezech. by Google

rere dicitur, quia universam Ecclesiam replens, in electorum cordibus ex seipso flammam amoris projicit; ut coruscanti more per terrorem feriat, et ad amorem suum corda torpentia accendat. (83) Splendor ignis, et de igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus simul singulis atque omnibus praeesto sit, et incendit quos contigerit, et illuminat quos incendit, ut post frigus pristinum accensi ardeant, et per ignem amoris quem acceperint, flammam exemplorum reddant. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes mentes percutit, eas percutiendo excitat et inflamat, ut post amorem illius ardentem pariter et lucentes currant.

**55** (84) Fulgurum nomine miracula sanctorum designantur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?* (Job xxxviii, 35.) Quid enim per fulgura, nisi sanctorum praedicatorum miracula exprimentur? Fulgura quippe ex nubibus exeunt, sicut mira opera ex sanctis praedicatoribus ostenduntur: qui idcirco nubes vocari solent, quia et coruscant miraculis et pluunt verbis. Et quia humana corda, postquam per praedicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus conturbantur, propheta attestante didicimus, qui ait: *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos* (Psal. xvii, 15).

(85) Ac si diceret: Dum verba praedicationis tuae non audiunt, per praedicatorum miracula conturbantur. Dicitur ergo ad beatum Job: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt: et revertentia dicent tibi: Adsumus?* Subaudis, ut mihi. Vadunt enim fulgura, cum praedicatores miraculis coruscant, et superna revertentia auditorum corda transfigunt. Revertentia vero dicunt: Adsumus, cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt quicquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est enim Deo dicere, adsumus? Quoddam namque in hoc verbo declaratur obsequium. Revertentes itaque praedicatores sanctos dicere, adsumus, est illi laudem tribuere gratiae a quo se accepisse sentiunt victoriam pugnae, ne sibi tribuant quod operantur. Et ire quidem fulgura operando possunt, sed reverti superbiendo non possunt. Videamus fulgur vadens. Claudio cuidam ait Petrus: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatae sunt bases ejus, et plantae, et exiliens stetit et ambulabat* (Act. iii, 6, 7). Sed cum de hoc facto Judaeorum turba fuisset commota, videamus nunc fulgur rediens quod ait: *Viri Israelitae, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit puerum*

(83) Haec habentur paulo post superiora.

(84) Ex lib. xxx in Job, cap. xxi.

(85) Hunc locum omnes versiones legunt, v. 15, in praesenti perfecti, persona tertia.

*suum Jesum* (ibid., 12; 13), et paulo post: *Cujus nos testes sumus, et in fide nominis ejus hunc quem videtis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides quae per eum est dedit, integram sanilitatem istam, in conspectu omnium vestrum* (ibid., 15, 16). Id ergo fulgur cum Petrus miraculum facit redit, cum non sibi tribuit quod facit. Vadunt itaque fulgura, cum praedicatores sancti mira opera ostendunt, sed revertendo dicunt, adsumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam auctoris recurrunt.

(86) Fulminum nomine tremendae extremi judicii sententiae exprimentur, sicut ad beatum Job de diaboli damnatione Dominus loquens, ait: *Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur* (Job xli, 14). Quid enim fulminum appellacione, nisi tremendae illae extremi judicii sententiae designantur? Quae idcirco fulmina vocantur, quia nimirum eos quos feriunt, in perpetuum incendunt; fulmen namque super diabolum venire Paulus aspexerat, cum dicebat: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (II Thess. ii, 8). Haec autem quae in eum mittentur fulmina, ad locum alium non ferentur, quia justis gaudentibus solis tunc reprobos feriunt. Nam post triturationem vitae praesentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro inter triticum paleasque discernitur, ut nec in tritici horreum paleae transeant, nec in palearum ignem horrei grana delabantur. Illa ergo fulmina locum alium nequaquam tangunt, quia videlicet igne suo non grana, sed paleas incendunt.

## 57 CAPUT XVII.

### DE TONITRUO.

*In Scriptura sacra tonitruum nomine aliquando incarnatus Dominus Jesus Christus, aliquando praedicationis superni terroris accipitur.*

(87) Tonitruum nomine incarnatus Dominus intelligitur, qui ex antiquorum Patrum convenienter prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione, prolatus est, qui inter nos visibiliter apparet, ea quae super nos erant terribiliter sonuit. Unde et ipsi sancti apostoli de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitruum sunt vocati.

(88) Tonitruum nomine praedicationis superni terroris accipitur, unde beatum Job Dominus interrogat dicens: *Quis dedit vehementissimo imbro cursum, et viam sonantis tonitruum* (Job xxxviii, 25). Imber enim vehementissimus est vis immensa praedicationis. Tonitruum vero via, praedicationis superni terroris accipitur. Quem terrorem dum percipiunt humana corda, quatuntur. Sed quia quilibet praedicator verba auribus dare potest, corda vero aperire non potest; et nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus praedicatorum verbis ad corda audientium invisibili-

(86) Ex lib. xxxiv in Job. cap. v. 13.

(87) Ex lib. in Job, cap. xiii, 15, post medium.

(88) Ex loco nunc signato.



ter aditum præstet, incassum prædicatio aure audientis percipitur, quæ pervenire ad intima surdo corde prohibetur. Se Dominus vehementissimo imbri cursum et viam sonantis tonitruï dare asserit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus prædicator egregius, dum superna mysteria terribiliter intonaret, se a se habere non posse conspiciens discipulos admonebat, dicens. *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi ad loquendum mysterium Christi (Col. iv, 3).* **58** Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis a Domino aperiri ostium precabatur, habebat jam quidem tonitruum, sed dari ei desuper viam quærebat. Hanc viam rursus quis daret intimabat, dicens: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus (1 Cor. iii, 7).*

## CAPUT XVIII.

## DE NIVE.

*In Scriptura sacra nivis nomine aliquando candor vitæ cœlestis, aliquando frigida corda pravorum, aliquando sublimia corda sanctorum, aliquando animadversio superni iudicii designantur.*

(89) Nivis nomine candor vitæ cœlestis designatur, sicut per Jeremiam de Nazaræis dicitur: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores (Thren. iv).* Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium et continentium vita designatur, quæ nive et lacte candidior dicitur? Nix enim ex aqua congelascit quæ desuper venit. Lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid ergo per nivem, nisi candor vitæ cœlestis; quid per lac nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi, qui cœlestem vitam tenuerunt, multi qui terrena bene dispensaverunt, superari videantur, et candidiores nive et nitidiores lacte referuntur. Qui etiam quia per fervorem spiritus, antiquorum ac fortium Patrum nonnunquam vincere vitam videntur, recte adjungitur: *Rubicundiores ebore antiquo.* Dum enim ruboris nomen imprimitur, sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. **59** Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus Patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut totum simul ostendatur, adjungitur: *Sapphiro pulchriores.* Ætherei quippe coloris est sapphirus. Et quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes, per cœlestem conversationem videntur vincere, narrantur sapphiro pulchriores exstitisse.

Nivis vel grandinis nomine, frigida pravorum corda designantur, sicut ad beatum Job Domino interrogante dicitur: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspestisti, quæ paravi*

*A in tempus hostis et in diem pugnae et belli? (Job xxxviii, 22).* Quid enim aliud in nive, vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum? Sicut enim fervore charitas, sic solet in sacro eloquio, frigore malitia designari. Scriptum namque est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic facit animam malitia sua (Jer. vi, 7).* Et rursus: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum (Matth. xxiv, 12).* In frigore ergo nivis, vel in duritia grandinis, quid accipi aptius potest quam vita pravorum, quæ et per torporem frigescit, et per duritiæ malitiam percutit? Quorum tamen vitam Dominus tolerat, quia eos ad justorum suorum probationem servat. Unde apte subjungit: *Quæ præparavi in tempus hostis et in diem pugnae et belli,* ut cum adversarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum moribus, quasi suis contra nos armis utatur. Per ipsos quippe nos sæviens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsi flagellum fiunt, de quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Unde agitur ut electorum vitæ proficiat etiam perdita vita reproborum, et utilitati nostræ, dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat, quatenus electis Dei non pereat etiam omne quod perit.

(90) Nivis nomine sublimia corda sanctorum designantur, sicut per Eliu dicitur: *Qui præcipit nivi ut descendat in terram (Job xxxvii, 6).* Quia Psalmista ait: *Lavabis me, et super nivem dealabor (Ps. l).* Quid hoc loco per **60** nivem, nisi per lucem justitiæ candida accipimus corda sanctorum? Aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, ut nives fiant. Sed cum hæ ipsæ nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes, quæ dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur. Cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia in terris adhuc fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant: et infirmis humiliter prædicantes, more nivium, corda arentium liquatæ rigant. Nives ergo ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimia corda sanctorum, quæ jam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix terram, cum jacet, operit; cum vero liquatur, rigat; ita sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, et per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram, ut fructus proferat, infundit. Et quia aqua prius ab inferioribus trahitur, ut post a superioribus sparsa reddatur, sancti quique etiam cum in virtutis arce consistunt, unde elevati sunt, considerant, ne alienæ infirmitatis abjecta contemnunt. Quasi ergo aquæ ad terras, de quibus sublevatæ sunt redeunt, dum condescendentes, justi peccatoribus, reminisci non desinunt quod fuerunt. Certe aqua terris adhuc

(89) Ex lib. xxxii in Job, cap. xvii, post medium, 23

(90) Ex lib. xxvii in Job, cap. xiv, 17.

Paulus fuerat, cum legem carnaliter sapiebat. Sed ductus ad caelestia, in nivem versus est, quia quod prius infirmum sapuit, ad soliditatem veræ intelligentiæ commutavit; et tamen condescendens fratribus, quasi nix ima repetiit, quia post virtutum culmina, quam fuerit indignus agnoscit dicens: *Qui prius sui blasphemiam et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I Tim. I, 13, 14). Ecce quam clementer suæ imbecillitatis reminiscitur, ut aliorum æquanimiter infirma patiatur. Quasi enim ad terram, de qua sumpta fuerat, post cælum aqua rediit, dum suæ tanta contemplationis arcana peccatorem se Paulus meminit, ut prodesse humiliter peccatoribus possit.

Videamus itaque aqua hæc in nivis **61** soliditatem vertenda, qualiter trahatur, ad summa, ait: *Sine mente excedimus Deo* (II Cor. v, 15). Videamus qualiter ad ima nix redeat, ut dum liquatur, infundat. Ait: *Sive sobrii sumus vobis* (ibid.) Videamus qua manu ducitur, et ut jacens elevari valeat, et sublevatus revocari. Ait: *Charitas Christi urget nos* (ibidem., 14). Quia igitur charitas Christi, quæ sanctorum mentes ad superna sublevat, eas pio moderamine, pro fraterna dilectione, etiam ad humilitatem condescensionis format, recte dicitur: *Qui præcipit nivis ut descendat in terram.*

(91) Nivis nomine, animadversio superni iudicii exprimitur, sicut per beatum Job dicitur: *Qui timeat pruina, irruet super eos nix* (Job vi, 16). Quid enim per pruina nisi temporalis adversitas, quid per nivem nisi de supernis veniens æterna tribulatio signatur? Pruina quippe inferius gelscit, nix autem de superioribus ruit. Et sæpe nonnulli, dum temporalia adversa pertimescunt, districtio æternæ animadversionis se obijciunt. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (Psal. xliii, 5). Iste namque veritatem jam libere defendere appetit; sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cumque in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis

iram cœlitus sustinet. Ille peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet indigentibus jam largiri desiderat; sed tamen ne datis rebus egeat ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus præparat ab alimentis misericordiæ animam necat; et cum pati in terra inopiam metuit, æternam abundantiam sibi supernæ refectionis abscondit. Recte ergo dicitur: *Qui timeat pruina, irruet super eos nix*, quia qui conculcanda in infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur; et cum transire nolunt quod calcare poterant, indicium de supernis excipiunt quod tolerare nequaquam possunt.

## 62 CAPUT XIX.

DE GRANDINE.

**B** *In Scriptura sacra, grandinis nomine aliquando intelligitur sanctorum increpatio, aliquando dura et frigida corda pravorum.*

(92) Grandinis nomine sanctorum increpatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Præfulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (Psal. xvii, 13). Præfulgore enim nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate præcurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati sunt, quia et per correptionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt. Ipsa quippe libera sanctorum increpatio natura grandinis convenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium, et terentes feriunt, et blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant, idem Psalmista testatur dicens: *Virtutem terribilium tuorum dicent, magnitudinem tuam narrabunt* (Psal. cxlii, 6). Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit: *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt et justitia tua exsultabunt* (ibid., 7).

Grandinis quoque nomine, dura et frigida corda pravorum designantur, sicut in præcedenti capitulo declarat quod de nive posuimus: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* (Job xxxviii, 22.)

## 63 INCIPIT LIBER SECUNDUS.

### CAPUT PRIMUM.

DE AVIBUS.

*In Scriptura sacra avium vel volucrum nomine, quando singulari numero ponuntur, aliquando Redemptor noster designatur, aliquando diabolus, aliquando mens humana; quando autem pluraliter ponuntur, aliquando designantur aeris potestates, aliquando mentes spiritualium virorum, aliquando superborum, aliquando leves cogitationes.*

(93) Avis nomine Redemptor noster designatur,

(91) Ex l. vii in Job, cap. x, 115.

(92) Ex l. xxix in Job, cap. x.

(93) Ex l. xviii in Job, cap. 19, paulo ante

**D** sicut in Job Judaico populo dicitur: *Semitam ignoravit avis* (Job xxviii, 7). Quis enim hoc loco avis nomine, nisi ille signatur qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera libravit? Cujus semitas perfidus Judæorum populus ignoravit, quia humilitatis ejus vias quibus nos ad alta sublevavit, considerare noluit.

**64** (94) Avis nomine, diabolus designatur, sicut de ipso per Dominum ad beatum Job dicitur: *Nunquid finem.*

(94) Hæc disperse ex l. xxxiii in Job, cap. xiv.

*illudes ei quasi avi (Job xl, 24)*. Avis siquidem A dictus est humani generis adversarius propter subtilis naturæ levitatem. Avis est, quia de naturæ suæ subtilitate superbe extollitur. Avis est, quia nunquam per indomitam superbiam se etiam lucis angelum simulat. Cui, quasi avi Dominus illudit, dum ei in passione unigeniti Filii sui ostendit escam carnis, sed laqueum abscondit divinitatis (95). Vidit enim quod ore perciperet, sed non quod vidit guttur teneret. Unde quasi avis illusus divinitatis ejus laqueum pertulit, dum humanitatis ejus escam momordit.

(96) Avis nomine mens humana accipitur, sicut in lib. beati Job scriptum est : *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum (Job v, 7)*. Quid enim hominis nomine nisi exterior noster homo, id est caro, et quid avis appellatione, nisi interior homo, id est mens, signatur? Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum : quia in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur, Paulo attestante, qui ait : *Et licet is qui foris est noster homo corrumpitur : tamen, is qui intus est renovatur de die in diem (II Cor. iv, 16) (97)*. Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum : quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infinis durius laborat.

(98) Volucrum nomine aeris potestates designantur bonorum studiis adversæ : sicut Veritatis ore in Evangelio dicitur quoniam semen quod secus viam ececidit, venerunt volucres et comederunt C *Jud (Matth. xiii, 4; Marc. iv, 4)*, quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt. Hinc rursus cuidam diviti superba sapienti dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (Matth. viii, 20; Luc. ix, 58)*. Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis vel specubus absconduntur. Cumque apparuerint nunquam rectis itineribus sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres vero, ut novinus, alto volatu se in aera sublevant. Nōmine ergo vulpium dolosa atque **65** fraudulenta, nominē autem volucrum hæc eadem superba dæmonia designantur, ac si dicat : *Fraudulenta et elata dæmonia in corde nostro, id est in cogitatione superbis inveniunt habitationem suam ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet, id est humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit.*

(99) Volucrum nomine mentes spiritualium designantur, sicut in Evangelio Dominus cum similitudinem regni cœlestis ex grano sinapis denuntiaret, dixit : *Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ? Simile est grano sinapis quod ac-*

*ceptum homo misit in hortum suum et crevit ; et factum est in arborem magnam, et volucres cæli requieverunt in ramis ejus (Luc. xiii, 18, 19)*. Ipse est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. Granum, quia *vidimus eum et non erat aspectus (Isa. liii, 2)* ; arbor autem : quia *speciosus forma præ filiis hominum (Psal. lvi)*. Hujus arboris rami sancti prædicatores sunt. Et videamus quam late tendantur. Quid de eis dicitur ? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (Psal. xviii)*. In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum penus a terrenæ cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

(100) Volucrum nomine superbiorum mentes designantur, sicut in libro beati Job ab Eliu dicitur : *Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cæli erudit nos (Job iii, 11)*. Jumenta terræ sunt qui usu vitæ carnalis ima appetunt. Volucres cæli sunt, qui superbæ curiositatis studio sublimia perscrutantur. Illi vivendo se deponunt infra quam sunt ; isti inquirendo se elevant ultra quam possunt. Illos in infinitis voluptas dejicit carnis, istos quasi in superioribus erigit libido curiositatis. Illis per sacra eloquia dicitur : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. xxxi, 9)* ; istorum superbus labor increpatur, cum dicitur : *Altiora te ne **66** quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (Eccli. iii, 12)*. Illis dicitur : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam quæ est idolorum servitus (Coloss. iii, 15)*. Istis dicitur : *Nemo vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. ii, 8)*. Docet ergo nos Deus super jumenta terræ, et super volucres cæli erudit nos, quia dum hoc quod sumus agnoscimus, nec carnis nos infirmitas dejicit, nec superbis spiritus elevat. Nec defluendo imis subijcitur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim labitur carne, jumentorum appetitu prosternitur ; qui vero extollitur mente, more volucrum, quasi levitatis penna sublevatur.

(101) Avium nomine cogitationes designantur. Unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose ne oblatum sacrificium raperent abegit *(Gen. xv, 11)*. Quid enim per aves, nisi perversas cogitationes accipimus ? Sæpe enim etiam corda justorum subortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationes tangunt, sed dum citius manu sanctæ

(95) Hæc habentur sub finem cap.

(96) Ex lib. ix in Job, cap. vii. Potius juxta D. Gregorii sensa quam verba.

(97) Sunt hæc translata ex notato Greg. loco, ad ebum.

(98) Ex lib. xix in Job, cap. i.

(99) Ex loco supra notato.

(100) Ex l. xxvi in Job, cap. xiii, 11.

(101) Ex l. xvi in Job, cap. xix, 20.

districtio abiguntur, festine agitur ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebatur. Nam sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis fentes immolamus. Sed nos cum in ara cordis sacrificium Deo offerimus, exemplo Abraham hoc ab immundis volucris custodiamus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant quod mens nostra offerre se Deo utiliter sperat.

## 67 CAPUT II.

### DE AQUILA.

In Scriptura sacra aquilæ nomine aliquando maligni spiritus, aliquando præsentis sæculi potestates, aliquando vero spiritualiter Joannes Evangelista vel incarnatus Dominus, aliquando dignitas humanæ conditionis, aliquando subtilis sanctorum intelligentia, aliquando electorum animæ designantur.

(102) Aquilarum nomine maligni spiritus exprimitur, Jeremia attestante qui ait : *Velociores fuerunt aquilis cæli persecutores nostri* (Thren. iv, 19). Persecutores enim nostri aquilis cæli velociores sunt, cum tanta contra nos maligni spiritus faciunt ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur.

(103) Aquilæ vocabulo potestas figuratur terrena sicut per Ezechielem dicitur : *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit* (Ezech. xvii, 3, 4). Qua videlicet aquila, quis alius quam Nabuchodonosor rex Babylonie designatur? Qui pro immensitate exercitus, magnarum alarum; pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu; pro multis vero divitiis, plena plumis; pro innumera autem terrene gloriæ compositione, plena varietate describitur? Qui venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit, quia Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi cedri medullam abstulit. Et dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit.

Aquilæ nomine, spiritualiter Joannes Evangelista, vel incarnatus Dominus exprimitur. Unde Ezechiel dum sub animalium specie evangelistas quatuor se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, et aquilæ faciem apparuisse testatur (Ezech. i, 14, 10), quartum procul dubio animal Joannem per aquilam significans, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria verbis vivendo penetravit. Cui nimirum prophetice sententiæ ipse quoque Joannes in revelatione sua de semetipso non dissonat, dicens : *Animal primum, simile leoni; secundum animal, simile vitulo; tertium animal, habens quasi faciem hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti* (Apoc. iv, 7). Et quamvis singula ad unumquemque

evangelistam recte conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii maculationem quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens, quasi ortum solis aquila aspectat, possunt tamen hæc quatuor animalia, ipsum suum caput, cujus sunt membra signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; et leo, quia per divinitatis suæ fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; et ad extremum aquila, quia ad cælum de quo venerat rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo vocatus est.

Aquilæ nomine dignitas humanæ conditionis exprimitur, sicut per beatum Job dicitur : *Dies mei pertransierunt sicut aquila volans ad escam* (Job ix, 25). Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, et annisu præpeti ad æthera libratur, sed per appetitum ventris terras expetit, seseque a sublimibus repente deorsum fundit. Sic, sic humanum genus in parente primo ad ima de sublimibus corrui. Quod nimirum conditionis suæ dignitate in rationis celsitudine, quasi in aeris libertate suspenderit: sed quia, contra præceptum, cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, et quasi post volatum carnibus pascitur, quia illa liberæ contemplationis inspiracula perdidit et deorsum corporeis voluptatibus lætatur. Sicut ergo aquila volans ad escam dies nostri velociter transeunt, quia quo ima petimus, eo subsistere in vita prohibemur.

(104) Aquilæ nomine, subtilis sanctorum intelligentia designatur, sicut ad beatum Job a Domino sub interrogatione dicitur : *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum sibi?* (Job xxxix, 30.) Quid enim per aquilam nisi subtilis sanctorum intelligentia, et sublimis eorum contemplatio figuratur? Cunctorum quippe avium visum acies aquilæ superat, ita ut solis radius fixos in se oculos ejus nulla lucis suæ coruscatione reverberans claudat. Ad præceptum autem Dei elevatur aquila, dum jussionibus divinis obtemperans in supernis suspenditur fidelium vita. Quæ et in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens spe jam de cælestibus nutritur. In arduis nidum ponit, quia habitationem mentis suæ in abstracta et infima conversatione non construit. Interrogat ergo Dominus beatum Job, dicens : *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* Ac si diceret. Ut ad meum, qui quod exterius præcipio, hoc intrinsecus gratia occultæ largitatis inspiro.

(105) Aquilarum nomine, electorum animæ intelliguntur, sicut de egredientibus fidelium animabus in Evangelio Veritas testatur, dicens : *Ubicunque*

(102) Ex l. xxxi in Job, c. xix, 35.

(103) Ex superioribus comment. in Job.

(104) Ibidem 1, 2, 3, dist.

(105) Ex l. xxx in Job, cap. xxii, 37.

*fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (Matth. A xxiv, 28; Luc. xvi, 37). Ac si aperte dicat. Qui cœlesti sede incarnatus Redemptor vester præsideo, electorum quoque animas, cum carne solvero, ad cœlestia sublevaro.*

### 70 CAPUT III.

#### DE COLUMBA.

*In Scriptura sacra columbæ nomine aliquando mansuetudo Domini intelligitur, aliquando Christus totus, id est caput cum corpore, aliquando Spiritus sanctus, aliquando sancta Ecclesia.*

(106) Columbæ nomine, mansuetudo Domini intelligitur, sicut per prophetam dicitur: *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini (Jer. xxvi, 38).* Quod iram columbæ prædixerat hoc furorem Domini subjunxit. Columba **B** namque valde simplex est animal. Et quia in Deo nulla furoris inæqualitas serpit, furorem Domini, iram columbæ nominavit. Ut enim divinæ districtiois vim in Deo imperturbabilem demonstraret, et iram dixit, et columbæ. Ac si apertius diceret: Districtum iudicium inconcussus exerit, qui permanens mansuetus punit. Unde et in extremo iudicio in semetipso incommutabilis manens nulla vicissitudine ac mutabilitate variatur, sed tamen electis ac reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia tranquillius justis, et iratus parebit injustis. Teste enim conscientia, intra semetipsos deferuntur, unde et eorum mentes æque unum respiciant, sed non æqualiter modificentur, **C** quia et istis eum benignum ostendit, anteacta iustitia, et illis terribilem culpa. Hoc itaque loco furor Domini non perturbatio divinæ substantiæ, sed super peccatores male sibi conscios examinatio justa vindictæ. Quamvis enim eum tranquillum in iudicio videant, quia tamen feriendos se ab illo non dubitant, cum suis moribus perturbatum putant. **71** Hoc nimirum quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut de qualitate venturi iudicis mortalium corda doceantur. Nam cum duo ad iudicium pergunt, alius innocentiae sibi conscius, alius culpæ, ante prolatam sententiam adhuc tacentem iudicem utrique sustinent; et tamen culpæ debitor gravem contra se iram hoc ipsum iudicis silentium suspicatur. Quam iram sibi non denuntiat perturbatio iudicis, sed **D** recordatio pravitatis. Quia etsi adhuc foris reum sententia non clamat, intus jam graviter conscientia accusat. At contra iustitiæ amicus decernentis vultum conspicit, sed intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit, et quo apud se quod metuat non habet omne quo apud semetipsum est blandum videt.

### CAPUT IV.

#### DE TURTURE.

(107) Columbæ nomine, Christus totus, id est caput cum corpore suo, quod est Ecclesia, designatur. Unde per legem turturi vel columbæ in fl-

(106) Ex l. xxxii in Job, cap. vii, 6, paulo post initium.

gura nostri sacrificii secari guttur, et non penitus abscindi iubetur (*Levit. i, 16*), ita ut post mortem caput corpori inhæreat. Quis enim caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est: *Ipsam caput dedit supra Ecclesiam, quæ est corpus ipsius (Ephes. i, 22).* Quem cum Judæi persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum et sepultum viderent, hunc se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput columbæ vel turturis et incisum est, et tamen a suo corpore divisum non est, qui ex eo quod Mediator Dei et hominum, id est caput omnium nostrum, et veræ mundationis hostia pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte conjunxit. Et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Post sectionem igitur caput turturis vel columbæ suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesia, nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt, **72** intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem; sed inde fides crevit, unde se hanc infidelium crudelitas, extinguere credidit. Cumque se æstimant, ejus miracula persequendo abscindere, hoc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Caput ergo columbæ vel turturis incisum inhæsit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis per passionem separatus non est.

Columbæ nomine Spiritus sanctus designatur, sicut per Matthæum evangelistam dicitur: *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et manentem super se (Matth. iii, 16).* Unde et ipse Joannes Baptista ait: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo et mansit super eum (Joan. i, 32).* Bene autem spiritus reconciliator, in columba, quæ multum simplex est avis, apparuit, ut suæ et videlicet naturæ simplicitatem per hujus speciem animalis ostenderet; spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fletum (*Sap. i, 3*), et eum in quem descendit mansuetum, mitemque, ac misericordiæ supernæ præconem ministrumque doceret mundo esse futurum: simul et omnes qui sua gratia essent renovandi simplices ac mundi cordes admoneret ingredi, juxta quod scriptum est: *Sentite de Domino in bonitate et simplicitate cordis; quærite illum, quoniam in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (Sap. i, 4).* Bene ergo super Dominum Spiritus sanctus in columba apparuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Quis enim ejus iustitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit; noluit peccatores ferire, sed colligere. Prius voluit

(107) Ex l. vi in Job, cap. xii, longius ante finem, 13.

**mansuete corrigere, ut haberet quos post mundum A** in iudicio salvaret.

**73** Columbae nomine sancta Ecclesia sive quælibet electa anima designatur, sicut eidem vel Ecclesiae vel animæ veri luminis diem quasi tempus vermale præstolanti per sponsi vocem dicitur: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni; jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Sive enim sancta Ecclesia, sive unaquæque electa anima, cælesti sponso est amica per amorem, columba per spiritum, formosa per morum pulchritudinem. Quæ cum jam de corruptione carnis educitur, ei procul dubio hiems transiit, quia præsentis vitæ torpor abscedit. Imber quoque abiit, et recedit, quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum educitur, jam verborum guttæ necessariæ non erunt, ut pluvia debeat prædicationis infundi: nam quod minus audire potuit, amplius videdit. Tunc apparent flores in terra, quia cum de æternæ beatitudinis vita quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi jam in floribus odorata exit. Quo postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit.

#### CAPUT V.

##### DE GALLO.

*In Scriptura sacra galli nomine sanctus prædicator designatur.*

Galli nomine prædicator sanctus designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Tria quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullum pavebit occursum. Gallus succinctus lumbos et aries; nec est rex qui resistat ei* (*Prov. xxx, 29, 30*). Hinc beatum Job Dominus interrogat, dicens: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* (*Job xxxviii, 36.*) Sapientia quippe divinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum quantum ad electorum numerum spectat, non in solis **74** vocibus, sed etiam sensibus datur, ut juxta quod loquitur lingua, vivat conscientia, et lux ejus tanto clarius resplendeat in superficie, quanto verius inardescit in corde. Magni autem laboris est hoc quod additur: *Quis dedit gallo intelligentiam, subtiliori adhuc expositione discutere.*

Qui namque hoc loco alii, nisi prædicatores sancti designantur, qui inter tenebras vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nuntiare? Dicunt enim: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom. xiii, 12*). Qui vocibus suis somnum nostri corporis excutiunt clamantes: *Hora est jam nos de somno surgere* (*ibid., 11*). Et rursus: *Evigilate, jasti, et nolite peccare* (*I Cor. xv, 34*). Intelligentia autem doctorum tanto esse subtilior debet, quanto se ad penetranda invisibilia exercet, quanto nihil materiale discutit, quanto et per vocem corporis loquens omne quod est corporis

transit. Quæ tamen profecto nullatenus summis congrueret, nisi eam cantanti gallo, id est, prædicanti doctori ipse summorum conditor ministraret. Intelligentiam quoque gallus accipit, ut prius nocturni temporis horas discutiat, et tunc demum vocem excitationis emittat, quia videlicet sanctus quisque prædicator prius in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat, et tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est peccatorum merita judicare. Quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere.

Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia doctori veritatis, discretionis virtus, ut noverit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat divinitus ministratur. Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe quippe aliis officiant quæ aliis prosunt. Nam et plerumque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt. Et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit. Et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut ad sua singulis **75** congruat, et tamē a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cithara tentationes strictæ [*al. strætæ*] chordarum? Quas tangendi artifex, ut non semetipsis dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

(108) Habemus vero aliud, quod de hujus galli intelligentia considerare debeamus. quia profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus appropinquat, leviores et minutiores omnimodo voces format. In quibus galli hujus intelligentia, quid nobis insinuat considerata prædicatorum discretio demonstrat, qui cum iniquis adhuc mentibus prædicant, altis et magnis vocibus æterni iudicis terrores intimant, quia videlicet quasi in profundæ noctis tenebris clamant. Cum vero jam auditorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem in levitatem dulcem vertunt, et non tam illa quæ sunt de pœnis terribilia, quam ea quæ sunt blanda de præmiis proferunt. Qui etiam tunc minutis vocibus cantant, quia propinquante mane subtilia quæque de mysteriis prædicant, ut sequaces sui eo minutiora quæque cælestibus audiant, quo luci veritatis appropinquant, et quos dormientes longus galli clamor excitaverat, vigilantes succisior delectet, qua-

(108) Circa medium capitis iv hæc leguntur.

tenus correcto cuilibet cognoscere de regno subtiliter dulcia libeat, qui prius de iudicio adversa formidabat.

(109) Est adhuc aliud in gallo solerter intuendum, quia cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens vigilantiozem reddit. Quod patenter cernimus, si sanctorum prædicatorum vitam vigilantem videamus. Ipsi quippe cum verba prædicationis movent, prius se in sanctis actionibus exercent: ne in semetipsis torpentes opere, **76** alios excitent voce; sed ante, se per sublimia facta excutiunt, et tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt. Prius cogitationum alis semetipsos feriunt, quia quidquid in se inutiliter torpet sollicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant, et tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Prius ergo alis insonant quam cantus emittant, quia antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt operibus clamant. Et cum perfecte in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant. Sed unde hæc tanta doctori intelligentia, ut et sibi perfecte vigilet, et dormientes ad vigilias sub quibusdam clamoris profectibus vocet, ut et peccatorum tenebras prius caute discutiatur, et discrete postmodum lucem prædicationis ostendat, ut singulis juxta modum et tempora congruat, et simul omnibus quæ illos sequantur ostendat. Unde ad tanta et tam subtiliter tenditur; nisi intrinsecus ab eo a quo est conditus, doceatur? Quia ergo laus tantæ intelligentiæ, non prædicatoris virtus est, sed auctoris, recte per eundem auctorem dicitur. *Quis dedit gallo intelligentiam?* ac si diceret, nisi ego, qui doctorum mentes, quas mire ex nihilo condidi, ad intelligenda quæ occulta sunt mirabiliter instruxi.

### 77 CAPUT VI.

DE GALLINA.

*In Scriptura sacra gallinæ nomine aliquando sapientia Dei denotatur.*

Gallinæ nomine sapientia Dei designatur, sicut per ipsam in Evangelio dicitur: *Jerusalem quæ occidis prophetas, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti?* (Matth. xxiii, 37.) Non est injuriosum nomen gallinæ. Attendite cæteras aves. Multæ aves ante nos fetant, calefaciunt pullos suos: nulla sic avis infirmatur cum pullis quomodo gallina. Hirundines, auferes, et ciconias videmus extra nidos suos, nec cognoscimus utrum fetus habeant. At vero gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, et in relaxatione plumarum. Tota mutatur affectu pullorum; quia infirmi sunt, infirmam se facit. Quia ergo et nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia Dei, quia ut scribitur: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Pa-*

(109) Hæc sub finem capituli.

### 78 CAPUT VII.

DE CORVO.

*In Scriptura sacra corvi nomine aliquando gentilitas intelligitur, aliquando plebs Judaica, aliquando quilibet prædicator.*

(110) Corvi nomine gentilitas intelligitur: Unde ad beatum Job Domino interrogante dicitur: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad Dominum clamant vagantes, eo quod non habeant cibos?* (Job xxxviii, 41.) Quid enim corvi pullorumque ejus nomine, nisi peccatis nigra designatur gentilitas? De qua per Prophetam dicitur: *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (Psal. cxlvi, 9). Jumenta quippe escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis vero corvorum, filiis scilicet gentium esca datur, cum eorum desiderium nostra conversatione relucitur. Iste corvus esca fuit, dum ipsum sancta Ecclesia quæreret; sed nunc escam accipit, quia ipse ad conversationem alios exquirat. Cujus videlicet pulli, id est prædicatorum ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur: *Quando pulli ejus ad Dominum clamant.* Nihil enim sua virtute posse se sciunt, et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt: *Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. iii, 7).

Quod vero dictum est, *vagantes eo quod non habeant cibos*, in hac vagatione nihil aliud quam æstuantium prædicatorum vota signantur, qui dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desiderium mittunt. Quasi quædam quippe vagatio est ipsa **79** cogitationis æstuatio. Et velut ad loca varia mutatis nutibus transeunt, dum pro adunandis animabus in modos innumeros, in partes diversas esuriente mente discurrunt.

Potest corvi nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Judaica designari. Nam pulli ejus ad Dominum clamare referuntur, ut eidem corvo a Domino esca præpararetur, quia nimirum sancti apostoli plebis Israeliticæ carne generati, dum pro gente sua preces ad Dominum fundunt, quasi pulli corvorum eum, de quo carnaliter editi sunt, spirituali intelligentia parentem populum paraverunt. Igitur dum pulli ejus clamant, esca corvo præparatur, quia dum apostoli exorant, plebs dudum perfida ad cognitionem fidei ducitur, et ex prædicatione filiorum quasi ex pullorum voce satiatur. Illud tamen in hoc versu debemus solerter intueri, quod huic corvo dicitur esca primum pullis clamantibus, et postmodum vagantibus præparari. Clamantibus namque pullis corvo esca præparata est, cum prædicantibus apo-

(110) Ex lib. xxx in Job, cap. xxxviii, in principio 12.

stolis verbum Dei Judæa audiens, modo in tribus millibus, modo in quinque millibus spirituali est intelligentia satiata. Sed cum per reproborum multitudinem, crudelitatem suam contra prædicantes exerceret, et quasi pullorum vitam necaret, iidem pulli in universa mundi parte sunt dispersi. Unde et eisdem carnalibus patribus spirituali prædicationi resistentibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (Act. xiii, 46), scientes profecto quod postquam gentilitas crederet, etiam Judæa ad fidem veniret. Unde scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus feret* (Rom. xi, 25, 26). Quia igitur summopere sancti apostoli et studuerunt prius audientibus prædicare, et postmodum resistentibus exempla conversæ gentilitatis ostendere, quasi esurientes pulli huic corvo escam suam et prius clamando, et postmodum vagando quæsierunt. Unde enim vagantur pulli, inde escam corvus invenit, quia dum per laborem prædicantium conversam ad Dominum gentilitatem **80** Judaicus populus respicit, ad extremum quandoque stultitiam suæ erubescit infidelitatis: et tunc Scripturæ sacræ sententias intelligit, cum priusquam sibi eas gentibus innotuisse cognoscit, atque expleta vagatione pullorum, ad percipienda sacra eloquia os cordis aperit, quia, peractis in mundum cursibus apostolorum, ea sero spiritualiter percipit, a quibus diu perfidia se stringente jejunavit. Quæ quia omnia solius divinæ potentiae virtus operatur, recte dicitur: *Quis præparavit corvo escam suam, quando pulli ejus ad Dominum clamant vagantes, eo quod non habeant cibos?* subaudi, nisi ego, qui infidelem populum filiis suis exhortantibus tolero, et prædicantibus parco, atque ad alia vagantibus convertendum in fine sustineo.

(111) Est adhuc aliud, quod de corvo moraliter possit intelligi. Editis namque pullis, ut fertur, escam plenam præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant. Eosque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantur, in nido et ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cum nigrescere cœperint, tanto eis præbendo alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit. Corvus profecto est doctus quique prædicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam atque cognitionem infirmitatis propriæ quasi quandam coloris nigredinem portat. Cui quidem nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, fortasse a peccatis præteritis memoriam avertunt, et per hoc eam quam assumi oportet, contra hujus mundi gloriam, humilitatis nigredinem non ostendunt. Hi velut ad accipiendas escas os aperiunt, cum doceri de secretis sublimibus quærunt. Sed eis do-

(111) Ex lib. xxx in Job, cap. viii.

(112) Ex lib. xviii in Job, cap. xix, aliquando

ctor suos alimenta prædicamentorum sublimium tanto minus tribuit, quanto illos peccata præterita minus digne deslere cognoscit. Exspectat quippe atque admonet, ut a nitore vitæ præsentis prius per pœnitentiæ lamenta nigrescant, et tunc demum congrua prædicationis subtilissime nutrimenta percipiant. Corvus in pullis ora inhiantia **81** respicit, sed ante in eis pennarum nigredine indui corpus quærît. Sic et discretus doctor interna mysteria eorum sensibus non ministrat, quos adhuc ab hoc sæculo nequaquam se abjecisse considerat.

Quanto igitur discipuli exterius per cultum vitæ præsentis minus quasi nigrescunt, tanto per cibum verbi interius minus replentur. Et quo se a corporali gloria non evacuunt, eo a spirituali refecione **B** jejunant. Si vero in confessione vitæ præteritæ lamenti sui gemitus velut nigrescentes plumas profertur, illico in contemplationem doctor ad escam de sublimibus deferendam quasi pullorum refecionem cogitans corvus volat. Qui eis hiantibus in ore cibum revocat, dum ex ea intelligentia quam cœperit, esurientibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat. Quos tanto ardentius de supernis reficit, quanto verius a mundi nitore nigrescere pœnitentiæ lamentatione cognoscit. Pulli autem dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt, quia quo magis discipuli abjecta de se sentiunt, quo magis sese despicientes affligunt, eo amplius speu provectus sui in altiora pollicentur. Unde et curat doctor festinantius alere, quos jam **C** per quædam indicia providet posse et aliis prodesse. Ilinc enim Timotheum Paulus admonet velut plumescens pullos sollicitius nutrire, dum dicit: *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (II Tim. ii, 2). Quæ doctrinæ discretio dum caute a prædicatore custoditur, ei divinitus largior copia prædicationis datur. Dum enim per charitatem compati afflictis discipulis novit, dum per discretionem congruum doctrinæ tempus intelligit, ipse non solum pro se, sed etiam pro eis, quibus laboris sui studia impendit, majora intelligentiæ munera percipit. Unde hic aperte dicitur: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad diem clamant, vagantes eo quod non habeant cibos?* Cum enim pulli ut satientur clamant, corvo esca præparatur, quia dum verbum Dei boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur.

**82** (112) Corvorum nomine sancti prædicatores designantur, sicut per Salomonem dicitur: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant illum corvi de torrentibus* (Prov. xxx, 17). Perversi quique dum divina judicia reprehendunt subsannant Patrem. Et quilibet hæretici dum sanctæ Ecclesiæ prædicationem, fecunditatem illius deridendo, contempnunt, quid aliud quam partum post principium xviii.



matris despiciunt? Quam non immerito eorum quodque matrem dicimus, quia de ipsa exeunt, qui contra eam loquuntur, Joanne attestante qui ait: *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (1 Joan. 1, 19). Corvi vero de torrentibus veniunt, cum prædicatores viri ad defensionem sanctæ Ecclesiæ a sacerdotum librorum fluentis procedunt. Qui recte etiam corvi vocati sunt, quia nequaquam de justitiæ luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam, peccatorum in se nigredinem confitentur. Unde etiam ab electorum Ecclesia dicitur: *Nigra sum, sed formosa* (Cant. 1, 5). Et Joannes ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus* (Joan. 1, 8). Qui videlicet corvi subsannantis oculum effodiunt, quia pravorum ac pertinacium hominum intentionem vincunt.

## CAPUT VIII.

## DE STRUTHIONE.

*In Scriptura sacra struthionis nomine aliquando quilibet hypocrita, aliquando Synagoga, aliquando gentilitas, aliquando hypocrisis designatur.*

(113) Struthionis nomine hypocrita designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris* (Job xxxix). Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas, quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio vero pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe elevari non valet, et alas quasi ad volatum specietenus erigit, sed tamen nunquam se a terra volando suspendit. Ita nimirum sunt omnes hypocritæ, qui, dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed causarum sæcularium pondere prægravati nullatenus a terra sublevantur. Unde et speciem Phariseorum reprobans Dominus quasi struthionis pennam redarguit, quæ in opere aliud exercuit, et in colore aliud ostendit dicens: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum. Ita et vos apparetis hominibus justi, interius autem pleni estis avaritia et iniquitate* (Matth. xxiii, 27). Ac si diceret: Sublevare vos videtur species pennæ sed in infimis vos deprimit pondus vitæ. De quo pondere per Prophetam dicitur: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (Psal. iv, 3.) Habemus adhuc quod in consideratione struthionis hujus de accipitre et herodio attentius perpendamus. Accipitris quippe et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus sulca: et idcirco cum celeritate transvolant quia in eis parum est quod aggravat, multum quod le-

vat. At contra struthio raris pennis induitur, et immani corpore gravatur, ut et si volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in æra non suspendat. Bene in herodio et accipitre electorum persona signatur, qui quoad in hac vita sunt, sine quantulocunque culpæ contagio esse non possunt. Sed cum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit, quæ illos in superna sustollit. At contra hypocrita, etsi facit pauca quæ elevent, perpetrat multa quæ gravent. Neque enim nulla Lona agit hypocrita, sed quibus ea ipse deprimat multa perversa committit. **84** Pauca ergo pennæ et corpus struthionis non sublevant, quia parvum bonum hypocritæ multitudo pravæ actionis gravat. Hæc quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis vero similitudinem non habet. Illorum namque conclusæ et firmiores sunt, et volatu aerem premere virtute suæ soliditatis possunt. At contra struthionis pennæ dissolutæ eo volatum sumere nequeunt, quo ab ipso quem premere debuerant aere transcenduntur. Quid ergo in his aspiciamus, nisi quod electorum virtutes solidæ volant, ut ventos humani favoris premant? Hypocritarum vero actio, quamlibet recta videatur, volare non sufficit, quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit. Sed ecce cum unum eundemque honorum malorumque habitum cernimus, cum ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, unde intelligentiæ nostræ suppetat, ut electos a reprobis, et a falsis veros comprehendendo discernat. Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoriam Præceptoris nostri verba signamus, quia ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. vii, 20).

(114) Potest autem struthionis nomine Synagoga designari, quæ alas legis habuit, sed corde in intimis repens nunquam se a terra sublevavit. Per herodium vero et accipitrem antiqui Patres exprimentur, qui ad ea, quæ intelligendo potuerunt perspicere, valuerunt etiam vivendo volare. Penna igitur struthionis similis est pennæ herodii et accipitris, quia Synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescivit. Unde eisdem Synagogæ populos de Phariseis ac Scribis Veritas admonet dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei: omnia quæ dicunt vobis facite; secundum opera vero eorum nolite facere* (Matth. xxiii, 2).

(115) Struthionis nomine gentilitas designatur, sicut conversurum se eam Dominus pollicetur, cum per prophetam diceret: *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones* (Isa. xliii, 20). Bestia namque agri, id est, dracones et struthiones Domine glorificant, cum fidem quæ **85** in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat.

(113) Ex lib. xxxi in Job, cap. v, 6.

(114) Ex lib. xxxi in Job, c. x, medium cir-

(115) Ex lib. xxxi in Job, cap. v, 6.

rat, gentilitas exaltat. Quam et propter malitiam A draconum nomine exprobrat, et propter hypocri-  
sim vocabulo struthionum vocat. Quasi enim pen-  
nas accepit gentilitas, sed volare non potuit quæ  
et naturam rationis habuit, et actionem rationis  
ignoravit.

(116) Struthionum nomine ipsa hypocrisis desi-  
gnatur. Unde bene contra perversam mentem sub  
Judææ specie per Isaiam dicitur: *Erit cubile draco-  
rum, et pascua struthionum (Isa. xxxiv, 30)*. Quid  
namque per dracones, nisi malitia, et quid struthio-  
num nomine, nisi hypocrisis designatur? Struthio  
quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non  
habet, quia hypocrisis cunctis intuentibus imagi-  
nem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam san-  
ctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat, et struthio pascitur, quia latens malitia callide  
tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis at-  
tefertur.

### CAPUT IX.

#### DE ACCIPITRE.

*In Scriptura sacra accipitris nomine aliquando  
sanctus quilibet intelligitur.*

Accipitris nomine sanctus quilibet designatur.  
Unde beatus Job Dominica voce interrogatur, cum  
dicitur: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit acci-  
piter, expandens alas suas ad austrum? (Job xxxix,  
26.)* Quia per annos singulos pennam veterem acci-  
piter nova nascente projiciat, ac sine intermissione  
plumescat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud  
plumæ tempus dicitur quo in nido vestitur, quia  
tunc nimirum adhuc videlicet pullus ad austrum alas  
expandere non valet, sed illa annua pluma descri-  
bitur, quæ laxata vetere 86 penna renovatur. Et  
quidem domesticis accipitribus quo melius plumes-  
cere debeant, munita ac tepentia loca requiruntur.  
Agrestibus vero moris est, ut flante austro alas ex-  
pandant, quatenus eorum membra ad laxandum  
pennam veterem venti tepore concalescant. Cum ve-  
ro ventus deest alis contra radium solis expansis at-  
que percussis, tepentem sibi auram faciunt. Sicque  
apertis poris vel veteres exsiliunt, vel novæ succre-  
scunt. Quid est ergo accipitrem in austro plumesce-  
re, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu  
sancti Spiritus concalescit, et usum vetustæ conver-  
sationis abiciens, novi hominis formam sumit? D  
Quod Paulus admonet dicens: *Exspoliantes vos ve-  
terem hominem cum actibus suis et induentes novum  
(Coloss. iii, 9)*. Et rursum: *Licet is qui foris est nos-  
ter homo corrumpitur, tamen is qui intus est, reno-  
vatur de die in diem (II Cor. iv, 16)*. Vetustam au-  
tem pennam projicere est inveterata studia dolosæ  
actionis amittere; et novam pennam sumere est mi-  
tem ac simplicem bene vivendo sensum tenere. Pen-  
na namque veteris conversationis gravat, et pluma  
novæ immutationis sublevat, ut ad volatum tanto  
leviorem, quanto noviore reddat. Et bene accipi-

ter expandit alas suas ad austrum. Alas quippe no-  
stras ad austrum expandere est, per adventum sancti  
Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire ut  
jam non libeat defendendo nos tegere, sed accusan-  
do publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, cum  
alas suas ad austrum expandit, quia tunc se unus-  
quisque virtutum pennis induit, cum sancto Spiri-  
tui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim  
vetera fatendo non detegit, novæ vitæ opera mini-  
me producit; qui nescit lugere quod gravat, non va-  
let proferre quod sublevat. Ipsa namque compun-  
ctionis vis poros cordis aperit et plumas virtutum  
fundit. Cumque se studiose mens de pigra vetustate  
redarguit, alacri novitate juvenescit. Dicatur ergo  
beato Job: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit  
accipiter expandens alas suas ad austrum?* Id est,  
nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti,  
ut flante Spiritu sancto cogitationum alas expandat,  
quatenus pondera vetustæ conversationis abiciat, et  
virtutum 87 plumas in usum novi volatus sumat?  
Ut hinc videlicet colligat, quia vigilantiam sensus in  
semetipso ex se non habet qui hanc ex se conferro  
aliis nequaquam valet.

### CAPUT X.

#### DE HERODIO.

*In Scriptura sacra herodii nomine electorum persona  
intelligitur.*

Herodii nomine vel accipitris electorum persona  
intelligitur. Unde ad beatum Job a Domino dici-  
tur: *Penna struthionis similis est pennæ herodii et  
accipitris (Job xxxix, 13)*. Accipitris quippe et he-  
rodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus ful-  
ta. Idcirco cum celeritate transvolant, quia eis pa-  
rum inest quod gravat, multum quod levat. Bene  
ergo in herodio et accipitre electorum persona si-  
gnatur; quia, quandiu in hac vita sunt, sine quan-  
tulocunque culpæ contagio esse non possunt. Sed  
cum eis parum quid inest quod deprimit, multa vir-  
tus bonæ actionis suppetit, quæ illos in superna sus-  
tollit. Herodii namque et accipitris pennæ conclu-  
sæ firmiores sunt, et ideo volatu aerem premere vir-  
tute suæ soliditatis possunt: sic et electorum vir-  
tutes solidæ volant, ut ventos humani favoris pre-  
mant.

### 88 CAPUT XI.

#### DE MILVO.

*In Scriptura sacra milvi nomine diabolus intelligitur.*

Milvi nomine diabolus designatur: quod Zacha-  
ria propheta testante cognoscimus, qui visionem  
suam describens ait: *Et levavi oculos meos, et vidi:  
Et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis  
earum, et habebant alas quasi alas milvi (Zach. v,  
9)*. Quid enim in duabus mulieribus accipimus, ni-  
si duo principalia vitia, superbiam videlicet, et va-  
nam gloriam, quæ impietati absque ulla dubitati-  
one conjunctæ sunt. Quæ et in alis suis spiritum ha-

bere narrantur, quia in actibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe propheta spiritum appellat, quo Salomon ait: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris (Eccle. x, 4)*. Et de quo in Evangelio Dominus dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa (Matth. xii, 43)*. Spiritus ergo in alis earum est, quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt Satanæ voluntati famulantur. *Et habebant alas quasi alas milvi*. Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo procul dubio sunt similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum.

### 89 CAPUT XII.

DE PASSERE.

*In Scriptura sacra passeris nomine Christus intelligitur.*

Passeris nomine Christus intelligitur, sicut per Psalmistam dicitur: *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum suum ubi reponat pullos suos (Psal. lxxxiii, 4)*. Quis enim alius per passerem nisi Redemptor noster, et quid per turturem nisi sancta Ecclesia exprimitur? Jam autem passer sibi invenit domum, quia æternum cœli habitaculum Redemptor noster intravit. Et turtur invenit nidum, quia sancta Ecclesia amore Conditoris affecta, crebris gemitibus utitur; et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescens pullos, quousque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet.

### CAPUT XIII.

DE VULTURE.

*In Scriptura sacra vulturis nomine Christus intelligitur.*

Vulturis nomine Redemptor noster intelligitur, sicut per beatum Job de Judæorum populo dicitur: *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis (Job xxviii)*. Quis enim hoc loco avis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera libavit? Qui apte quoque etiam vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si jacens cadaver conspicit, ad esum se cadaveris deponit. Et plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis venit. Recte etiam **90** Mediator Dei et hominum, Redemptor noster, vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine divinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadaver mortalitatis nostræ conspexit in infimis, et sese de cœlestibus ad ima submit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est. Et dum mortuum animal petiit, mortem apud nos qui apud se erat immortalitas invenit. Sed hujus vulturis oculus, fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna

nos morte liberavit. Ille ergo perfidus Judæorum populus mortalem vidit, sed quomodo morte sua, mortem nostram destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit: qui dum humilitatis ejus vias, et quibus nos ad alta sublevavit, considerare noluit, semitam avis ignoravit. Neque enim pensare studuit quod ejus nos humilitas levaret ad cœlestia et mortis ejus intentio reformaret ad vitam. *Semitam igitur ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis*, quia etsi vidit eum quem in morte tenuit, videre noluit quanta vitæ nostræ gloria de ejus morte sequeretur.

### CAPUT XIV.

DE MUSCA.

*In sacra Scriptura muscarum nomine insolentes curæ designantur.*

Muscarum nomine insolentes curæ desideriorum carnalium designantur, sicut scriptum est: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti (Eccle. x, 1)*, quia nimirum superflue cogitationes, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittuntur. Hinc est quod Ægyptus multitudine muscarum percussa legitur. Quo contra Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in unere (*Exod. viii, 24*). Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstare? Aut quid hic **91** quietius quam hujus sæculi nihil appetere? Populus ergo qui Deum sequitur, accepit Sabbatum, id est requiem mentis, ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigaretur. Ægyptus vero, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum est animal, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimæ desiderium non levantur. Unde cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacri Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit et tenuit manum puellæ, et surrexit puella (Matth. ix, 25)*. Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudine curarum, anima, quæ intrinsecus jacet, mortua non resurgit. Nam dum se per innumeratas terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui nullatenus colligit.

## 92 INCIPIT LIBER TERTIUS

### CAPUT PRIMUM.

#### DE JUMENTIS.

In Scriptura sacra jumentorum nomine, aliquando sancta Ecclesia, vel fidelis anima, aliquando quilibet sub disciplina positus, aliquando carnales homines, aliquando mentes dudum brutæ, sed conversæ, aliquando sæculi implicamenta, aliquando sensu tardiores intelliguntur.

(117) Jumentum nomine sancta Ecclesia, vel fidelis anima designatur. Unde Redemptor noster in jumento sedens Jerusalem tendit. Salvator enim noster jumento sedens Jerusalem tendit, cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Jumento etiam sedens Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem ducit.

(118) **93** Jumentum nomine quilibet sub disciplina positus designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (Psal. lxxii, 23)*. Quamvis insensatis homo longe sit melior, hoc tamen plerumque homini non licet quod brutis animalibus non licet. Quæ enim ad aliud servantur, motus eorum procul dubio nequaquam sub disciplina restringuntur. Homo autem quia ad sequentem vitam ducitur, necesse est profecto ut in cunctis suis motibus sub disciplinæ dispositione religetur, et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus restrictum vivat. Qui vero implere cuncta quæ desiderat per effrenatam libertatem querit, quid aliud quam agresti animali esse similis concupiscit, ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat? Sæpe autem divina miseratio, quos prodire in effrenationem illicitæ libertatis conspicit, objectione prosperæ adversitatis frangit, quatenus elisi discant quam reprobæ erectione tumuerant, ut jam flagelli experientis edomiti, quasi jumenta domestica præceptorum loris mentis colla subjiciant, et vitæ præsentis itinere ad nutum præsentis pergant. Quibus bene loris ligatum se noverat, qui dicebat : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*. Unde et sævus ille persecutor, ab agro perfidæ voluptatis ad domum fidei deductus, rectoris sui calcaribus punctus audiebat : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare (Act. ix, 6)*.

Jumentorum nomine carnales homines designantur, sicut per prophetam dicitur : *Computruerunt jumenta in stercore suo (Joel. i, 17)*. Jumenta quippe in stercore suo computrescere est carnales homines fetore luxuriæ vitam finire.

(117) Ex hom. 17 in Ezech.

(118) Ex l. x in Job, cap. x, 15.

**A** (119) Jumentorum nomine mentes dudum brutæ designantur, sicut per prophetam dicitur : *Qui dat jumentis escam ipsorum : et pullis corvorum invocantibus eum (Psal. cxlvi, 95)*. Jumenta quippe escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur.

**94** Jumentorum quoque nomine sæculi implicamenta designantur. Unde apud Moysen filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse multa pecora et jumenta possidentes dum extra Jordanem ea quæ viderant campestris concupiscunt, dixerunt : *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel regionis uberrimæ est ad pastum animalium, et nos servi tui habemus jumenta plurima : precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem (Num. xxxii, 4, 5)*. Qui igitur jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiant, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patriæ non requirunt.

Jumentorum nomine sensu tardiores intelliguntur, sicut beatus Job dicit : *Interroga jumenta, et docebunt te; volatilia cæli, et indicabunt tibi; loquere terræ et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris (Job xii, 7, 8)*. Quid per jumenta, nisi sensu tardiores? quid per cæli volatilia, nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus? De jumentis namque, id est sensu pigrioribus scriptum est : *Animalia tua habitabunt in ea (Psal. lxxvii, 11)*. Et quia sublimia sapientes in verbis nostri Redemptoris evolvunt, scriptum est : *Ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus (Matth. xiii, 32)*. Quid vero per terram, nisi terrena sapientes accipimus? Unde et primo homini cælestia deserenti dictum est : *Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 19, juxta LXX)*. Quid per pisces maris, nisi curiosos hujus sæculi debemus accipere? de quibus Psalmista ait : *Pisces maris, qui perambulant semitas maris (Psal. viii, 9)*. Qui in magnis rerum inquisitionibus, quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta hæc inquisita doceant, adjungit dicens : *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? (Job xii, 9)*. Ac si aperte dicat : Sive sensu tardiores, seu sublimia sapientes, sive terrenis actibus deditos, seu hujus mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta hæc Creatorem omnium Deum fatentur, et de potestate ejus concorditer sentiunt, quamvis sub ea non concorditer vivant. Quod enim justus quisque etiam vivendo loquitur, hoc injustus plerumque de Deo vel sola voce compellitur fateri; sitque ut mali, auctori **95** omnium, cujus operibus resistunt, attestacione famulentur, quia quem impugnare mori-

(119) Ex l. xxx in Job, c. viii, 12.

nus ausi sunt, Creatorem omnium negare non possunt.

## CAPUT II.

## DE EQUO.

In Scriptura sacra equi nomine aliquando lubrica vita pravorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipsum præsens sæculum, aliquando præparatio rectæ intentionis, aliquando quilibet sanctus prædicator, aliquando electorum corpora designantur.

Equi nomine lubrica pravorum vita signatur, sicut scriptum est : *Nolite feri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. xxxi, 9)*. Et sicut per prophetam alium dicitur : *Equi amatores et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (Jer. v, 8)*.

Equi nomine dignitas temporalis accipitur, Salomone attestante, qui ait : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram (Eccl. x, 7)*. Omnis quippe qui peccat, servus est peccati (*Joan. viii, 34*). Et servi in equis sunt, dum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos (Psal. lxxv, 7)*. Id est in mortem animæ mentis oculos a veritatis luce clausurunt, in præsentis vitæ honore confisi sunt.

Equi nomine hoc ipsum præsens sæculum designatur, sicut Jacob dicitur : *Fiat Dan coluber in 96 via, cerastes in semita, mordens unguulas equi, ut cadat ascensor ejus retro (Gen. xlix, 17)*. Quo in testimonio quid equus significet, melius ostendemus, si et ea, quæ circumstant, paulo subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan et coluber asseritur. Unde non immerito Israeliticus populus dum terras in castrorum partitionem susciperet, primus Dan ad aquilonem castra metatus est (*Num. ii, 25*), signans eum, qui in corde suo dixerat : *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis erit Altissimo (Isai. xiv, 13)*. De quo et per prophetam dicitur : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus (Jer. viii, 16)*. Qui non solum coluber, sed etiam cerastes. Cerasta enim Græcæ cornua dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur, quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferæ prædicationis armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parendo blanditur. Sed in via mordet, quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes

non solum nequitia callidæ persuasivis impetit, sed etiam terrore potestatis premit; et in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in censu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi unguulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro*. Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, et non in faciem: sicut Paulus cecidisse memoratur (*Act. ix, 4*). In faciem enim cadere est in hac vita, suas unumquemque culpas agnoscere, easque poenitendo deslere. Retro vero quo non videtur cadere est ex hac vita repente decidere, et ad quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris 97 sui laqueis capta pro Christo Antichristum exspectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est dicens : *Salutare tuum exspectabo, Domine (Gen. xlix, 18)*. Id est non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemptionem nostram venturus est, verum credendo fideliter Christum.

Equi nomine præparatio rectæ intentionis accipitur, sicut scriptum est : *Equus paratur in diem belli, sed Dominus salutem tribuit (Prov. xxi, 31)*. Quia contra tentationem quidem se animus præparat, sed nisi adjuvetur desuper salubriter non certat.

Equi nomine sanctus quilibet prædicator accipitur, propheta attestante qui ait : *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas (Isa. xviii, 2)*. Quietæ quippe aquæ jacuerunt, quia humanæ mentes sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia, missis sanctis prædicatoribus, omne cor, quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit.

Equorum nomine electorum corpora designantur, unde et Joannes apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait : *Et exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur eum in equis albis (Apoc. xix, 14) (120)*. Multitudinem quippe sanctorum, quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora et luce justitiæ, et castimonie candore claruerunt.

## 98 CAPUT III.

## DE ASINO.

In sacra Scriptura asinorum nomine aliquando stultorum pigritia, aliquando luxuria, aliquando simplicitas gentilium, aliquando quælibet fidelis anima, vel sancta Ecclesia, aliquando is qui aliorum necessitates sustentat, aliquando mala vita, aliquando caro nostra designatur.

(121) Asinorum nomine stultorum pigritia figuratur, sicut per Moysem dicitur : *Non arabis in bove et asino (Dent. xxii, 10)*. Ac si diceret : *Fatuos sapien-*

tibus in prædicatione non socias, ne per eum qui A respuit, ea jam agendo proferat quæ Dei sacrificio implere rem non valet et illi qui prævalet obsistas.

(122) Item asinorum appellatione immoderata petulantium luxuria exprimitur, propheta teste qui ait : *Quorum carnes sunt, ut carnes asinorum (Ezech. xxiii, 20).*

(123) Asinorum nomine simplicitas gentilium designatur. Unde Jerusalem tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur (*Matth. xxi, 7*). Quid est enim sedendo asium Jerusalem venire, nisi gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo, et præsidendo perducere? Unde rursus scriptum est : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (Isa. 1, 2, 3)*. Quis enim bos nisi Judaicus populus exstitit, cuius cervicem jugum legis attrivit? Et quis asinus nisi gentilis populus fuit, quem quilibet seductor reperit, quasi brutum animal, et nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem suum, et asinus **99** præsepe domini cognovit; quia et Hebraicus populus Deum quem colebat, sed ignorabat reperit: et gentilitas legis pabulum quod non habebat, accepit.

Potest quoque per asinum quælibet fidelis anima, vel sancta universalis Ecclesia designari. Unde Redemptor noster in asello sedens tendit Jerusalem.

(124) Asini nomine is qui aliorum necessitates sustentat, designatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Asinum pupillarum abegerunt (Job xxiv, 3)*. Quid enim per pupillos accipimus, nisi electos Dei in mentis teneritudine positos, qui magna fidei gratia nutriuntur, et patris sui jam pro se mortui faciem necdum vident? Et sunt plerique in Ecclesia qui quosdam conspiciunt cœlestia appetere, terrena omnia despectui habere; et quamvis ipsi in hujus mundi laboribus insudent, eos tamen quos ad cœlestia anhelare conspiciunt, de rebus quas in hoc mundo possident hujus vitæ adiutorium ferunt. Et quamvis ipsi agere spiritualia nequeant, ad summa tamen tendentibus subsidia ministrant. Portare enim asinus onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est qui terrenis rebus deserviens deportat onera usibus hominum. Et sæpe cum hæretici quemlibet talem a sanctæ Ecclesiæ gremio avertunt, quasi pupillarum asinum abigunt, quia cum ad perfidiam suam pertrahant, a ministerio honorum repellunt.

(125) Asini nomine mala vita designantur, sicut per Moysen dicitur : *Primogenita asini mutabis ove (Exod. xiii, 13)*. Per asinum quippe immunditia, per ovem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita ove mutare est immundæ vitæ primordia in innocentie simplicitatem convertere, ut postquam illa peccator egit, quæ uti immunda Dominus

respuit, ea jam agendo proferat quæ Dei sacrificio imponat.

(126) Asini nomine caro nostra designatur, sicut in libro Judicum dicitur : *Axa, filia Caleb, sedens super asinum suspiravit. Cui dixit pater ejus : Quid habes? 100 At illa respondit : Da mihi benedictionem quia terram arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit ei pater irriguum superius, et irriguum inferius (Jud. 1, 13-15)*. Quid per asinum nisi corpus nostrum accipimus? Axa autem super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus jam anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia eloqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed habere lacrymarum gratiam non habent. Ili nimirum terram australem et arentem habent; sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, quibus magni atque ferventes sunt, oportet ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetraverunt, deplorent. Sed quia duo sunt compunctionis genera, quia Deum videlicet sitiens anima prius timore compungitur, post amore, dedit ei Pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguam quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis, regni cœlestis desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et prius quidem ei inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorari debuisset. Duo autem, ut dixi, compunctionis genera sunt: quia prius timore anima compungitur, post amore. Prius enim sese in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa incœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur; et qui prius timebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit quia differtur a regno. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis

## 101 CAPUT IV.

DE ASINA.

*In Scriptura sacra asinarum nomine aliquando quilibet simpliciter viventes, aliquando motus cordis lascivientes, aliquando simplices cordis cogitationes, aliquando caro nostra designatur.*

(127) Asinarum appellatione quilibet simpliciter viventes et alienis oneribus portandis dediti accipiuntur, unde scriptum est : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos (Job 1, 14)*. Quid enim

(122) Ex l. 1, in Job, c. 6, post medium.

(123) Ibid.

(124) Lib. ex l. xvi in Job, c. xxi, 22.

(125) Ex l. xxvii in Job, c. 11, 15.

(126) Ex lib. iii Dialog. c. 34.

(127) Ex l. ii in Job, c. xvii.

aliud per figuram boves quam bene operantes, et A quid asinas quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Qui dum in subtiliori intellectu currere non valent, quod quasi pigrius ambulant, eo fraterna onera mansuetius portant. Quæ bene juxta boves pasci referuntur, quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magis vicinæ sunt, quo et fraterna bona sua per charitatem credunt. Cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus conjuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur.

(128) Asinarum nomine motus cordis lascivientes designantur, sicut de beato Job dicitur: *Quod in possessione quingentas asinas habuerit (Job 1, 5).* B Asinas quippe possidemus, cum lascivientes cordis motus restringimus: et quidquid in nobis carnale exurgere appetit, spiritali cordis dominatu refrenamus.

(129) Asinarum quoque nomine simplices cordis cogitationes accipimus juxta illud: *Boves arabant et asinæ pascabantur juxta eos; et irruerunt Sabæi 102 tuleruntque omnia (Job 1, 14, 15).* Quid enim pascentes asinas nisi simplices motus cordis intelligimus? quos dum studiose a duplicitatis errore compescimus, quasi in campo liberæ puritatis enutrimus. Sed ecce dum hoc agimus, hostis noster pascentes asinas subtrahit, quia plerumque dum motus cordis simplices videt, subtilia inventionum acumina ostendit, ut, dum laus de subtilitate quaeritur, puritatis simplicitas amittatur. Et si usque ad opus pravum pertrahere non valet, tentando tamen bonorum cogitationibus subrepens nocet, ut, cum turbare bona mentis agnoscitur, ea quasi funditus abstulisse videatur.

Asinæ nomine caro nostra designatur, unde scriptum est quia, cum Balaam ad maledicendum pergeret, ab asina cui insidebat corripitur. Balaam namque pervenire ad propositum tendit; sed ejus votum animal cui præsidet præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non videt, quia plerumque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat: ita ut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediatur, donec ei invisibilem qui sibi obviat innotescat. Unde et bene Petrus dicit: *Corruptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal hominis voce loquens propheta prohibuit insipientiam (II Petr. 11. 16).* Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando mens elata humilitatis bonum quod tenere debeat ab afflictæ carne memoratur. Considerandum est ergo quanta salus cordis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mentem, et quam plerum-

que salus abjicit, infirmitatis memoria reformatur, ut animus, qui extra se in elationem ducitur, ex percussa quam sustinet carne memoretur. Sed hujus correctionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens vocem, non mentem mutavit.

## 103 CAPUT V

### DE CAMELO.

In Scriptura sacra camelorum nomine aliquando ipse Dominus, aliquando gentilis populus, aliquando Samaritanorum vita, aliquando terrenarum rerum dispositiones, aliquando distortæ et tumidæ cogitationes.

Cameli nomine Dominus designatur, sicut ab eodem Domino Judæis adversantibus dicitur: *Liquantes culicem, camelum glutientes (Matth. xxiii, 24).* Culex namque susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt. Camelum vero glutiverunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt.

(130) Cameli nomine gentilitas designatur. Unde et Rebecca ad Isaac veniens dorso cameli deducitur (*Gen. xxiv, 64*): quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans in tortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. (131) Quæ Isaac viso descendit, quia, Domino cognito, vitia sua gentilitas deseruit, et ab erectione celsitudinis ima humilitatis petit. Quæ et verecundata pallio velatur (*ibid., 55*), quia et coram illo ex anteacta vita confunditur. Unde et per Paulum eisdem gentibus dicitur: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? (Rom. vi, 21.)*

(132) Potest etiam per camelos, qui commune sunt animal, Samaritanorum vita signari. Cameli namque 104 ruminant, sed nequaquam unguam findunt. Samaritani quoque quasi ruminant, quia ex parte legis verba recipiunt, et quasi unguam non findunt, quia pro parte contemunt: Qui etiam grave onus in dorso mentis tolerant, quia id omne quod faciunt, sine spe æternitatis elaborant: fidem quippe resurrectionis nesciunt. Et quid esse gravius atque onustius potest quam afflictionem prætereuntis sæculi perpeti et nequaquam ad revelationem mentis gaudia remunerationis sperare!

(133) Possunt quoque non inconvenienter per camelos, qui unguam nequaquam findunt, sed tamen ruminant, terrenarum rerum bonæ dispensationes intelligi: quæ quia aliquid habent sæculi, et aliquid Dei, per commune eas necesse est animal designari. Neque enim terrena dispensatio, quamvis æternæ utilitati serviat, sine perturbatione mentis valet exhiberi. Quia igitur per hanc et ad præsens mens confunditur, et in perpetuum merces paratur, quasi commune animal et aliquid de lege

(128) Ex l. in Job, c. xiii, 30.

(129) Ex l. II in Job, c. xxiv, 33, in medio.

(130) Ibidem.

(131) Lib. xxxv in Job, c. xi, id repetit.

(132) Job, loco citato.

(133) Ex lib. I in Job, cap. xiii, 29.

habet, et aliquid non habet. Ungulam quippe non a mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent; animalia autem ventre a terra suspensa sunt; appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt inter parietem, quando cogitationes volvuntur in mente quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si quæ jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; et per semetipsa quidem quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi gulæ desiderium sese ad ima submitunt.

Possunt etiam per camelos tortuosum videlicet animal distortæ et tumidæ cogitationes intelligi. Unde bene beatus Job camelos in possessione habuisse perhibetur (*Job* 1, 3). Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus humiliter deponamus. Camelos procul dubio possidemus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem flectimus, et vicissim onera nostra portantibus alienæ infirmitati compati condescendendo noverimus.

### 105 CAPUT VI.

#### DE ANIMALIBUS.

*In Scriptura sacra animalium nomine aliquando sancti evangelistæ, aliquando iusti, aliquando simplices in sancta Ecclesia, aliquando cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, aliquando irrationabiles animæ motus.*

(134) Animalium nomine sancti evangelistæ designantur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium* (*Ezech.* 1, 5). Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor evangelistæ signatur?

(135) Animalium nomine iusti designantur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram* (*Ezech.* 11, 13). Quid namque alas animalium, nisi virtutes debemus sentire sanctorum? Qui dum terrena despiciunt ad cælestia volando sublevantur. Sed voluntia animalia, al s suis se vicissim feriunt, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit. Et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando opus bonum quod imitatur ostendo.

(136) Animalium nomine simplices in sancta Ecclesia designantur, sicut de eadem sancta Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* lxxvii, 11), quia videlicet simplicem quique in sancta habet Ecclesia.

**106** (137) Animalium nomine cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes designantur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et ingressus vidi: Et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio* (*Ezech.* viii, 10). In reptilibus quippe cogitationes omnino terrenæ signantur; in animalibus vero jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ

mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent; animalia autem ventre a terra suspensa sunt; appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt inter parietem, quando cogitationes volvuntur in mente quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si quæ jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; et per semetipsa quidem quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi gulæ desiderium sese ad ima submitunt.

(138) Animalium nomine irrationabiles animæ motus designantur: *Unde filii Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse introductis filiis Israel in terram repromissionis ad campestria redeunt* (*Num.* xxxi, 35), quia ab altis cacuminibus montium quasi ab spe cælestium delabuntur, ut extra promissionis terram bruta animalia nutriant, quia ad pascendos variis desideriis irrationabiles animæ motus elaborant: quia æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt qui transitoriis occupationibus excæcantur, et, dum de terrenis rebus superbiunt, cælestis sui luminis aditum claudunt.

### 107 CAPUT VII.

#### DE BOVE.

*In sacra Scriptura bovis nomine aliquando Judaicus populus, aliquando luxuriosorum dementia, aliquando labor prædicatoris, aliquando sapiens, aliquando doctorum mansuetudo, aliquando diabolus, aliquando bona operatio designantur.*

Bovis nomine Judaicus populus designatur, sicut per prophetam dicitur: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini* (*Isa.* 1, 3). Require in capitulo De asino c. 3, supra.

(139) Quod autem bovis nomine per comparationem luxuriosorum dementia designetur, Salomon indicat, qui cum male suadentis mulieris petulantiam præmississet, adjunxit: *Stultimque sequitur eam quasi bos ductus ad victimam* (*Prov.* vii, 22).

(140) Bovis nomine labor prædicationis exprimitur, sicut legis verba testantur, quibus dicitur: *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* v, 18). Ac si aperte diceret: Prædicatorem verbi ab stipendiorum suorum perceptione non prohibeas.

Rursus bovis nomine sapiens quilibet designatur, sicut scriptum est: *Non junges bovem et asinum* (*Deut.* xxv, 4), id est sapientem cum stulto in prædicatione non sociabis.

Bovum nomine doctorum mansuetudo designatur, sicut scriptum est. Quia in vasis templi inter coronas et plectas boves, et leones ac cherubin exsculpta sunt (*Deut.* xxii, 10). Coronæ quippe signum sunt victoriæ. Plectæ **108** autem concordiæ unanimitatem signant. Cherubin vero *plenitudo scientiæ*. Per boves quoque mansuetudo, per leones vero se-

(134) Ex hom. 2<sup>o</sup> in Ezech., post medium.

(135) Ex l. xxiv in Job, c. vi, post medium.

(136) Ex l. xxxv in Job, c. xi.

(137) Ex l. xxvi in Job, c. v.

(138) Ex l. xxvii in Job, c. vii, medium circiter.

(139) Ex lib. xxxv in Job, c. ii.

(140) Ex lib. et cap. super



veritas accipitur. Sacerdotes ergo atque doctores inter coronas et plectas, id est inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, et charitatis concordiam, qua a se vicissim non discrepant, per boves, et leones atque cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiæ quam habent necesse est ut et bonam mansuetudinem teneant, et fervorem leonum, quatenus in disciplina, quam prædicant, et ex sancto zelo accensi sunt, et ex paterna dulcedine tranquilli.

Bovis nomine diabolus designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Leo sicut bos comedet paleas* (Isa. xi, 7); et sicut de eodem voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Fenum sicut bos comedet* (Job xl, 10). Quid enim leonis nomine nisi diabolus, quid palearum vel feni nomine, nisi carnalium vita signatur? Sed quid est quod in comestione palearum vel feni diabolus non equo, sed bovi comparatur? Hoc autem citius agnoscimus, si in utrisque animalibus quæ sit nutrimentorum distantia perpendamus. Equi namque fenum quamlibet sordidum comedunt, aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves autem aquam quamlibet sordidam bibunt, sed feno non nisi mundo vescuntur. Quid est ergo quod bovi, qui mundo pabulo vescitur, diabolus comparatur, nisi hoc quod de ipso per prophetam alium dicitur : *Esca ejus electa* (141) (Habac. i, 16, juxt. LXX). Neque enim eos se gaudet rapere, quos protervis, ac sordidis actionibus implicatos in iniis secum voluntarie respicit jacere. Fenum ergo sicut bos comedere appetit, quia suggestionis suæ dente contere mundam spiritalium vitam quærit.

(142) Bovis nomine bona operatio designatur, sicut per Moysen dicitur : *Non arabis in primogenito bovis* (Deut. xv, 15). Quid enim per primogenitum bovis, nisi bonam operationem accipimus? Primogenitum autem bovis intelligimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem : in quo tamen arandum non est, quia cum prima sint nostra adolescentiæ vel juventutis tempora, adhuc nobis a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni, quoad usque enim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne, dum tenera bona citius ostendimus, amittamus, quia et arbusta plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt, at si semel radicem fixerint, manus tangit, et tamen nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impelluntur, cruantur, nisi prius a suo fuerint humore siccati. Mens itaque quousque humore pravitatis suæ non fuerit perfecte exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne, priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plusquam valet tolerare concutitur,

(141) Ibi vulgat. edit. habet *cibus ejus electus*.

(142) Ex homil. 2 in Ezech., haud procul ab initio.

flatibus arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Prius enim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam et si Timotheo dicitur : *Præcipe hæc et doce, nemo adolescentiam tuam contemnat* (I Tim. iv, 11, 12), sciendum est quia ei adolescentia in annis, non in moribus fuit, quamvis in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juvenus vocatur. Unde scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (Ezech. ii, 9).

## CAPUT VIII.

### DE VACCA.

In Scriptura sacra cum vacca singulari numero ponitur, aliquando infirmitas incarnationis Dominicæ, aliquando caro nostra accipitur. Cum vero pluraliter vaccæ dicuntur, mentes intelliguntur fidelium.

**110** Vaccæ nomine infirmitas incarnationis Dominicæ designatur, sicut Moysi a Domino dicitur : *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum. Tradesque eam Eleazar sacerdoti. Qui eductam extra castra immolabit in conspectu Domini, et intinget digitum in sanguine ejus, aspergens contra fores tabernaculi septem vicibus; comburetque eam, cunctis videntibus; tam pellem quam carnem ejus, ac sanguinem ac fimum flammæ tradetis* (Num. xix 2-5). Quid per vaccam, nisi assumpta ad sacrificium infirmitas incarnationis Dominicæ figuratur? De quo scriptum est *quia et ipse mortuus* (143) *est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei?* (II Cor. xiii, 4.) Bene autem vacca hæc etiam rufa dicitur, quia videlicet ejus humanitas rubra per cruorem passionis fuit. Unde et in Canticis canticorum a sponsa describitur dicente : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (Cant. v, 10); candidus videlicet ex divinitate, rubicundus ex sanguine; candidus per justitiam vitæ, rubicundus ex cruore passionis.

*Ætatis integræ in qua non sit macula.* Ætas humanitatis Domini integra est, omnis ejus operatio perfecta. In qua videlicet humanitate macula non fuit, quia et veraciter de eo scriptum est : *Quia peccatum non fecit, nec inventus dolus in ore ejus* (I Petr. ii, 22). Bene autem subditur, *nec portavit jugum*. Scriptum quippe est : *Omnis qui peccat servus est peccati* (Joan. viii, 35). Quia Dominus nulli peccato succubuit, jugum minime portavit. Sequitur : *Tradesque eam Eleazar sacerdoti : qui eductam extra castra immolabit in conspectu Domini*. Quid est quod hæc vacca ad immolandum traditur sacerdoti, nisi quod incarnatus Dominus, qui pro redemptione nostra sacrificium semetipsum fecit, in Judaici populi manibus datur? Qui etiam extra castra immolatus est in conspectu Domini, quia videlicet extra portam passus est. Unde et dicit Paulus :

(143) Ibi nostra edit. pro *mortuus legit crucifixus*

*Exeamus ad eum extra castra improprium ejus portantes. Jesus enim ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (Hebr. XIII, 13).* Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ **111** præsentis, quasi a civitate foras duceret, et a terrena inhabitatione cor nostrum evellere persuaderet. Bene autem dicitur *immolabit in conspectu Domini.* Redemptor enim noster in conspectu omnium quasi exstinctus est, sed in conspectu Patris immolatus, quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos Patris sacrificium fuit. *Et intinget digitum in sanguine ejus.* Quid per digitum nisi discretio nostræ operationis accipitur? In sanguine vero vaccæ digitum intingere est in passione incarnationis Dominicæ nostra opera consecrare, ut passionem ejus quem cognoscimus imitemur, sicut scriptum est: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (I Petr. II, 2).* Eleazar autem et immolat, et in sanguine ejus digitum intingit, quia videlicet plebs Judaica ex reproborum parte humilitatem Domini usque ad passionem persecuta est; ex electorum vero parte operationem humilitatis ejus imitata est: *Et asperget contra fores tabernaculi.* Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur? Qui ergo tinxerit in sanguine ejus digitum, eundem sanguinem contra fores tabernaculi aspergat, id est quisquis passionis ejus vias imitatur, Synagogæ non cadenti et resistenti per exempla bona, per operationem rectam signum bene vivendi præbeat. Contra fores enim tabernaculi vaccæ sanguinem aspergere est resistenti plebi Judaicæ per prædicationem rectam et per sancta opera passionis ejus exempla monstrare. Bene autem dicitur ut digitus ejus in sanguine septem vicibus intingatur et aspergatur. In septenario enim numero perfectio accipitur. Unde et septem diebus universum tempus impletur, et sanctus spiritus septiformis vocatur. Septem vero vicibus in sanguine digitum intingere est per perfectam operationem ministerium passionis ejus imitari. Et septem vicibus contra Synagogam aspergere est perfecta prædicatione sacramenta incarnationis ac passionis ejus infidelibus denunciare:

*Comburetque eam cunctis videntibus extra castra: tam pellem ac carnes ejus, quam sanguinem et fimum flammæ tradetis.* Quid per carnem et pellem, quid per sanguinem et fimum vaccæ, nisi carnalia sacrificia in Testamento Veteri habita, quæ infirmitatem **112** Domini denuntiabant, figurantur? Quæ omnia postmodum a Patribus specialiter intellecta juxta exteriori ministerium, stercorea sunt vocata. Unde Paulus cum de sacrificiis carnalibus loqueretur dixit: *Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercorea (Philipp. III, 8).* Quæ flammæ traduntur, quia quædam carnaliter prius exhibita postmo-

dum per Spiritum sanctum intelligentiæ igne consumpta sunt. Possumus tamen in eadem vacca, id est in ipsa infirmitate incarnationis Dominicæ carnem, pellem ac sanguinem et fimum singula ejus opera accipere. Quid enim per carnem et pellem, nisi exterior operatio designatur? Quid per sanguinem, nisi subtilis internaque virtus exteriora acta vivificans? Quid per fimum, nisi lassitudo, sitis, esuries, et timor mortis et quæque ex humilitate suscepta pati voluit, designantur? Quod enim ex defectu nostræ mortalitatis habuit, quasi in eo abjiciendum fuit. Quæ tamen omnia quæ ex nostra infirmitate suscepit, quia pro nostra redemptione exhibuit, igne concremanda sunt, id est juxta virtutem sancti Spiritus intelligenda, ut quæque ab eo corporaliter gesta sunt, per incorporeum ejus divinitatis spiritum disposita sentiantur.

Potest quoque per vaccam caro nostra signari. Vaccam ergo mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus. Sed quia carnis maceratio siue fide, spe et charitate inutilis reputatur, dum vacca in sacrificio mactatur, cum hyssopo lignoque cedrino ac cocco bis tincto offerri præcipitur. Quid enim per hyssopum, nisi fides? quid per lignum cedrinum, nisi spes? et quid per coccum, nisi charitas designatur? Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit. Et per Petrum dicitur: *Fide mundans corda eorum (Act. xv, 9).* Lignum quoque cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cælestium terminus non consumit. Unde et per Petrum dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcescibilem (I Petr. I, 9).* Coccus autem rubeo colore flammescit, quia quem implet charitas, etiam incendit. Unde in Evangelio **113** Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram (Luc. XII, 49).* Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur, ut videlicet ante interni judicis oculos charitas nostra Dei et proximi dilectione coloretur, quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat ut curam proximi utilitateque postponat, nec sic pro amore proximi occupationi serviat ut quietem funditus deserens ignem in se superni amoris exstinguat. Vaccam ergo cum hyssopo, lignoque cedrino ac cocco offerimus, dum cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Quisquis igitur semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est ut non solum se ad operationis latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat.

(144) Vaccarum nomine mentes fidelium designantur. Unde cum de terra Philisthim arca Domini ad terram Israel rediret, plaustro superimposita est, et vaccæ plaustro subjunctæ sunt. Quæ fetæ fuisse memorantur, quarum vitulos clausurunt domi. *Ibant autem indirectum vaccæ per viam quæ ducit*

(144) Ex hom. 37 in Evang., longius ab initio.

*Bethsamis; uno itinere gradiebantur, pergentes et mugientes; et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram (I Reg. vi, 7).* Quid enim vacæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? Qui cum sancti eloquii præcepta conservant, quasi super impositam Domini arcam portant. De quibus hoc est etiam notandum quod fete fuisse memorantur, quia sunt plerique qui in via Dei intrinsecus positi foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinant a recto itinere, qui arcam Dei portant in mente. Ecce autem vacæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe *domus* interpretatur. Et Propheta ait: Vobis autem, qui timetis Dominum, oriatur sol justitiæ. Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim mente pensandum est quod vacæ Dei plaustro suppositæ pergunt et gemunt; dant ab intimis mugitus, et tamen de Dei itinere non detorquent gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum, sic prædicatores **114** Dei, sic fideles quique esse intra sanctam Ecclesiam debent, ut et compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. Arcam quippe plaustro superpositam Bethsamis pergere est cum superna scientia ad internæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque, sic necesse est ut incedere debeant qui sacræ legis jugo suppositi, jam per internam scientiam Dei arcam portant. Per hoc quod propinquoꝝ necessitatibus condolent, accepto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed deflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit; aut plus tacta, si inflectitur, remissa.

## CAPUT IX.

## DE VITULA.

(145) Vitulæ nomine mens carnalis designatur quod bene sub Ephraim specie Osee propheta describit qui ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram (Ose. x, 11).* Vitula enim trituræ laboribus assueta relaxata plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiam si sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiam si licet. Quod videlicet jugum Dominus a discipulorum cordibus solvebat, cum diceret: *Attendite vobis ne graventur corda vestra crapula et ebrietate (Luc. xxi, 34): illicio adjunxit et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa (ibid.).* Et rursum: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et*

*ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (Matth. xi, 29).* Quid est enim Domino mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis **115** difficultatibus, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare? Sed quia pravorum mentes plus per aspera elationis quam per blanda humilitatis ac mansuetudinis delectantur, esse sub sensibus deliciis putant. Dura enim pro amore sæculi quasi quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet; et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter quam spiritualiter gaudet. Plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur.

## CAPUT X.

## DE TAURO.

*In Scriptura sacra taurorum nomine aliquando intelliguntur Patres Veteris Testamenti, aliquando superbi.*

(146) Taurorum nomine Patres Veteris Testamenti designantur, sicut in Evangelio a Domino dicitur: *Ecce prandium meum paravi; tauri mei et altitia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias (Matth. xxii, 4).* Quid in tauris vel altilibus, nisi Novi ac Veteris Testamenti Patres accipimus? Altitia enim saginata dicimus. Ab eo enim quod est alere, altitia quasi alitilia vocamus. Cum vero in lege scriptum sit: *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (Matth. v, 43)*, accepta tunc justis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladii ferirent. Quod in Novo, procul dubio, Testamento compescitur cum per semetipsam Veritas prædicat, dicens: *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos (ibid., 44).* Quid ergo per tauros nisi Patres Testamenti Veteris significantur? Nam dum ex permissione legis acceperant quatenus adversarios suos odii retributione percuterent, ut ita dicam, quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos **116** virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid vero per altitia, nisi Patres Testamenti Novi figurantur? qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, a desideriis terrenis innitentes ad sublimia contemplationis suæ peninis sublevantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid aliud quam quædam ariditas mentis est? Qui autem intellectu cœlestium jam per sancta desideria de supernis delectationis intimæ cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari Psalmista concupivit, qui dicebat: *Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea (Psal. Lxii, 6).* Quia igitur prædicatores Dominicæ Incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, et prius prophetæ et postmodum sancti apostoli pertulerunt, invitatis et ve-

(145) Ex lib. xx in Job, cap. 16, ante medium.

(146) Hom. 58 in Eyang.

nire nolentibus dicitur : *Tauri mei et altitia occisa sunt, et omnia parata sunt.* Ac si apertius dicatur : *Patrum præcedentium mortes accipite, et remedia vitæ nostræ cogitate.*

(147) Taurorum nomine cervix superbæ designatur, sicut amicis beati Job a Domino dicitur : *Sumite vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis (Job XLII, 8).* Per tauros cervix superbæ, per arietes vero ducatus exprimitur, qui ab hæreticis persequens plebibus, quasi seductus gregibus agitur. De hæreticis namque superbientibus dicitur, qui infirmorum mentes male suadendo corrumpunt : *Consilium taurorum, inter vaccas populorum (Psal. LXVII, 31).* Et quia sequentes se populos velut greges trahunt, arietes aliquando nominantur ; greges scilicet arietes ducunt. Unde per increpationem Jeremias ait : *Principes tui velut arietes (Thren. I, 6).* Quia igitur hæretici, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, superbiam elationis deserere, et nequaquam jam quasi sequentes greges populorum cuneos ad interitum ducunt, amici beati Job offerre tauros et arietes jubentur. Tauros enim et arietes in sacrificio offerre est superbum ducatum in conversionis humilitate mactare, ut edomita cervice superbæ discant obediendo sequi qui dudum præire conabantur. Recte quoque **117** hæc eorum superbia septem sacrificiis expiatur, quia hæretici ad Ecclesiam revertentes per humilitatis hostiam, dona Spiritus gratiæ septiformis accipiunt, ut qui elationis suæ vetustate tabuerant, novitate gratiæ reformentur. Dicatur igitur : *Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis.* Ac si hæreticis redeuntibus aperte dicerentur. Universali vos Ecclesiæ per humilitatem pœnitentiæ jungite, atque eam qua per vosmetipsos digni non estis veniam ejus a me precibus obtinete, qui cum per hanc veraciter sapere discitis, prioris apud me vestræ sapientiæ stultitiam delictis.

### CAPUT XI.

#### DE VITULO.

*In Scriptura sacra vituli nomine aliquando Christus vel Lucas evangelista, aliquando sanctus prædicator intelligitur.*

Vituli nomine Christus vel Lucas evangelista designatur, sicut per Joannem evangelistam in Apocalypsi de quatuor animalibus dicitur : *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti (Apoc. IV, 7).* Ubi quamvis singula ad unumquemque evangelistam recte conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens quasi ortum solem aquila aspectat, possent

(147) Ex lib. xxxv in Job, c. 7.

(148) Ex hom. 3 in Ezech.

tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput, cuius sunt membra, signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; et leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ **118** mortis vinculum rupit; et ad extremum aquila, quia ad cælum de quo venerat rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo vocatus est.

(148) Vituli nomine sanctus prædicator designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli (Ezech. I, 7).* In sanctis quippe prædicatoribus planta pedis est ut planta vituli, scilicet mature incedens, et fortis et divisa. Quia unusquisque prædicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem unguis in discretionem. Non enim facile prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non æffuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum, ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit.

### CAPUT XII

#### DE CANIBUS.

*In Scriptura sacra canum nomine aliquando sancti prædicatores, aliquando adulatores, alias hæretici, alias Judæi, aliquando gentiles intelliguntur.*

(149) Canum nomine sancti prædicatores designantur, sicut in Evangelio scriptum est : *Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus (Luc. XVI, 21).* Quid enim per canes nisi prædicatores intelligimus? Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat : quia et doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis nostræ per linguam tangunt. Et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine prædicatorum **119** lingua signatur, bene per Psalmistam Domino dicitur : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (Psal. LXVII, 24).* Ex Judæis quippe infidelibus sancti prædicatores electi sunt, qui assertionem veritatis, contra fures latronesque venientes magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quomodo contra de quorundam reprobatione dicitur : *Canes muti non valentes latrare (Isa. LVI, 10).* Quia igitur prædicatores sancti peccata damnant, confessionem vero peccatorum approbant, dicentes : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (Jac. V, 16),* ulcera Lazari canes lingunt : sancti etenim doctores, dum gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restitunt. Unde et Lazarus interpretatur *adjutus*, quia ipsi hunc ad erectionem juvant qui ejus vulnera per linguæ correptionem curant.

Potest autem per linctionem canum, lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim vulnera

(149) Ex hom. 40 in Evang.

nostra lingere est, quod plerumque solent, etiam ipsa mala quæ in nobis reprehendimus improbo favore laudare.

Canum nomine hæretici designantur, sicut scriptum est : *Sicut canis revertitur ad vomitum suum, sic stultus ad stultitiam suam* (Prov. xxvi, 11).

Canum nomine Judæi Dominum persequentes designantur, sicut a Domino per Psalmistam dicitur, *Circumdederunt me canes multi* (Psal. xxi, 17).

Canum nomine gentiles designantur, sicut in Evangelio Dominus mulieri Chananææ dicit . *Non est bonum sumere panem, et mittere canibus* (Matth. xv, 26). Ac si diceret : Non est bonum ut doctrinæ panis a filiis, id est Judæis qui ab initio Dominum coluerunt et adoraverunt, subtrahatur et vobis gentibus, quæ multis spurcitiis et idolis deservistis, detur.

## 120 CAPUT XIII.

DE ARIETIBUS.

*In Scriptura sacra arietum nomine aliquando sacerdotes, aliquando rationales spiritus, aliquando ducatum sequentium populorum designantur.*

Arietis nomine primus intra Ecclesiam ordo sacerdotum designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos, et aries; nec est rex qui resistat ei.* Ipse quippe hoc loco ponitur leo, de quo scriptum est : *Vicit leo de tribu Juda.* Qui fortissimus esse perhibetur, quia in hoc ipso quod infirmum est Dei fortius est hominibus (I Cor. i, 25). *Qui ad nullius paret occursum.* Dicit enim : *Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam* (Joan. xiv, 30). *Gallus succinctus lumbos*, id est, prædicatores sancti inter hujus tenebras noctis verum mane nuntiantes. Qui succincti lumbos sunt, quia a membris suis luxuriæ fluxa restringunt. In lumbis quippe luxuria est. Unde et eis a Domino dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti* (Luc. xii, 35). *Et aries. Nec est rex qui resistat ei.* Quem alium hoc loco arietem accipimus nisi primum intra Ecclesiam ordinem sacerdotum? De quibus scriptum est : *Afferre Domino filios arietum* (Psal. xxviii, 1). Qui per exempla sua gradientem populum quasi subsequentem ovium gregem trahunt. Quibus spiritaliter recteque viventibus nullus rex sufficit omnino resistere, quia quilibet persecutor obviet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim ad eum quem desiderant et anxie currere et moriendo pervenire. Ponitur ergo primus leo, secundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Christus, deinde prædicatores sancti apostoli, et tunc demum spirituales **121** Patres Ecclesiarum præpositi, videlicet duces gregum, quia doctores sequentium populorum. Sed quia post hoc Antichristus apparebit, hoc illi quartum subdens dicit : *Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum* (Prov. xxx, 32). Ipse quippe in

sublime elevabitur, cum Deum se esse mentietur. Sed elevatus in sublime stultus apparebit, quia in ipsa elevatione, per adventum veri judicis deficiet. Qui si intellexisset, ori suo imposuisset manum, id est, si supplicium suum cum superbe exorsus est prævidisset, bene aliquando conditus in tantam jactationem superbæ non fuisset elatus. De quo nequaquam moveat, quod superius dictum est : *Quartum quod incedit feliciter.* Tria quippe bene incedere dixit, et quartum feliciter. Non enim omne quod feliciter bene; neque in hac vita omne quod bene, incedit feliciter. Nam leo, gallus et aries bene incedunt, sed non hic feliciter, quia persecutionum bella patiuntur. Quartum vero feliciter, et non bene incedit, quia in fallacia sua Antichristus graditur, sed juxta breve tempus vitæ præsentis ipsa illi fallacia prosperatur, sicut de eo sub Antiochii specie per Danielem dictum est : *Robur datum est ei contra jure sacrificium propter peccata, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur* (Dan. viii, 12). Quod ergo Salomon ait, incedit feliciter, hoc Daniel dicit, prosperabitur.

Arietum nomine rationabiles spiritus designantur, sicut per Moysen dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas. Detraclisque corticibus in his quæ spoliatae fuerant, candor apparuit. Illæ vero quæ integræ erant, virides permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Igitur quando ascendebant oves, ponebat eas in canalibus aquarum, ante oculos arietum et ovium ut in earum contemplatione conciperent* (Gen. xxx, 37-38). Quid est enim virgas virides amygdalinas et ex platanis ante oculos gregum ponere, nisi per Scripturæ sacræ seriem antiquorum Patrum vitas atque sententiam in exemplum populis præbere? Quæ nimirum, quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem **122** subtrahit ut in his, quæ exspoliantur, candor intimus appareat, et ex parte corticem servat, ut, sicut fuerant exterius in viriditate permaneant. Variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, et ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium Patrum sententiæ, quasi virgæ variæ ponuntur, in quibus, dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus; et, dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus; dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur; et dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia demonstrantur exempla. Quas bene Jacob in aquæ canalibus posuit, quia et Redemptor noster in libris sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimus fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt, quia rationabiles nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscetur ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident. Et

diversum colorem, proles boni operis habet quia A et nonnunquam subtracto litteræ cortice, actus interna considerat, et reservato nonnunquam historæ tegmine se in exterioribus format.

Arietum nomine ductus sequentium populorum designatur. Unde ad amicos beati Job a Domino dicitur: *Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum vestrum; et offeret holocaustum pro vobis* (Job XLII, 8). Quare in capitulo de tauro.

### 123 CAPUT XIV.

#### DE OVIBUS.

In Scriptura sacra cum singulariter ovis ponitur, Christi patientia intelligitur; cum vero pluraliter oves dicuntur, aliquando fideles ex Judæis accipiuntur, aliquando cogitationum innocentia, aliquando simplices quique.

(150) Ovium nomine fideles ex Judæis designantur, B sicut de beato Job in figura dicitur: *Et fuit possessio ejus septem millia ovium et tria millia camelorum* (Job I, 3). Quid enim septem millibus ovium, nisi perfectam quorundam Judæorum innocentiam exprimit, qui ad perfectionis gratiam ex legis pascuis venit? Quid vero in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens tota gentilium vitiositas designatur? Sicut per oves Hebræos a pascuis legis ad fidem venientes accipimus, sic nil obstat ut per camelos tortos moribus atque onustos idolorum cultibus gentilium populos sentiamus. Quia enim a semetipsis sibi invenerunt Deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso creverat quod portarent. Sed quia in carne Dominus apparens, et Hebræorum populum perfectionis gratia implevit, et gentium quosdam ad cognitionem fidei mira opera ostendendo produxit, dicatur recte de umbra, quæ veritatem exprimeret, quod et septem millia ovium et tria millia camelorum possideret.

Possunt autem per oves moraliter cogitationum innocentia, per camelos distortæ cogitationes designari. Servata quippe veritate historiarum, imitari 124 spiritualiter possumus quod carnaliter audimus. Ovium enim septem millia possidemus, cum cogitationes innocuas perfecta cordis munditia inter nosmetipsos inquisito veritatis pabulo pascimus. Eruntque nobis in possessionem etiam tria millia camelorum, si omne quod in nobis altum ac tortuosum est rationi fidei subdimus, et sub cognitione Trinitatis sponte in appetitu humilitatis inclinamus. Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus humiliter deponamus. Camelos possidemus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem decimus, et vicissim onera nostra portantes, alienæ infirmitati compati condescendendo noverimus.

(151) Ovium nomine, simplices quique et innocentes designantur, sicut per Psalmistam Patri de Filio dicitur: *Omnia subjecti sub pedibus ejus, oves et*

*boves universas, insuper et pecora campi* (Psal. VIII, 8). Hinc iterum per eundem Psalmistam dicitur: *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus* (Psal. LXXVIII, 13). Neque enim qui servare innocentiam negligunt, illa internæ pascuæ refectione satiantur.

### CAPUT XV.

#### DE AGNA.

(152) Agnæ nomine activa vita designatur, sicut per Moysen de eo qui juramentum protulit, ut vel male quid, vel bene faceret, atque hoc ipsum oblivione transcendit, dicitur: *Offerat agnam de gregibus sive capram* (Levit. V, 6). Juramentum namque proferre est voto nos divinæ servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostræ voverimus, male ad præsens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantulumcumque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus sive capra præcipitur. Quid enim per agnam nisi activæ vitæ innocentia? quid per capram, quæ in summis extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplativa 125 vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implisse, ad sacrificium Dei studiosius sese debet, vel innocentia boni operis, vel sublimi pascuæ contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur, quia activa vita multorum est contemplativa paucorum. Et cum hæc agimus quæ multos agere atque egisse conspicimus, quasi agnam de gregibus damus.

### CAPUT XVI.

#### DE BESTIIS.

In Scriptura sacra cum singulariter bestia ponitur, aliquando diabolus, aliquando turba prædicatorum Antichristi, aliquando mens irrationabilis; cum vero pluraliter, aliquando dæmones, aliquando motus carnis designantur.

(153) Bestiæ nomine antiquus hostis accipitur qui deceptionem primi hominis sævus impetit, et integritatem vitæ illius male suadendo laniavit. Contra quem prophetæ vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquum statum restauranda præmittitur: *Et mala bestia non transibit per eam* (Isa. XXXV, 9). Hinc iterum in libro beati Job scriptum est: *Ingre-* D *ditur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur* (Job XXXVII, 8). Cum enim in fine mundi illum hominem damnatum qui Antichristus vocatur, invaserit, quid aliud quam latibulum suum ingreditur, ut in antro propriodemoretur? Vas quippe illud diaboli antrum ac latibulum bestię est, ut insidians hominibus viam hujus vitæ carpentibus, in illo et per signa lateat, et per malitiam occidat.

(154) Bestię nomine turba prædicatorum Antichristi designatur. Unde simulationis ipsorum militiam 126 Joannes in Apocalypsi brevi descriptione

(150) Ex lib. I in Job, c. VI.

(151) Ex lib. XXXV in Job, c. XI.

(152) Ex lib. XXXII in Job, c. IV.

(153) Ex lib. XXXVII in Job, c. XVII, 18.

(154) Ex lib. XXXIII in Job, c. XXVI.

comprehendens dicit: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agni, et loquebatur ut draco* (Apoc. xiii, 11). Priorem quippe bestiam, id est Antichristum superiore jam descriptione narraverat; post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere est terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua similia agni, quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem sibi inesse et sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco*. Ista enim bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret; sed assumit speciem agni. ut draconis exerceat operationem.

(155) Bestiæ nomine mens irrationabilis designatur, sicut per Moysen dicitur: *Bestia, si tetigerit montem, lapidabitur* (Exod. xix, 12). Mons quippe est altitudo contemplationis; bestia vero, mens irrationabilis. Bestia ergo montem tangit, cum mens irrationabilibus desideris subdita, ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens ipsis superni ponderis ictibus necatur.

Bestiarum nomine dæmones signantur, sicut Job dicit ex ore Domini: *Omnes bestiæ agri ludent ibi* (Job xl, 15). Quid enim per bestias, nisi immundi spiritus? Et quid per agrum, nisi præcens sæculum designatur? Agri autem bestiæ ibi, id est in herbis montium ludunt, quia projecta de superioribus in hoc mundo dæmonia pravis superborum operibus delectantur. Bestiæ in herbis ludunt, cum reprobis spiritibus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. An non immundis spiritibus ludere est mentes hominum ad Dei imaginem conditas modo ficta promissione decipere, modo vacuis terroribus irridere, modo eis transitoria **127** gaudia quasi mansura imprimere, modo mansuras pœnas, quasi transitorias levigare?

(156) Bestiarum nomine motus carnis designantur, sicut beatus Job dicit: *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi* (Job v, 23). Quid enim per bestias, nisi motus carnis intelliguntur, quæ, dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt? Sed cum cor divina lex deprimit, etiam carnis incentiva detumescunt, ut et si tentando submurmurant, nequaquam tamen usque ad effectum operum quasi ad aperti morsus rabiem exsurgunt. Quis enim in hac adhuc corruptibili carne positus has terræ bestias plene edomat, cum ille ad tertium cælum raptus egregius prædicator dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati que*

*est in membris meis?* (Rom. vii, 23.) Sed aliud est has bestias in campo operis sævientes aspicere, aliud intra cordis caveam frementes tenere. Redactæ namque intra claustrum continentiæ, et si adhuc tentando rugiunt, usque ad morsum tamen, ut diximus, actionis illicitæ non excedunt. Pacificæ itaque sunt terræ bestiæ, quia motus carnis etsi per desideria palpitent, aperta nos tamen contra dictione operis non impugnant. Pacem ergo vobis terræ bestiæ faciunt, quia motus carnis, dum nos tentando lacescunt, ad amorem quietis intimæ impellunt.

## 128 CAPUT XVII.

DE LEONE.

*In Scriptura sacra cum leo singulari numero ponitur, aliquando Christus intelligitur, aliquando Marcus evangelista, aliquando diabolus, aliquando cuiuslibet iusti securitas, aliquando Antichristus, aliquando quilibet raptor; cum vero pluraliter leones dicuntur, aliquando doctorum severitas, aliquando dæmones signantur.*

Leonis nomine Christus intelligitur, sicut scriptum est: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum* (Prov. xxx, 36). Qui iure fortissimus bestiarum dicitur, quia in hoc ipso quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I Cor. i, 25). Qui ad nullius pavet occursum; dicit enim: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (Joan. xiv, 30). Sed alibi dicitur: *Vicit leo de tribu Juda* (Apoc. v, 5).

(157) Leonis nomine Marcus evangelista designatur, unde Ezechiel propheta, cum sanctos evangelistas sub figura quatuor animalium describeret, ait: *Similitudo vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor* (Ezech. i, 20). Quod enim hæc quatuor pennata animalia quatuor evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, iure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia **129** a sacrificio exorsus est bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Joannes, qui dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Qui dum in ipsa divinitatis substantia intendit, quasi more aquilæ oculos in solem fixit.

(158) Leonis nomine diabolus designatur, sicut per primum Ecclesiæ pastorem fidelibus dicitur: *Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circumcui quærens quem devoret* (I Petr. v, 8). Hinc iterum per Isaiam dicitur: *Leo sicut bos comedet paleas* (Isa. xi, 7).

Leonis nomine iusti viri securitas designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit* (Prov. xxviii, 1). In occur-

(155) Ex lib. vi in Job, c. xvii.

(156) Ex lib. vi in Job, xvi.

(157) Ex hom. 4 in Ezech., in principio.

(158) Ex hom. 19 in Ezech.

sum quippe bestiarum idcirco leo non trepidat, quia A prævalere se omnibus non ignorat. Unde justi viri securitas recte leoni comparatur, qui contra se cum quoslibet insurgere conspiciat, ad mentis suæ confidentiam reddit. Et scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit quem invitus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora quæ volenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori substernit. Infracta autem virtus est concupiscentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus, quia et in alto mens ponitur, cum a rebus infimis, spei suæ iudicio sublevaritur, atque cunctis adversantibus tanto minus attingitur, quanto in supernis sita tutius munitur.

(159) Leonis nomine Antichristus exprimitur per Psalmistam dicentem: *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo* (Psal. ix, 9). Recte etenim Antichristus B et leo insidians dicitur, insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ad apertam namque potentiam suffecisset ut leo esset, etiamsi insidians non fuisset. Rursum ad occultas versutias suffecisset ut insidians subriperet, etiamsi leo non esset. Sed quia hic antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine et fraude et virtute laxetur: virtute per potentiam 130 fraude per signa. Non enim tunc sola potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, sæcularem potentiam ostentat. Ut autem viros justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit opinione sanctitatis.

(160) Leonis nomine quilibet raptor designatur, sicut de infidelium conversione per Isaiam promittitur qui ait: *Vitulus, et leo et ovis simul morabuntur* (Isa. xi, 6). Quid enim per vitulum, nisi is qui se per cordis contritionem Deo immolat? quid per leonem, nisi is qui alios cruciat? et quid per ovem, nisi simplex et innocens designatur? Sed etiam vitulus, et leo et ovis simul commorantur, quia is qui per contritum cor ad quotidianum Deo sacrificium se præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis innocentiae suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt.

(161) Leonis nomine doctorum severitas accipitur. D Unde scriptum est quia in vasis templi inter coronas et plectas, boves et leones cherubim exsculpta sunt, et subter boves et leones lora dependentia. Coronæ quippe signum victoriæ, plectæ autem concordiae unanimitatem signant. Cherubim vero plenitudo scientiæ dicuntur. Sacerdotes autem atque doctores inter coronas et plectas (III Reg. vii, 29), id est inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, et charitatis concordiam, quia se vicissim non discrepant, per boves et leones atque cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiæ, quam

habent, necesse est ut et boum mansuetudinæ teneant et fervorem leonum, quatenus in disciplina quam prædicant et ex sancto zelo accensi sint, et ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus subter se lora dependeant, ut disciplinæ suæ retinacula, quibus ipsi ligati sunt, etiam subjectis suis sollicitè impendant. Subter eos lora dependere est custodiæ vincula subditis tenere. Quæ tunc recte servantur, cum nec boum mansuetudo in zeli fervore 131 amittitur, nec leonum terror in mansuetudine declinat. Tanta quippe debet esse discretio, ut nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa, ne si inordinate culpa dimittitur, is qui est culpabilis in reatu gravius astringatur; et rursum si culpa immoderate retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quanto erga se nil ex benignitatis gratia agi considerat. Exhibenda itaque pravis est asperitas in ostensione, charitas in mente, ut et dura ostensio delinquentem coerceat, et charitatis custodia mercedem mansuetudinis non amittat. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, ut culpæ doctor et discrete noverit parcere, et pie resecare.

(162) Leonum nomine eminentioris potestatis demones designantur, sicut in Psalmo scriptum est: *Posuisti tenebras et facta est nox; in ipsa pertransierunt omnes bestię silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi* (Psal. ciii, 20). Tenebras quippe Dominus ponit, cum peccatis iudicia rependens, lumen suæ intelligentiæ subtrahit. Et nox efficitur, quia pravorum mentes ignorantiae suæ erroribus cæcantur. In qua omnes bestię silvæ pertranseunt, dum maligni spiritus sub opacitate fraudis latentes in reproborum corda pravitates suas explendo percurrunt. In qua et catuli leonum rugiunt, quia nequissimorum, sed tamen eminentium potestatum ministri spiritus importunitis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam expectant, quia nimirum capere animas nequeunt, nisi iusto iudicio prævalere divinitus permittantur.

### 132 CAPUT XVIII.

DE LEÆNA.

In sacra Scriptura leænæ nomine aliquando sancta Ecclesia; aliquando Babylonia, aliquando mens humana designatur.

(163) Leænæ nomine pro eo quod contra adversa audax est, Ecclesia designatur, sicut per beatum Job de Judææ reprobatione dicitur: *Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransiit per eam leæna* (Job xxviii, 8). Institores negotiatores dicimus, quod eo exercendo operi insistunt. Omnes ergo qui fidelium mores instituunt, spiritale negotium gerunt, ut cum prædicationem suis auditoribus præbent, ab eis fidem et opera recta percipiunt, sicut de sancta Ecclesia scriptum est: *Sindonem fecit et vendidit* (Prov. xxxi, 24). De qua paulo post illic dicitur: *Vidit quod bona est negotiatio ejus* (ibid., 18). Quid ergo institores, nisi prophetæ sancti vocati sunt, qui Sy-

(159) Ex lib. xxxii in Job, c. xiv.

(160) Ex hom. 16 in Ezech.

(161) Ex hom. 21 in Ezech.

(162) Ex lib. xxvii in Job, c. xvii, 19.

(163) Ex l. xviii in Job, c. xx.



synagogæ mores ad fidem instruere prophetando curaverunt? Quorum nimirum filii sancti apostoli nuncupantur, qui ut Deum hominem crederent, ad eandem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. De quibus Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram* (Psal. XLIV, 17). Sed quia repulsi apostoli a Synagogæ finibus sunt egressi, recte nunc dicitur: *Non calcaverunt eam filii institorum*. Calcarent quippe eam institorum filii, si prædicatores sancti ejusdem Synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem Ecclesiæ prædicatores accipimus, institorum filios, pastores et doctores, qui apostolorum vitam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui Synagogam minime calcaverunt, quia dum eorum Patres, id est apostoli, ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab ejus vocatione cessaverunt, per quam videlicet **133** Synagogam læna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita nequaquam se ad illum Judææ populum diutius occupavit. Recte autem Ecclesia læna nuncupatur, quia male viventes in vitii ore sanctæ prædicationis interficit. Unde et ipsi primo pastori, quasi hujus lænæ ori, dicitur: *Macta* (164) *et manduca* (Act. x, 13). Quod mactatur a vita occiditur. Id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato, eos in quo vivunt interfice, et a seipsis illos in tua membra convertite. Et quia hæc Ecclesia corpus est Domini, ipse etiam Dominus Jacob voce leo vocatur ex se; læna vocatur ex corpore, dum ei sub Judææ specie dicitur: *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubisti ut leo, et quasi læna* (Gen. XLIX, 9). Quis suscitabit eum? Hæc igitur læna nequaquam dicitur, quia per Judæam transivit; sed non pertransiit. Apostolis quippe prædicantibus prius ex illa tria millia, postmodum quinque millia crediderunt. Ecclesia itaque per Synagogam transiit, sed non pertransiit, quia ex illa ad finem paucos rapuit; sed tamen illum populum a perfidia funditus non exstinxit.

(165) Læna nomine Babilonia designatur, sicut per Eliphath sub Hebræorum figura adversus beatum Job dicitur: *Rugitus leonis, et vox lænæ et dentes catulorum leonum contriti sunt* (Job IV, 10). Leonis quippe nomine antiquus hostis intelligitur; læna vero nomine hujus mundi civitas, id est Babilonia exprimitur, quæ contra vitam innocentium immunitate crudelitatis effrenatur. Quæ antiquo hosti quasi sævissimo leoni sociata perversæ persuasionis ejus semina concipit, et reprobos ex se filios ad similitudinem illius quasi crudeles catulos gignit. Catuli autem leonum sunt quilibet reprobi ad iniquam vitam malignorum spirituum errore generati. Qui et simul omnes universam mundi civitatem quam prædiximus Babiloniam faciunt, et tamen iidem singuli Babiloniæ filii quasi non læna, sed lænæ catuli

vocantur. Sicut enim Sion tota simul Ecclesia dicitur, filii autem Sion sanctorum quique singuli memorantur, ita et filii Babiloniæ singuli **134** quique reproborum, et eadem Babilonia simul omnes reprobi vocantur. Sed sancti viri, quando in hac vita sunt, semetipsos sollicita circumspectione custodiunt, ne leo circumiens insidiando subripiat, id est antiquus hostis sub aliqua imagine virtutis occidat. Ne lænæ vox auribus obstrepat, id est ne Babilonis gloria sensum ab amore patriæ cœlestis avertat, ne catulorum dentes mordeant, id est ne reproborum persuasio in corde convalescat. At contra hæretici, quasi de sanctitate secuti sunt, quia vitæ suæ meritis cuncta se superasse suspicantur. Unde recte nunc dicitur: *Rugitus leonis, et vox lænæ: dentes catulorum leonum contriti sunt*. Ac si aperte diceretur: Nos ideo nullis flagellis atterimur, quia virtutem antiqui hostis, et cupiditatem terrenæ gloriæ, et persuasiones reproborum omnium vitæ meritis calcando superamus.

Lænæ nomine mens humana designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Et propter superbiam, quasi lænam capies me* (Job x, 16). Superna dispensatio idcirco nos tota sui intentione servientes, carnis nostræ permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in superbiam præsumptione suæ securitatis audeat elevari, ut dum pulsata tepidat, in solo auctoris adjutorio spei pedem robustius ponat. Unde benedicitur: *Et propter superbiam, quasi lænam capies me* (166). Lænæ quippe cum escam catulis requirit, inhianter in foveam captionis ruit. Sicut enim ex quibusdam regionibus fertur, ut in ejus itinere fovea, in quam pecus deponitur, ut illuc se ejus appetitu projicere læna provocetur: quæ angusta simul et alta præparatur, ut in eam ambiendo ruere valeat, sed hanc saliendo nullomodo evadat. Alia quoque fovea, quæ priori cohæreat, effoditur: quæ tamen ei in qua pecus est, extremæ partis apertione jungitur. In qua nimirum cavea ponitur, ut læna corruens, quia desuper terroribus urgetur, cum quasi in secretiori parte foveæ occultare se appetit, caveam volens intret. Cujus jam sævitia minime pertimescitur, quia clausa in caveam levatur. Quæ enim sua sponte in foveam corrui, ad superiores partes **135** circumseptæ vectibus redit. Sic, sic nimirum humana mens capta est, quæ in libertate arbitrii condita, dum nutrire desideria carnis appetit, quasi læna catulis escam quæsit, atque in deceptionis suæ foveam cecidit: quæ suadente hoste ad cibum prohibitam manum tetendit. Sed in fovea protinus caveam invenit, quia sponte ad mortem veniens corruptionis suæ mox carcerem pertulit, atque ad auras liberas gratia interveniente perducitur. Sed cum multa agere conatur, et non valet, ejusdem corruptionis suæ obstaculis quasi caveæ vectibus ligatur. Jam quidem eam in qua ceciderat damnationis foveam, evasit, quia secuturæ

(164) Ibi vulgo pro *macta*, legitur *occide*.

(165) Ex lib. v in Job, c. xvi.

(166) Ex lib. ix in Job, c. xxxiii.

mortis supplicium manu Redemptoris adjuncta, ad veniam redeundo superavit. Sed tamen coarctata caveam tolerat, quia supernæ quoque disciplinæ nexibus cingitur, ne per carnis desideria vegetur. Quæ ergo sponte sua in foveam cecidit, ad auras liberas clausa redit, quia et per libertatem arbitrii in culpam corrui; et tamen a suis motibus Conditoris gratia coactam nolentemque restringit. Post foveam itaque caveam patitur, quæ erecta ex aeterno supplicio a pravæ voluntatis motibus sub cœlestis artiſeis dispensatione religatur. Recte ergo dicitur: *Et propter superbiam quasi læenam capies me*, quia et liber homo per cibum sibi mortem intulit, et reductus ad veniam, sub disciplina melius clausus vivit. Quasi læena ergo propter superbiam captus est, quia nunc iade eum disciplina suæ corruptionis deprimit, unde transgressionem præcepti non timens audacter in foveam saltum dedit.

Sed si parum per obtutum mentis a culpa primi parentis avertimus, nos adhuc quotidie ut læena capi per vitium elationis invenimus. Sæpe namque homo acceptis virtutibus in audaciam suæ præsumptionis erigitur, sed mira dispensatione pietatis, ante ejus oculos res quælibet, in qua corruat ordinatur. Dumque per culpam aliquid appetit, quid aliud quam prædam in fovea concupiscit? Sua sponte inhians cadit, sed suis viribus surgere non valet. Qui cum se nil ex se esse considerat, discit procul dubio cujus adjutorium requirat. Quem tamen superna miseratio captu quasi **136** a fovea evehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Læenæ itaque more propter superbiam ad superiores partes in cavea remeat qui, de virtute cum extollitur, lapsus ad desideria in humilitate religatur. Quia enim prius propria præsumptione perierat mira pietate agitur, ut infirmitatis suæ jam notitia clausus vivat. Quod quia sanctus vir crebro hominibus accidere conspicit, nostri in se periculi vocem sumit ut cum nos ejus fletus agnoscimus, quæ in vobis sunt flenda discamus.

## CAPUT XIX.

## DE TIGRIDE.

*In Scriptura sacra tigridis nomine aliquando quilibet hypocrita, aliquando diabolus designatur.*

(167) Tigridis nomine hypocrita quilibet designatur. Unde Eliphas beatum Job tanquam maculis simulationis varium arguens dicit: *Tigris periiit, eo quod non haberet prædam* (Job iv, 11). Quem namque nomine tigridis, nisi beatum Job nota varietatis signat, vel aspersum maculis simulationis? Omnis namque simulator in eo quod videri rectus appetit, mundum se per omnia ostendit, quia dum virtutes quasdam per hypocrisis assumit, et occulte semetipsum vitis subjicit, quædam latentia vitia repente in faciem erumpunt, et superductæ simulationis quasi visionis corium ex admistione sua varium ostendunt, ut plerumque mirum sit cur homo, qui

tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobus actibus inquinetur. Sic nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum mundus eolor dissimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dum de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiæ fœdatur. Sæpe dum de virtute largitatis speciosus ostenditur, luxuriæ maculis inquinatur. Sæpe dum castitatis atque largitatis **137** decore vestitur, velut ex zelo justitiæ crudelitatis atrocitate fuscatur. Sæpe largitate, castitate, pietate ex pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbix notatur. Sicque fit ut intermistis vitis dum mundam in se speciem hypocrita non ostendit, quasi unum colorem tigris habere nequaquam possit. Quæ videlicet tigris rapit, prædam, cum humani sibi favoris usurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quasi præda satiatur. Bene autem hypocritarum laus præda dicitur. Præda quippe est, cum aliena violenter auferuntur. Omnis autem hypocrita, quia vitam justitiæ simulans justorum sibi laudem arripit, alienum profecto est quod tollit. Eliphas itaque, qui beatum Job incolumitatis suæ tempore laudanda egisse cognovit percussione subsequente hoc illum tenuisse per hypocrisim credidit, dicens: *Tigris periiit, eo quod non haberet prædam*. Ac si aperte dicat. Varietas tuæ simulationis extincta est, quia et adulatio laudis ablata, et jam tua hypocrisis prædam non habet, quia percussa divinitus humanis favoribus caret.

(168) Potest autem tigridis nomine diabolus designari. Unde Eliphas sub persona hæreticorum de sanctitate vitæ elatus dicit: *Tigris periiit, eo quod non haberet prædam*. Satan quippe propter multiformis astutiæ varietatem non incongrue tigris vocatur. Modo namque se, sicut est perditus, humanis sensibus objicit, modo quasi angelum lucis ostendit, modo stultorum mentes blandiens persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit modo suadere vitia aperte nititur modo in suis suggestionibus sub virtutis spem palliatur. Quia ergo tanta varietate res peragitur jure diabolus tigris vocatur. Hæretici namque quia de sanctitatis præsumptione superbiunt quasi exsultantes dicunt: *Tigris periiit, eo quod non haberet prædam*. Ac si aperte dicant: Vetustissimus adversarius in nobis prædam non habet, quia, quantum ad nostra studia, jam victus jacet.

**138** CAPUT XX.

## DE PARDO.

(169) Pardi nomine peccatorum maculis varius designatur, sicut per Isaiam de convertendis peccatoribus dicitur: *Pardus hædo accubabit* (Isa. ii, 6). Quid enim per pardum, nisi peccatis variis aspersum? et quid per hædum, nisi eum, qui se peccatorem humiliter cognoscit, accipimus? Pardus autem cum hædo accubat, cum is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despiciet et peccatorem fatetur, humiliare consentit.

(169) Ex hom. 16 in Ezech. longiuscule a principio.

(167) Ex lib. v in Job, c. vi, 16.

(168) Ex c. xvii ejusd. l.

## CAPUT XXI.

## DE LUPO.

*In Scriptura sacra lupi nomine aliquando raptor quilibet, aliquando diabolus intelligitur.*

(170) Lupi nomine raptor quilibet designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Habitabit lupus cum agno (Isa. xi, 6)*. Quid enim per lupum nisi rapinis inhiantem, et quid per agnum nisi mitem quemlibet intelligimus? *Lupus autem cum agno habitat*, quia per sanctæ charitatis viscera ii qui in sæculo raptore fuerunt, cum mansuetis ac mitibus in pace conquescent. Hinc in Evangelio scriptum est. *Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit (Joan. x, 12)*. (171) Mercenarius et non pastor vocatur qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est qui locum quidem pastoris tenet, sed animarum lucra non quærit; terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus curis pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt enim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat : **139** hic quod quærit inveniat et ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. Utrum vero pastor sit an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore, plerumque ad gregis custodiam, sicut vetus pastor, sic et mercenarius stat. Sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur, none rat; reliquit oves et fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit et tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per prophetam dicitur : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini (Ezech. xiii, 5)*. Ex adverso quippe ascendere est quibuslibet potestatibus prave agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in prælio stamus ac murum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit fugit.

(172) Est autem alius lupus qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidiando circuit, et mortem animarum quærit. De quo lupo dicitur : *Et lupus rapit, et dispergit oves (Joan. x, 12)*. Lupus venit, et mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, et is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, et ipse de terrenis commo-

A dis lætatur. Lupus rapit et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam attendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit; hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hoc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, **140** quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Unde et mox adjungitur : *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus (ibid., 13)*. Sola ergo causa est, ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur : Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat.

## CAPUT XXII.

## DE ONAGRO.

*In Scriptura sacra cum onager singulari numero ponitur, aliquando justus quilibet solitarius, aliquando incarnatus Dominus, aliquando is qui cuncta quæ agit considerat, aliquando gentilis populus, aliquando is qui in campo fidei positus nullius officii loris ligatur; cum vero pluraliter onagri dicuntur, aliquando hæretici exprimentur, aliquando Judæi.*

(173) Onagri nomine solitarius quilibet designatur, sicut Dominica voce ad beatum Job dicitur : *Quis dimisit onagram liberum, et vincula ejus quis solvit? (Job xxxix, 8)*. Onager enim qui in solitudine commoratur, non incongrue eorum vitam significat qui remoti a turbis popularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudetur. **141** Cujus servitutis conditione carere est in mundo jam nihil concupiscere. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam etiam in hac vita libertate perfruitur; dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. Hoc grave jugum servitutis Dominus vidit sæcularium cervicibus impressum, cum diceret : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (Matth. xi, 28, 29)*. Asperum quippe jugum et duræ, sicut diximus, servitutis est pondus subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire.

(170) Ex ead. hom.

(171) Ex hom. 14 in Evang.

(172) Ex eadem hom.

(173) Ex l. xxx in Job, c. xii.

Dum enim contra votum cuncta fugiunt qui prius mentem ex desiderio adeptionis affligerant, post ex pavore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Solvuntur vero uniuscujusque vincula, dum divino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula dirumpuntur. Cum enim pia intentio ad conversionem vocat, sed adhuc ab hac intentione carnis infirmitas revocat, quasi quibusdam vinculis, anima ligata præpeditur. Multos enim sæpe videmus vitam quidem sanctæ conversationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa namque ante oculos ponunt, quæ si eis in conversatione eveniant, subsistere, se non posse formidant. De quibus bene Salomon ait : *Iter pigrorum quasi sepes spinarum* (Prov. xv, 19). Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Quod quia electos impedire non solet, bene illic secutus adiunxit : *Via justorum absque offendiculo* (ibid.). Justi quippe in conversatione sua **142** quodlibet eis adversitatis obviaverit, non impinguunt, quia temporalis adversitatis obstacula æternæ spei et internæ contemplationis saltu transcendunt. Ait ergo : *Quis dimisit onagram liberum, et vincula ejus quis solvit ?* Subaudis, nisi ego. Solvit itaque Dominus onagri vincula, quando ab electi uniuscujusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, et protinus dissipat omne quod ille clam mentem ligabat.

(174) Potest autem onagri nomine incarnatus Dominus designari. Nec indignum quis judicet per tale animal incarnatum Dominum posse figurari, dum constat omnibus quod per significationem quamdam in Scriptura sacra et vermis et scarabæus ponatur, sicut scriptum est : *Ego autem sum vermis, et non homo* (Psal. xxi, 47). Et sicut apud LXX Interpretes per Prophetam dicitur : *Scarabæus de ligno clamavit*. Cum ergo tam abjectis et vilibus rebus figuratur, quid de illo contumeliose dicitur de quo constat proprie nihil dici? Vocatur etenim Agnus, sed propter innocentiam. Vocatur leo, sed propter potentiam. Aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam. Atque ideo per hæc omnia dici figuratim potest, quia de his omnibus aliquid credi essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si Agnus proprie diceretur, leo jam dici non posset. Si leo proprie diceretur, per serpentem signari non posset. Sed hæc omnia in illo dicimus, tanto latius in figura, quanto longius ab essentia. Potest ergo

(174) Ex l. xxx, in Job, c. xv, non ita longe a principio.

†(175) Ibi nostra edit. habet *pulchritudo*. Cassiodor.

A onager incarnatum Dominum designare. Agreste quippe est animal onager, et quia incarnatus Dominus gentilitati magis quam Judææ profuit, animale corpus assumens quasi non in domum, sed potius in agrum venit. De quo agro gentilitatis per Psalmistam dicitur : *Species* (175) *agri mecum est* (Psal. xlix, 11). Incarnatus itaque Dominus, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi minor est Patre, qua minor est etiam seipso. Dicatur ergo a Patre de filio secundum formam servi : *Quis dimisit onagram liberum et vincula ejus quis solvit ?* (Job xxxix, 8.) *Omnis quippe qui peccat, servus est peccati* (Joan. viii, 34). Et quia incarnatus Dominus nostræ particeps **143** factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo alias scriptum est : *Inter mortuos liber* (Psal. lxxxvii, 5). Dimissus dicitur; quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullo modo tenetur. Quem quamvis macula nostræ culpæ non ætigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit. Unde et post gratiam liber dimissus dicitur, recte de illo adjungitur : *Et vincula ejus quis solvit ?* Vincula quippe ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis illius in resurrectionis sunt gloriæ commutatae. De quibus vinculis Petrus apostolus attestatur dicens : *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eis* (Act. ii, 24).

(176) Onagri nomine is qui cuncta quæ desiderat agit designatur, sicut de vano viro per Sophar dicitur : *Et quasi pullum onagri, liberum senatum putat* (Job xi, 12). Per pullum quippe onagri omne agrestium genus exprimitur, quod naturæ dimissum motibus, loris dominantium non tenetur. Onagri namque sunt in libertate, et ire quo appetunt, et quiescere cum lassantur. Et quamvis insensatis animalibus homo longe sit melior, hoc tamen plerumque homini non licet quod brutis animalibus licet. Quæ enim ad aliud minime servantur, eorum motus procul dubio nequaquam sub disciplina restringitur. Homo autem quia ad sequentem vitam ducitur, necesse est profecto ut in cunctis suis motibus sub disciplinæ dispositione et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus vivat. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat per effrenatam libertatem quærit, quid aliud quam pullo onagri esse similis concupiscit, ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum curret?

(177) Onagri nomine gentilis populus designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit ?* (Job vi, 5.) Quid namque per onagram, id est agrestem asinum, nisi gentilis populus designatur. Quem ficus natura extra st-

autem in Psalterio legit ut Gregor.

(176) Ex l. x, in Job, c. xv.

(177) Ex lib. vii, in Job, c. vi.

herba disciplinae edidit, ita vagus **144** in voluptatum A suatum campo permansit. Quid enim per bovem, nisi plebs Judaica figuratur? quae jugo dominationis supernae supposita, ad spem proselytos colligeus, per corda quae valuit, vomerem legis traxit. Sed beati Job vita attestante cognoscimus, ut expectasse Redemptoris adventum multos etiam ex gentibus credamus. Et nascente Domino, Simeone in spiritu in templum veniente didicimus, quanto desiderio ex plebe Israelitica, sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupiebant. Unde et per eundem Redemptorem discipulis dicitur: *Dico vobis quod multi reges, et prophetae et justii voluerunt videre quae videtis, et non viderunt (Luc. x, 24)*. Herba ergo onagri et fenum bovis est, haec ipsa Mediatoris incarnationis, per quam simul gentilitas et Judaea satiat. Quia etenim per prophetam dicitur: *Omnis caro fenum (Isa. xl, 6)*, universalis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum fenum caro remaneret. Tunc ergo onager herbam invenit, cum gentilibus populus gratiam divinae incarnationis accepit. Tunc los vacuum praesepe non habuit, cum plebi Judaeae, ejus carnem lex exhibuit, quem diu expectanti prophetavit. Unde et natus Dominus in praesepe ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quae jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus feno satiarentur. Praesepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium praebuit dicens: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo (Joan. vi, 56)*. Sed quia diu et gentilium electorum vota dilata sunt, et ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam expectando gemuerunt, bene beatus Job prophetae mysteria narrans, ex utraque natione, causas afflictionis insinuavit dicens: *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante praesepe plenum steterit?* Ac si aperte dicat: Hecirco gentilitas gemit, quia eam necdum Redemptoris sui gratia reficit; atque ideo Judaea mugitus dilatat, quia legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante praesepe jejunat.

**145** (178) Possunt autem onagri nomine designari hi qui in campo fidei positi nullius officii loris ligantur. Bovis quoque significatio illos exprimit, quos intra sanctam Ecclesiam ad praedicationis officium suscepti ordinis jugum premit. Herba vero onagri et pabulum bovis est necessaria refectio populi fidelis. Alii namque more bovis intra Ecclesiam suscepti officii loris tenentur; alii more onagri sacri ordinis stabula nesciunt, et campo propriae voluntatis degunt. Sed cum quis ex vita saeculari visionis internae desiderio aestuat, cum refactionis intimae pabulum concupiscit, cum jejunum se in peregrinationis hujus caecitate considerans quibus valet flentibus reficit, quasi non inveniens herbam

(178) Ex ejusdem lib. cap. vi.

(178') Ex principio cap. xxxii, lib. xvi in Job

onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerans in labore praedicationis exsudat, et per aeternam jam contemplationem refici appetit. Sed quia Redemptoris sui speciem necdum conspiciit, quasi bos ad praesepe vacuum ligatus gemit. Quia enim longe ab interna sapientia positi, aeternae viriditatis haereditatem non cernimus, velut bruta animalia, a desiderata herba jejunamus. De qua nimirum herba dicitur: *Per me si quis introierit salvabitur, et ingreditur et egredietur, et pascua inveniet (Joan. x, 9)*.

(178') Onagrorum nomine haereticus quilibet designatur, sicut scriptum est: *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum (Job xxiv, 10)*. Sunt nonnulli haeretici, qui populis admisceri refugiunt, sed secessum vitae secretioris petunt. Qui plerumque eos quos inveniunt eo amplius peste suae persuasionis inficiunt, quo quasi ex vitae meritis reverentiores videntur. De quibus nunc dicitur: *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum*: Onager enim agrestis est asinus. Et recte in hoc loco onagris comparantur haeretici, quia in suis voluptatibus dimissi a vinculo sunt rationis fidei alieni. Unde scriptum est: *Onager assuetus in solitudine in desiderio animae suae attraxit ventum oris sui (Jer. ii, 24)*. Onager quippe in solitudine assuetus est, quia, dum cordis sui disciplinae virtutem excolit, ibi habitat, ubi fructus non est. Qui in desiderio animae suae ventum oris sui attrahit, quia ea quae ex desiderio scientiae in mente **146** conspiciit, inflare praevalet, non aedificare. Contra quos dicitur: *Scientia inflat, charitas aedificat (I Cor. viii, 2)*. Unde hic quoque congrue infertur: *Egrediuntur ad opus suum*. Non enim Dei, sed opus suum peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat (Psal. c. 6)*. Qui ergo non in via immaculata ambulat, sibi magis quam Domino ministrat.

(179) Onagrorum nomine Judei designantur, sicut per Jeremiam dicitur: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones. Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba (Jer. xiv, 6)*. Quid enim per onagros vel dracones nisi superbi ac nequissimi Judei designantur? Ipsi quippe onagri pro meritis elationis, ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non Deo, sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes: *Non habemus regem nisi Caesarem (Joan. xiv, 15)*. Traxerunt ventos, quasi dracones, quia spiritu elationis inflati superbia maligna tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia scilicet spes eorum ab eo quod intendebat corruit, quia temporalia diligens, praestolari aeterna neglexit; et terrena, ideo quia Deo praesumpsit, amisit. Dixerant enim: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, et tollent nostrum locum et gen-*

(179) Ex lib. xxix, in Job, c. xviii

tem (Joan. xi, 48). Timuerunt ne locum non occiso Domino perderent, et tamen occiso perdidit. Sed cur ista miseris evenierit, subdat, *Quia non erat herba*, id est quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, et nullo eos refecit pabulo viriditatis internæ doctrinæ.

## CAPUT XXIII.

## DE ONOCENTAURO.

(180) Onocentaurorum nomine lubrici et elati designantur, sicut contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Ecce cubile draconum et pascuæ struthionum, et dæmonia onocentauri occurrunt* (Isa. xxxiv, 13). Quid enim per dracones, nisi malitia, et quid per struthiones 147 nisi hypocrisis designatur? In perversa igitur mente draco cubat et pascitur; quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentaurorum nomine, nisi lubrici figurantur et elati? Græco quippe eloquio *ωνος* asinus dicitur; et asini appellatione luxuria signatur Propheta attestante, qui ait : *Ut carnes asinorum carnes eorum* (Ezech. xxiii, 20). Tauri autem vocabulo cervix superbiæ demonstratur, sicut voce Dominica de Judæis superbientibus per Psalmistam dicitur : *Tauri pingues obsederunt me* (Psal. lxi, 13). Onocentauri ergo sunt qui subjecti luxuriæ vitii, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt. Qui carnis suæ voluptatibus servientes, expulsa longe verecundia non solum se amittere rectitudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere confusionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni spiritus, valde eis ad votum deserviunt, quos de his gaudere conspiciant, quæ Ære debuerunt.

## CAPUT XXIV.

## DE RHINOCEROTE.

In Scriptura sacra rhinocerotis nomine aliquando potens in hoc sæculo, aliquando superbus Judaicus populus intelligitur.

(181) Rhinocerotis nomine potentes hujus sæculi designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* (Job xxxii, 12.) Rhinoceros enim indomitæ omnino naturæ est, ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. (182) Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus vero nomen Latina lingua interpretatum sonat in *nare cornu*. Et quid aliud in nare, nisi fatuitas, quid in cornu nisi elatio designatur? Quid ergo in rhinocero hoc, nisi potentes hujus sæculi designantur, vel ipsæ in eo summæ principatum potestates, qui typo fatuæ jactationis 148 elati, dum falsis exterius inflantur honoribus, veris miseriis interius inanescunt? Quibus bene di-

citur : *Quid superbis, terra et cinis?* (Eccli. x, 9.) In ipsis vero initiis nascentis Ecclesiæ, dum contra illam divitum se potestas extolleret, atque in ejus necem immensitate tantæ crudelitatis anhelaret, dum tot cruciatibus anxia, tot persecutionibus pressa succumberet, quis tunc credere potuit quod illa erecta et aspera sibi colla superbiorum subjeceret, et jugo sancti timoris edomita mitibus fidei loribus ligarentur? Diu quippe in exordiis suis rhinocerotis hujus cornu ventilata et quasi funditus interimita percussa est. Sed divina gratia dispensante, et illa moriendo vivificata convaluit, et cornu suum rhinoceros iste feriendo lassatus inclinavit : quodque impossibile hominibus fuit, Deo difficile non fuit; qui potestates hujus mundi rigidas, non verbis, sed miraculis fregit. Ecce enim quotidie rhinoceros servire agnoscimus, dum potentes hujus mundi, qui viribus suis fatua dudum fuerant elatione confusi, Deo subditos jam videmus. Quasi de quodam indomito rhinocero, Dominus loquebatur, cum diceret : *Dives difficile intrabit in regnum cælorum* (Math. xix, 23). Cui cum responsum esset : *Quis poterit salvus fieri?* (Ibid., 25.) Illico adjunctum : *Apud homines impossibile est; apud Deum autem omnia possible sunt* (ibid., 26). Ac si diceret : Rhinoceros iste humanis viribus mansuescere non potest, sed tamen divinis subdi miraculis potest. (183) Unde hic quoque apte beato Job sanetæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur. *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* Subaudjitur, ut mihi, qui eum quidem prædicamentis hominum diu resistere pertuli; sed tamen cum repente volui, miraculis stravi. Ac si apertius dicat : *Nunquid hi qui fatua elatione superbiunt, sine meis adjutoriiis tuæ prædicationi subduntur?* Per quem itaque prævaleas considera, et in omne quod prævaleas, sensum elationis inclina.

(184) Potest autem rhinocerotis nomine superbus Judaicus populus designari. Rhinoceros enim qui et monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur. (185) Sed sicut hiasserunt, qui describendis animalium 149 naturis laboriosa investigatione sudaverunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit; in quo ille omni ferocitate postposita caput deponit. Sicque ab eis, a quibus capi quæritur, repente velut enervis invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur. Qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem adversantium ferire perhibetur, ut cum ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. (186) Potest ergo per rhinocerotem, vel certe monocerotem, scilicet unicornem ille populus intelligi,

(180) Ex lib. vii, in Job, c. 12, ante finem.

(181) Ex lib. xxxi in Job, c. 1.

(182) Munsterus tamen lib. v Cosmographiæ notat fuisse ex India vivum unum adductum anno 1513 ad Emmanuelem Portugalliæ reg. eumdemque, anno 1515, exhibuisse monomachiam elephantum cum rhinocero in urbe Ulissipona.

(183) Ex cap. 11, lib. super.

(184) Ex lib. xxxi in Job, c. xi.

(185) Philesius et alii recentiores id scribunt.

(186) Rhinocerotem et monocerotem esse diversa animalia, et ipsa notatio et Scaliger exercit. 205; Gesnerusque l. 1, De quadrupedibus in littera ostendunt.

qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter homines elationem sumpsit, quasi inter cæteras bestias cornu singulare gestavit. Unde passionem suam Dominus, Propheta canente, pronuntians, ait : *Libera me de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam (Psal. xxi, 22)*. Tot quippe in illa gente unicornes vel certe rhinoceros exstiterunt, quot contra prædicamenta veritatis, de legis operibus singulari et fatua elatione confisi sunt. Beato igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur : *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* Ac si apertius dicatur : *Nunquid illum populum quem superbiere in nece fidelium, stulta sua elatione consideras, sub jure tuæ prædicationis inclinas? subaudis, ut ego qui et me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero, p otinus subdo.*

## CAPUT XXV.

## DE BEHEMOTH.

(187) Behemoth nomine diabolus designatur, sicut vocæ Domini ad beatum Job dicitur : *Ecce Behemoth quem feci tecum (Job xl, 10)*. Quem namque sub Behemoth nomine nisi antiquum hostem iusnuat? Qui quidem Behemoth interpretatur latine *animal*. Cujus dum inferius malitia subditur, patenter persona monstratur. Sed cum de Deo scriptum sit quia fecit omnia simul (*Eccli. xviii, 1*), cur hoc animal, cum homine fecisse se indicat, dum cuncta, quia simul fecerit, constat? **150** Rursumque quærendum est quomodo simul Deus cuncta condidit, dum Moyses ex dierum mutatione variante distincte creata describit? Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est. Et quod simul existit per substantiam materiæ non simul apparuit per speciem formæ. (188) Sed quia simul omnia per substantiam creata dicimus quæ prodire alia ex aliis invenimus, quo pacto cum beato Job Behemoth factus asseritur cum neque una sit substantia angeli et hominis, neque homo ex angelo, neque angelus ex homine proferatur? Si vero propter hoc factus Behemoth cum beato Job dicitur, quod creatura omnis ab auctore, qui in actione sua nequam temporis protelatione distenditur, simul condita non dubitatur, cur de Behemoth spiritualiter dicitur, quod habet commune cum creaturis omnibus generaliter. Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul factum angelum hominemque cognoscimus : simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione rationis. Simul per acceptam imaginem sapientiæ, sed non simul per conjunctam substantiam formæ. Scriptum namque est de homine : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. i, 26)*. Et per Ezechielem ad Satan dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis para-*

*disi Dei fuisti (Ezech. xxviii, 12)*. In cuncta igitur creatura homo et angelus simul conditus exstitit, quia ab omni natura irrationabili distinctus processit. Quia ergo in cuncta conditione rerum, nullum rationale animal nisi angelus et homo est, quidquid ratione uti non potest cum homine factum non est. Dicatur itaque de homine, dicatur de angelo, qui et si potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturæ rationalis minime amisit : *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, ut dum homo eum, qui in ratione secum factus est perisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsa proximi sui perditione pertimescat.

**151** CAPUT XXVI.

## DE SERPENTE.

**B** (189) Serpentis nomine diabolus designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum in terram (Isa. xxvi, 1)*. Leviathan quippe interpretatus dicitur additamentum eorum. Quorum scilicet nisi hominum? Recte autem additamentum eorum dicitur, quia postquam primam culpam suggestionem intulit, hanc quotidie augere gravius persuasionibus non desistit. Vel certe per exprobrationem Leviathan vocatus est, id est additamentum hominum. Eos namque in paradiso immortales reperit, sed divinitatem immortalibus promittendo, quasi eis aliquid ultra quam erant se addere spondit. Sed dum blande non habita se daturum perhibuit, callide et habita subtraxit. Leviathan itaque iste in eo quod se addere homini spondit, tortuosis ad eum sinibus irrepsit, quia dum falso impossibilia promittit, vere et possibilia sustulit. Quærendum vero nobis est cur quem serpentem dixerat, tortuosumque illico subjungens interpretosum, *vectem* : nisi forte quod in serpentis fortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritiæ rigiditas. Ut ergo hunc et durum signaret et mollem, et vestem nominat et serpentem. Durus quippe est per malitiam, mollis per blandimentum. Vectis ergo dicitur, quia usque ad necem percudit ; serpens autem, quia semper insidias moliter infundit.

**152** CAPUT XXVII.

## DE DRACONE.

**D** *In Scriptura sacra draconum nomine aliquando Antichristus, aliquando malitia, aliquando antiquus hostis, aliquando nequissimi Judæorum principes, aliquando demones, aliquando aperte mali vel gentiles designantur.*

(190) Draconum nomine Antichristus designatur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur : *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum (Apoc. xii, 5)*. Quid namque draconis nomine nisi Antichristus, quid in cauda ejus, nisi extrema ipsius persuasio intelligitur? Quid vero stellarum nomine, nisi hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes homini-

(187) Ex lib. xxxii in Job, c. x.

(188) Hæc ab antecedentibus disjuncta sunt interpositis aliis.

(189) Ex lib. iv in Job, cap. xiiii.

(190) Id partim ex lib. iv, c. xiv ; et lib. xxxii, c. xii, p. num. 38. Patherii diac. in Apoc.



bus ostendunt? Draconis ergo cauda, stellarum A cone vel struthione asserit, quia et aperte malos, pars in terram trahitur, quia extrema persuasione et fide bonos, plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe agri bestia Antichristi quidam qui videntur lucere rapiuntur. Dominum, id est dracones struthionesque glorificant, cum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas Stellis namque in terram trahere est eos qui videntur studio vitæ celestis inhærere, ex amore terreno exultat. Quam et propter malitiam draconum nomine iniquitate aperti erroris involvere.

(191) Draconis nomine malitia designatur, sicut contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Erit cubile draconum et pascua struthionum* (Isa. xxiv, 13). Quid namque per dracones, nisi malitia? quid vero struthionum nomine nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet : et quia hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In perversa igitur **153** mente draco cubat, et struthio pascitur : quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur.

(192) Draconis nomine antiquus hostis designatur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur : *Vidi angelum descendentem de cælo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus, et Satan, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum* (Apoc. xx, 1). Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocat, et totum contra nos in suis viribus relaxat. Unde illic rursum scriptum est : *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas* (Apoc. xx, 7).

Draconum nomine nequissimi Judæorum principes signat Jeremias dicens : *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones* (Jer. xiv, 6).

(193) Draconum nomine dæmones designantur per prophetam. In cubilibus in quibus dracones prius habitabant, oriatur viror calami, et junci (Isa. xxxv, 7). Quid enim per calamum nisi prædicatores? quid per juncum, qui juxta aquæ semper humorem nascitur, nisi pusilli ac teneri auditores sacri eloquii designantur? Quid per dracones nisi dæmonum malitia exprimitur? In draconum ergo cubilibus viror calami et junci oriatur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coacervatur. D

(194) Draconum nomine aperte mali vel gentiles designantur : sicut per prophetam Dominus de eorum conversione pollicendo dicit : *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones* (Isa. xliii, 20). Quid enim in draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper in infimis cogitationibus repunt? Quid vero per struthionum nomen, nisi hi qui se bonos simulant designantur? Qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent. Glorificari itaque Dominus **154** a dra-

cone vel struthione asserit, quia et aperte malos, et fide bonos, plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe agri bestia Dominum, id est dracones struthionesque glorificant, cum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas exultat. Quam et propter malitiam draconum nomine improbat, et propter hypocrisim, vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accepit gentilitas, sed volare non potuit, quæ naturam rationis ignoravit.

## CAPUT XXVIII.

## DE COLUBRO.

In Scriptura sacra colubri nomine aliquando diabolus, aliquando Antichristus intelligitur.

(195) Colubri nomine Antichristus signatur per beatum Job dicentem : *Et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus* (Job xxvi, 13). Quis enim colubri nomine appellatur nisi hostis antiquus, lubricus et tortuosus : qui decipiendo homini, colubri ore locutus est? de quo et per prophetam dicitur : *Leviathan serpentem tortuosum* (Isa. xxvii, 1). Qui idcirco loqui serpentis ore permissus est, ut ex ipso vase ejus cognosceret homo qualis esset qui intus habitaret. Serpens autem non solum est tortuosus, sed etiam lubricus. Quia autem in veritatis rectitudine non stetit, tortuosum animal intravit ; quia vero suggestioni ejus si primo non resistitur, repente totus ad interna cordis, dum non sentitur illabatur, verba ad hominem per animal lubricum fecit. Cavernæ autem hujus colubri corda fuerant iniquorum. Quæ quia ad pravitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requievit. Sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de propriis cavernis expulsus est, quia dum nobis divina gratia medetur, is qui nos tenuerat **155** antiquus a nobis hostis ejicitur, sicut incarnata Veritas dicit : *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras* (Joan. xii, 31). Unde jam nunc omnes sanctos non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus ; et quia intus dominium perdidit, bella mollitur foras ; ille enim cum de carnalibus hominum cordibus eum expulit qui propter homines ad incarnationem venit, dumque corda infidelium tenuit, quasi manum ad latibulum serpentis misit. Bene igitur obstetricante manu Domini tortuosus coluber in cavernis quas tenuerat habitare perhibetur ; nam victus a fidelium cordibus exiit, qui super hæc antea sceptro peritidæ regnavit.

(196) Colubri nomine Antichristus designantur, sicut Jacob voce dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retr* (Gen. xlix, 17). Require in capitulo de equo.

(191) Ex lib. vii in Job, c. xii.

(192) Ex lib. iv in Job, c. xiii.

(193) Ex lib. xxix in Job, c. xiv, ante finem.

(194) Ex lib. xxxi in Job, c. v.

(195) Ex lib. xvii in Job, c. xviii.

(196) Supra, c. ii, hujus libri.



## CAPUT XXIX.

DE REGULO.

*In Scriptura sacra cum regulus singulari numero ponitur, aliquando diabolus, aliquando Antichristus intelligitur; cum vero pluraliter reguli dicuntur, dæmones signantur.*

(197) Reguli nomine diabolus designatur, sicut per prophetam dicitur: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, neque occident in universo sancto monte meo (Isa. xi 8).* Quem namque infantem ab ubere vel cum ablactatus fuerit, nisi Dominum appellat? Quid vero foramine aspidis, cavernis reguli, nisi corda signavit iniquorum? Et antiquus hostis dum **156** totum se in eorum consensum contulit, quasi in foramine proprio tortuosus sinus astutiæ colligendo glomeravit. Quem et aspidis appellat nomine occulte sævientem et reguli aperte ferientem. Manum ergo suam Dominus in foramine reguli, atque aspidis misit, quando iniquorum corda divina potestate tenuit, et comprehensum exinde aspidem, vel regulum, id est captivum diabolum traxit, ut in monte sancto ejus, qui est Ecclesia electis fidelibus non noceret.

(198) Reguli nomine Antichristus designatur, sicut de pravis quibusdam scriptum est: *Ova aspidum ruperunt, et telas aranæ texerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur; et quod confotum est, erumpet in regulum (Isa. lix, 5).* Ova quippe aspidum pravis hominibus rumpere est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque aranæ texere est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari: quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur: *Qui comederit de ovis eorum morietur*, quia qui immundorum spirituum consilia respicit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur ad plenam iniquitatem nutritur, regulus namque serpentum rex dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum est erumpet in regulum, quia is qui in se nutrienda aspidis consilia receperit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.

(199) Regulorum nomine dæmones designantur. Unde et bene irascens peccatis præcedentibus, de his quos in manu antiqui hostis deserit per prophetam Dominus dicit: *Immittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio (Jer. viii, 17).* Ac si diceret: Justo judicio talibus immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione prædicationum quasi incantantium sermone non valeant.

(197) Ex lib. xvii, in Job, c. xx

(198) Ex lib. xv, in Job, c. ix.

(199) Ex lib. xxxiv, in Job, c. x.

(200) Ex lib. xv, in Job, c. vii.

(201) Vide Arist. lib. v, De hist. animal., cap.

A

## 157 CAPUT XXX.

DE VIPERA.

*In Scriptura sacra cum vipera singulari numero ponitur, aliquando subita et violenta diaboli tentatio intelligitur, aliquando per contrarium lenis et diuturna ejusdem tentatio; cum vero pluraliter viperæ dicuntur, pravi homines exprimentur.*

(200) Viperæ nomine violenta vel lenis et diuturna tentatio diaboli designatur, sicut per beatum Job de hypocrita dicitur. *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ (Job xx, 16).* Aspis parvus est serpens, vipera vero prolixioris est corporis. Et aspides ova gignunt, atque ex ovis eorum filii procreantur. Viperæ autem cum conceperint, filii earum in ventre sæviant (201. Qui ruptis lateribus matrum, ex earum ventre procedunt. Unde

**B** et vipera eo quod vi pariat, nominantur. Vipera itaque sic nascitur, ut violenter exeat, et cum matris suæ extinctione producatur. Quid ergo per aspides parvos, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius persuasionem subreperunt? Quid vero per linguam viperæ, nisi violenta diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter subripit, postmodum vero etiam violenter (202). Caput itaque aspidum sugit hypocrita, quia initium suggestionis occultæ parvum prius in corde nascitur, sed occidit eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens, veneno violentæ tentationis necatur. Primum subtilibus consiliis, ad cor hominis immundi spiritus loquuntur, qui dum leniter persuadent quasi venenum aspidum fundunt. Unde scriptum est: **158** *Ova aspidum ruperunt, et telas aranæ texerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum (Isa. lix, 5).* De hoc ita hypocrita dicitur: *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ*, quia cum iniquam suggestionem antiqui hostis libenter suscipit, violentis se post modum ejus tentationibus devictus tradet. Unde et in paradiso quoque stanti homini verba blandæ persuasionis intulit, sed quem semel rapuit ad consensum, jam nunc etiam renitentem trahit et corruptionis suæ delectationibus devictum pene violenter interficit.

(205) Sed fortasse hæc ipsa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia veneno suo aspis concite, vipera autem tardius occidit, per aspidem violenta et subita, per viperam lenis et diuturna tentatio designatur. Unde et illi mors in suctione capitis, viperæ autem in lingua esse perhibetur, quia repentina tentatio sæpe inopinatam mentem mox, ut surgit, interficit; longa vero tentatio, quia prava diutius persuadendo suggerit, velut ex lingua vipera occidit.

(204) Viperarum nomine, pravi homines designantur, sicut per Joannem Baptistam Judæis dici-

34; Plin. lib. x, cap. 62.

(202) Ex cap. viii.

(203) Ex iisdem, lib., et c. viii.

(204) Ex hom. 20 in Evang.

tur : *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* (Luc. III, 7.) Ventura enim ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad poenitentiae lamenta non recurrit. Et notandum quod malæ soboles, malorum parentum actiones imitantes genimina viperarum vocantur, quia per hoc quod bonis invident, eosque persequuntur, quod quibusdam mala retribuunt, quod læsiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filii de venenatis parentibus nati sunt.

### 159 CAPUT XXXI.

#### DE ASPIDE.

*In Scriptura sacra aspidis nomine aliquando diabolus, aliquando is qui audire verbum Dei dedignatur, aliquando blanda et latens suggestio intelligitur.*

Aspidis nomine diabolus designatur, sicut propheta dicit. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli* (Isa. XI, 8). Require in capite De reguli.

Aspidis nomine, significaturis qui audire verbum Dei dedignatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Furor illis secundum similitudinem serpentis. Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* (Psal. LYII, 5). Aspis cum conceperit pati incantatorem marsum qui eam quibusdam carminibus propriis evocat, sicut sunt multa etiam magica, audite quid faciat. Amando tenebras suas, quibus se involuta occultare dicitur, cum exire voluerit, recusans tamen audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram : atque ita illas voces, quantum potest, evitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit spiritus Dei, quosdam non audientes verbum Dei non solum non facientes sed omnino ne faciant : audire volentes. An forte quæremus aliquid in eo quod dicitur aspis ita aures claudere, ut unam earum premat in terram, alteram cauda oppiletur? Quid sibi vult hoc? In cauda itaque posteriora intelliguntur. Ergo in præterita jam tergum oportet ponere, ut in ea quæ nobis promittuntur intendamus. Ergo nec ex præsentibus delectari debemus, hoc enim monet Apostolus dicens : *Quem ergo fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?* (Rom. VI, 21.) Revocat ad se recordantes cum delectatione **160** a præteritis, et cum quadam concupiscentia fruendi, ne redeamus corde in Egyptum. Quid de præsentibus quomodo jubet etiam ipsa contemni. *Non recipientibus, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna* (II Cor. IV, 18). Igitur de præsentibus vita dicit : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiles sumus omnibus hominibus.* Obliviscere ergo præterita quibus male vixisti, contemne præsentia quibus temporaliter vivis, ne te alligando præsentia non per-

mittant pervenire ad futura. Si enim præsens vita te delectat, aurem in terra posuisti. Si tuis præteritis, et jam retro labentibus delectaris, aurem de cauda obturasti. Debes ergo ire in lucem, exire de tenebris, ut jam in luce ambulans et exsultans dicas quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extensus : Non dixit, quæ retro oblitus, et ex præsentibus delectatus, cum dixit, quæ retro oblitus non obturavit aurem de cauda. Cum dixit in ea quæ ante sunt extensus, is et præsentibus non obscuravit, aurem in terra non posuit.

Aspidum nomine latentes et blandæ suggestiones, vel fortes et subitæ immundorum spirituum tentationes designantur, sicut a beato Job de hypocrita dicitur : *Caput aspidum suget* (Job XX, 16). Require in capitulo de vipera.

### CAPUT XXXII.

#### DE REPTILIBUS.

(205) Reptilium nomine cogitationes terrenæ designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur : *Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio* (Ezech. VIII, 1). In reptilibus quippe cogitationes omnino terrenæ signantur; in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia quidem toto corpore terræ inhærent, animalia autem ventre a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra **161** parietem, quando cogitationes volvuntur in mente, quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt, ut per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sint, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium sese ad ima submitunt.

### CAPUT XXXIII.

#### DE VERMIBUS.

*In Scriptura sacra cum vermibus singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando hominis progenies intelligitur; cum vero pluraliter vermes dicuntur, aliquando cogitationes inquietæ, aliquando curæ carnales exprimentur*

(206) Vermis nomine Christus designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Ego autem sum vermis, et non homo* (Psal. XXI, 7). (207) Vermis nomine caro designatur, sicut per beatum Job, de luxurioso quolibet dicitur : *Dulcedo illius, vermis* (Job XXIV, 20). In quibus verbis luxuriosi cujuslibet et carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cum dicitur : *Dulcedo illius vermis.* Quid namque caro nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat. Quæ enim carnis sit substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium quamlibet dilecti sui tangere scaturientem vermibus **162** carnem potest? Caro itaque cum

(205) Ex lib. XXVI in Job., c. v.

(206) Ex lib. XXX in Job., c. XV.

(207) Ex lib. XV in Job., c. XXIV, 20.

concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, et intelligitur quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes amatur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur, *Dulcedo illius vermis*, quia is qui in desiderio carnalis corruptionis exæstuat, ad fetorem putredinis anhelat.

(208) Vermis nomine hominis progenies designatur sicut in libro beati Job per Baldad dicitur : *Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis!* (Job xxv, 5.) Quid enim per lunam, nisi cuncta simul Ecclesia, quid per stellæ, nisi singulorum bene viventium animæ designantur? Luna ergo non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria, tot miraculis emicat, nisi hanc prevenientis gratiæ dona perfundant; nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur, quia apud districti judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis tergat. Electorum quippe mens prodire ad libertatem justitiæ nititur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur, et culpas quidem subigere perfecte desiderat, sed quousque corruptione carnis astringitur, ejus vinculis, etiam cum non vult, ligatur. Hinc itaque colligat, quanto peccatorum pondere pressi sunt, qui contra hæc decertare negligunt, si plene culpam nec illi superant qui contra hanc utiliter pugnant. Unde et postquam dictum est, *ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*, protinus subditur, *quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis*. Ac si aperte diceretur : Si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter vitæ præsentis tenebras virtutibus lucent, quanto reatu **163** iniquitatis obstricti sunt, qui adhuc carnaliter vivunt? Si a peccato liberi esse nequeunt qui jam in cælestibus desideriis conversantur, quæ peccatorum pondera tolerant qui carnis suæ voluptatibus dediti adhuc putredinis jugum portant? Hinc Petrus ait : *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (I Pet. iv, 18.) Notandum vero in sermone suo quantum Baldath ordinem conditionis nostræ tenuit et nativitatis, qui hominem non vermem sed putredinem, filium vero hominis vermem vocat. Primus namque humani generis parens, homo, non filius hominis. Ex quo quisquis prodiit, non solum homo, sed filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius hominis, ita ex putredine nascitur vermis. Unde recte homo putredo, filius vero hominis vermis vocatur. Primus quippe homo putredo, non vermis, quia etsi per mortem putruit, non tamen

A ex putredine per nativitatem venit. Qui autem filius est hominis, vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur.

(209) Vermium nomine cogitationes inquietæ designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus* (Job xvii, 14). Quid est quod dixit, *putredini, pater meus es*, nisi quod omnis homo ab origine jam vitata descendit? Unde et additur, *mater mea, et soror mea vermibus*, quia videlicet ab ipsa putredine et cum ipsa in hunc mundum venimus. Quantum ad materiam quippe corruptibilis carnis, mater nostra et soror vermes sunt, quia et de putredine processimus, et cum putredine venimus quam portamus. Quod si intelligi spiritualiter potest, et mater natura, et consuetudo non immerito soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus. Quæ videlicet mater et soror vermes sunt, quia ex natura corruptibili et consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. Carnis enim natura vitata et consuetudo perversa, innumeras curas in corde infirmitatis nostræ generant, bene mater et soror vermes **164** vocantur. Mordent animum curæ, dum inquietant. Non enim cessant justii viri vel sollicite cogitare et pertractare quid agant, vel provide inspicere quo post præsentem vitam ducendi sint.

(210) Vermium nomine curæ carnales designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix. Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus. Et tamen simul dormient in pulvere, et vermes operient eos* (Job xxi, 23, 24). Hoc si quis forsitan accipere per allegoriam velit, explere breviter possumus. Dicitur namque de iniquo divite : *Viscera ejus plena sunt adipe*. Sicut ex abundantia cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbiæ nascitur, quæ impingat mentem divitis dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (Psal. lxxii, 7). Amatores autem hujus sæculi quasi ossa habent, quia in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si in exteriori dignitate desint terrenæ domesticæ divitiæ, quantum ad iudicium suum ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus sæculi exteriori potestate fulcitur ut etiam interiori et terrena domus abundantia saginetur, dicitur. *Et medullis ossa illius irrigantur*. Vel certe ossa sunt hujus divitis pravæ et duræ consuetudines; medullæ vero in ossibus sunt ipsa desideria male vivendi, qui neque ex pravitatis satisfactione satiantur. Quæ medullæ quasi ossa irrigant, cum

(208) Ex lib. xvii in Job, c. ix.

(209) Ex lib. xvii in Job, c. xvii.

(210) Ex lib. xv, c. xxxiii in Job xxv.

prava desideria perversas consuetudines suas in voluptatem delectatione conservant (211). Et sunt nonnulli qui in hoc mundo divitias non habent, sed habere concupiscunt. Elati esse appetunt, quamvis in hoc mundo quod cupiunt obtinere non possunt. Etenim cum nullis rebus vel honoribus fulti sint, per mala tamen desideria in conspectu interni iudicis reos conscientia addicit. Talis etenim quisque **165** plerumque ideo affligitur, quia ditescere ac superbire non praevalet. De quo et subditur: *Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis operibus.* Ecce unde dives superbo corde inaniter gaudet, inde pauper alius superbo corde inanis affligitur. Bene autem de utrisque dicitur: *Et tamen simul in pulvere dormient et vermes operient eos.* In pulvere enim dormire, est in terrenis desideriis oculos claudere mentis. Unde unicuique peccanti in sua culpa dormienti dicitur: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te-Christus (Ephes. v, 14).* Vermes vero, qui de carne nascuntur, eos simul operient, quia sive divitis, sive pauperis superbientis animum curæ carnales premunt. In rebus enim terrenis, pauper et dives reprobus, quamvis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille jam cum metu habet, iste jam cum anxietate appetit. Sed quia habere non valet et dolet dicatur, *simul in pulvere dormient, et vermes operient eos,* quia et si non simul rebus temporalibus sublevantur, simul tamen in cura rerum temporalium mentis torpore sopiuntur. Simulque eos vermes operiunt, quia vel istum ut concupita habeat, vel illum ne habita amittat carnales cogitationes premunt.

## CAPUT XXXIV.

## DE TINEA.

*In Scriptura sacra tineæ nomine aliquando carnis tentatio, aliquando hæretica pravitas intelligitur.*

(212) Tineæ nomine carnis tentatio designatur, sicut in persona tentati hominis per beatum Job dicitur: *Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tineâ (Job XIII, 28).* Homo enim quasi putredo consumitur, **166** dum carnis suæ corruptione conteritur. Cui quia immunda tentatio non aliunde, sed de semetipso nascitur, more tineæ carnem tentatio, quasi vestem de qua exit, consumit. In semetipso quippe homo habet unde tentetur. Quasi ergo tineâ vestem consumit quæ ex veste eadem processit. Sciendum quoque quod tineâ sine sonitu perforat vestimentum: et plerumque cogitatio ita transigit mentem, ut mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit ejus aculeo transfixa. Bene ergo dicitur quod homo tanquam vestimentum a tineâ consumitur, quia nonnunquam tentationum nostrarum vulnera non agnoscimus, nisi postquam ab eis confossi in mente fuerimus.

(213) Tineæ nomine hæretica pravitas designatur, sicut per beatum Job de hæretico quolibet dicitur:

(211) Ex c. xxxiv, l. sup.

(212) Ex l. xi in Job., c. xxv.

*Ædificavit sicut tineâ domum suam, et sicut custos fecit umbraculum (Job xxvii, 18).* Tineâ sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori potuit comparatione hæreticus demonstrari, qui locum suæ perfidiae non nisi in mentibus quas corruperit facit. Qui etiam sequaces suos ab æterno igne et liberos. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ. Sed verba ejus soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Unde subjungitur: *Et sicut custos fecit umbraculum.* Umbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transiente destruitur. Et promissa ab hæreticis requies cum tempore destruitur, quia post hanc vitam vultatenus invenitur.

**167** CAPUT XXXV.

## DE ERUCA.

(214) Erucæ nomine luxuria designatur, sicut Joel propheta dicit: *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo (Joel. i, 4).* Sæpe mens misera, quid jam transierit in se peccati, videt; sed ubi adhuc retineatur, non videt. Gaudet de quibusdam vitiis, quia eis jam subjecta non sit, et præcavere ac gemere negligit, quia eorum vice successerunt alia quibus fortasse nequius succumbit. Sicque fit ut, dum alia vitia transeunt et semper alia succedunt, a diabolo cor reproborum sine intermissione teneatur. Bene ergo dicitur: *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* Quid enim per erucam, quæ toto in terram corpore repit, nisi luxuria designatur, quæ cor quod tenet ita polluit ut in superioris munditiæ surgere amorem nequeat. Quid per locustam, quæ saltibus evolat, nisi inanis gloria exprimitur quæ se vanis præsumptionibus exultat? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventre colligitur, nisi edendi iuglucies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur? *Residuum ergo erucæ locusta comedit,* quia sæpe cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria accedit. Nam quia jam per amorem carnis non sternitur, quasi sancta ex castitate gloriatur. *Et residuum locustæ comedit bruchus,* quia sæpe cum inani gloriæ, quæ quasi ex sanctitate veniebat resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitionis desideriis immoderatus indulgetur. Mens enim Dei nescia tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. *Residuum vero bruchi rubigo consumit,* quia dum ventris iuglucies per abstinentiam restringitur, iræ impatientia acrius dominatur. Quæ more rubiginis, quasi exurendo messem comedit, quia virtutum **168** fructus impatientiæ flamma tabescit. Dum ergo vitiis vitia succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Bene autem illic subditur: *Expergiscimini, ebrii, et fete (Joel. i, 5).* Ebrii quippe vocati sunt, qui hujus mundi amore

(213) Ex l. xviii in Job, c. xi, sub finem.

(214) Ex l. xxxiii in Job, cap. xxvii, ad medium.

confusi, mala non sentiunt, quæ patiuntur. Quid autem statione cordis, tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate.

## 169 INCIPIT LIBER QUARTUS.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE HOMINE.

In Scriptura sacra hominis nomine quando singulari numero ponitur, aliquando Deus Pater, aliquando Verbum incarnatum, aliquando Judaicus populus, aliquando sensus rationis, aliquando diabolus, aliquando caro intelligitur, aliquando per naturam ponitur, aliquando per culpam, aliquando per infirmitatem; cum vero plurali numero ponitur, spirituales viri, aliquando carnales quilibet accipiuntur

(215) Hominis nomine Deus Pater accipitur, sicut in Evangelio dicitur: *Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (Matth. xii, 2). Quis enim alius est homo iste rex, regis filii pater, nisi ille cui Psalmista ait: *Deus iudicium tuum regi da: Et iustitiam tuam filio regis* (Psal. lxxi, 1). *Qui fecit nuptias filio suo.* Tunc enim Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante sæcula fieri voluit. ¶ 170 hominem in fine sæculorum. Vel, ut apertius atque securius dicatur, in hoc Deus Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per Incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit. Unde dicit Psalmista: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (Psal. xviii, 6). Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit.

(216) Hominis nomine Verbum incarnatum intelligitur, sicut per prophetam dicitur: *Et homo est, et quis cognoscat illum?* Unde etiam in Evangelio scriptum est: *Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua* (Matth. xxv). Quis enim iste est homo qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat abiit in caelum? Carnis enim locus proprie terra est; quæ quasi peregrina ducitur, cum per Redemptorem nostrum in caelo collocatur.

(217) Hominis nomine Judaicus populus designatur, sicut in Evangelio de divite epulone notanter Lucas dicit: *Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus* (Luc. xvi). Quem namque dives iste, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide, nisi Ju-

daicum populum signat, qui cultum vitæ exterioris habuit, qui acceptæ legis deliciis, ad nitorem usus est, non ad utilitatem? Quem vero Lazarus ulceribus plenus, nisi gentilem populum figuratim exprimit? Qui dum conversus ad Dominum peccata confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit. Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; quia gentilem quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat. Qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit. Et quia et verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa.

¶ 171 (218) Hominis nomine sensus rationis intelligitur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitruum ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes?* (Job xxvii, 25-27.) Sunt enim plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitæ auribus audiunt, sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt. Hi aliquid quam deserta terra sunt? Quæ scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus mortalium in hac terra commoratur, quia et si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistent. Prava enim desideria in eorum cordibus sedem inveniunt, recta vero si quando venerint, ac si impellantur, decurrunt. Sed cum misericors Deus imbri suo cursum et sonanti tonitruo viam, id est prædicationi, libertatem dare dignatur, compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt, et impletur terra invia, quia dum præbet auditum verbo, cumulatur mysterio. Et producit herbas virentes, quia per gratiam compunctionis infusa prædicationis verba non solum libenter recipit; sed etiam ubertim reddit ut quod audire non poterat, jam loqui concupiscat, et quæ non audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquendo quæ sancta sunt, viriditate sua quoslibet esurientes pascat.

(219) Hominis nomine diabolus designatur, sicut in Evangelio dicitur: *Inimicus homo hoc fecit* (Matth.

(215) Ex hom. 38 in Evang.

(216) Ex hom. 9 in Evang.

(217) Ex hom. 14 in Evang.

(218) Ex l. xxxi, in Job, cap. xiv, ante finem.

(219) Ex lib. xiii in Job, c. xii.

xiii, 28). Ita quippe unum corpus sunt diabolus, et A omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, et plerumque nomine corporis appellatur caput. Nam capitis nomine censetur corpus, cum de perverso homine dicitur : *Ex vobis unus diabolus est* (Joan. vi, 70). Et rursus nomine corporis appellatur caput, cum de ipso apostata hoc, quod jam prædiximus dicitur : *Inimicus homo hoc fecit*.

(220) Hominis nomine caro designatur, sicut in libro beati Job dicitur : *Homo ad laborem nascitur, et avis 172 ad volatūm* (Job v, 7). Ad laborem quippe homo nascitur, quia nimirum is qui accepta est præditus ratione, considerat quod valde sibi sit impossibile, ut hæc peregrinationis suæ tempora sine labore evadat. Unde bene Paulus, cum tribulationes suas discipulis annuntiaret adjunxit : *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (I Thess. iii, 5). Sed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur, Paulo attestante, qui ait : *Et licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatūm* (II Cor. iv, 16), quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat.

(221) Homo per naturam ponitur, sicut scriptum est : *Faciāmus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. i). Homo per culpam dicitur, sicut scriptum est : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes : Vos autem sicut homines moriemini* (Psal. lxxxi). Ac si aperte dicat : sicut delinquentes obibitis : Unde et Paulus ait : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* (I Cor. iii). Ac si dicat : Qui discordes mentes ducitis, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis ?

Homo per infirmitatem dicitur, sicut scriptum est : *Maledictus, qui spem suam ponit in homine* (Jer. xvii, 5). Ac si dicat in infirmitate.

Hominum nomine spirituales viri designantur, sicut per prophetam quibusdam Dominus dicit : *Vos autem greges pascuæ meæ homines estis* (Ezech. xxxiv). Quia illos nimirum Dominus pascit quos voluptas carnis inimicorum non more afficit.

(222) Hominum quoque nomine, carnalia sapientes designantur, sicut ait Apostolus : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (I Cor. iii, 3). Et paulo post subjicit dicens : *Nonne homines estis ?* (Ibid., A.)

## 173 CAPUT II.

### DE VIRO.

In Scriptura sacra cum singulari numero vir dicitur, aliquando Christus, aliquando angelus, aliquando quilibet perfectus, aliquando hostis antiquus intelligitur. Cum vero pluraliter ponuntur viri, ali-

quando perfecti viri, aliquando sex ætates sæculi designantur.

(223) Viri nomine Christus intelligitur, sicut de ipso per Ezechielem dicitur : *Vir quoque unus de medio eorum vestitus lineis et atramentarium scriptoris, ad renes ejus* (Ezech. ix). Quid enim per virum nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur ? Qui quoniam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis venire perhibetur. Vel certe, quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur, qui indumentum sui corporis ex matre Virgine, non autem ex corruptione commisionis sumpsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. Et quoniam ipse Deus postquam nobis mortuus est, et resurrexit, et ascendit in cælum, tunc Testamentum Novum per apostolos scripsit, vir iste, atramentarium ad renes habuit. In renibus namque posterior corporis pars est. Quia ergo scripturam Testamenti Novi, postquam discessit, condidit, atramentarium quasi a tergo portavit.

(224) Rursus, aliquando angelus dicitur Daniele propheta testante, qui ait : *Ecce vir Gabriel* (Dan. ix, 21). Viri nomine quilibet perfectus designatur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos* (Job xxxviii, 3). 174. (225) Virum namque Scriptura sacra vocare consuevit, qui nimirum vias Domini fortibus et non dissolutis gressibus sequitur. Unde per Psalmistam dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (Psal. xxvi, 14). Lumbos vero accingere, est, vel in opere luxuriam, vel in cogitatione, laudis appetitum refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis est. Unde et sanctis prædicatoribus dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (Luc. xii, 35). Per lumbos enim luxuria ; per lucernas autem, bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere, et lucernas tenere. Ac si aperte audiant : Pius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. Sed cum beatum Job tanta prædicitur castitate noverimus, cur ei post tot flagella dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos*. Ut qui prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam restringat elationis, ne de patientia vel castitate superbiens tanto pejus intus ante Dei oculos luxuriosus existeret, quanto magis ante oculos hominum et patiens et castus appareret. Unde et per Moysen dicitur : *Concidite præputia cordis vestri* (Deut. x, 16), id est postquam luxuriam a carne exstinxistis, etiam superflua cogitationum resecatæ.

(226) Viri nomine antiquus hostis designatur, sicut Jeremias, cum prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledicens dixit : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens :*

(220) Ex l. vi in Job, c. vii.

(221) Ex l. iv in Job, c. xv.

(222) Ex l. xviii in Job, c. xlii.

(223) Ex l. xxii in Job, c. xlii.

(224) Ex l. xxvii in Job, c. ii.

(225) Ex l. xxviii in Job, c. iv.

(226) Ex l. iv in Job, c. ii, in princip. et med.

*Natus est tibi puer masculus* (Jer. xx, 15). Quid est quod a propheta maledictionis sententiam vir ille accepit, qui nativitatem illius patri nuntiavit? Hoc nimirum tanto intrinsecus majori mysterio plenum est, quanto extrinsecus humana ratione vacuum. Nam si quid exterius rationabile fortasse sonuisset, nequaquam nos ad studium interioris intellectus accenderet. Eo ergo plenius nobis aliquid intus innuit, quo foris rationabile nil ostendit. Si enim ex matris suæ utero in mundo propheta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuntius quid deliquit? Quid ergo in prophetæ persona fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? Et quid per patrem **175** ipsius, nisi de quo nascimur, mundus exprimitur? Et quis est ille vir, qui nativitatem nostram patri annuntiat, nisi antiquus hostis? Qui cum in cogitatione nos fluctuare considerat, malorum mentes, qui ex auctoritate hujus mundi præminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat. Cumque nos agere infirma perspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, et quasi natos masculos loquitur, cum corruptores veri, per mendacium nos exstitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo, eum quem persuaserit, factum innocentiae corruptorem demonstrat. Nam cum cuilibet peccanti, ac superbi dicitur: Fecisti sicut vir: quid aliud quam natus masculus in mundo perhibetur? Jure itaque vir, qui masculum natum nuntiat, maledicatur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri operis indicatur.

(227) Virorum nomine perfecti viri exprimuntur, sicut in Proverbiis Sapientia loquitur dicens: *O viri, ad vos clamito* (Prov. viii, 5). Ac si aperte diceret. Ego non feminis, sed viris loquor, ii qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt. Hinc iterum ad beatum Job ab Eliu dicitur: *Memento quod ignores opus ejus de quo cecinerunt viri* (Job xxxvi, 24). De Domino namque canunt viri, cum ejus nobis potentiam, vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen opus ejus ignorant, quia nimirum judicia illius, ipsi etiam qui hunc prædicant, impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quem prædicant, et tamen ejus opera ignorant, quia cognoscunt per gratiam eum a quo facti sunt: sed ejus judicia comprehendere nequeunt, quæ ab illo etiam super ipsos fiunt. Quod enim omnipotens Deus perspicue in sua actione non cernitur, Psalmista testatur dicens: *Qui posuit tenebras latibulum suum* (Ps. xvii, 12). Et rursum: *Judicia tua abyssus multa* (Ps. xxxv, 7). Atque iterum: *Abyssus sicut pallium amictus ejus* (Ps. ciii, 2). Unde bene etiam per Salomonem dicitur. *Sicut ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantium, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium* (Eccle. ii,

5). Dicit ergo: *Memento quod ignores opus ejus de quo cecinerunt viri*. Ac si aperte dicat: De quo fortes quique locuti sunt, ejus opera tuæ mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuæ notitiæ, eo ipso quo humanitate circumscriberis trans-eunt.

(228) Virorum nomine ætates sex sæculi designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur: *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respiciebat ad aquilonem: et uniuscujusque vas interitus in manu ejus* (Ezech. ix, 2). Quid enim aliud in sex viris venientibus nisi sex ætates humani generis designantur? Qui de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi sicut ab ingressu mundi ac superioribus generationibus evolvuntur: Quæ porta, ad aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitis aperta, nisi calorem charitatis descrens, torporem mentis appeteret: ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus, quia unaquæque generatio singulis quibusquæ ætatibus evoluit, ante Redemptoris adventum sua operatione habuit, unde pœnam damnationis sumpsit.

### CAPUT III.

#### DE MULIERE.

*In Scriptura sacra cum mulier singulariter ponitur, aliquando sapientia Dei, aliquando impietas designatur, aliquando etiam pro sexu ponitur, aliquando pro infirmitate; cum vero pluraliter dicuntur mulieres, aliquando mentes carnalium, aliquando vitia designantur.*

(229) Mulieris nomine sapientia Dei intelligitur, sicut in Evangelio dicitur: *Aut quæ mulier habens drachmas decem, etsi perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum 177 et quærit diligenter donec inveniat illam?* (Luc. xv, 8.) Quid enim per mulierem, nisi ille Dei virtus et Dei sapientia Christus intelligitur? Quid per drachmam nisi humana natura designatur? Quia enim imago exprimitur in drachma, recte per drachmam homo qui ad similitudinem Dei factus fuerat intelligitur. Mulier autem drachmam perdidit, quando homo peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est. Lumen vero in testa est divinitas in carne. de qua videlicet testa sui corporis dicit ipsa Sapientia: *Exaruit velut testa virtus mea* (Psal. xxi, 6). Quia enim testa in igne solidatur, ejus virtus sicut testa aruit, quia assumptam carnem ad resurrectionis gloriam, ex passionis tribulatione roboravit. Accensa autem lucerna evertit domum, quia mox ut ejus divinitas, per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit. Domus namque evertitur, cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Eversa autem domo invenitur drachma, quia cum perturbatur

(227) Ex l. xxvii, in Job, c. ii.

(228) Ex l. xxii, in Job, c. xiii, ante finem.

(229) Ex hom. 34 in Evang.

conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.

(230) Mulieris nomine impietas designatur, sicut in Zacharia scriptum est : *Leva oculos tuos, et vide. Quid est hoc quod egreditur ? Et dixi : Quidnam est ? Et dixit : Hæc est amphora egrediens, Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur. Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbi in os ejus (Zach. v, 5-8).* Volens Deus ostendere prophetæ humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa debebatur per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit. Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet : Multos autem obtusi sensus homines esse cernimus : et tamen eos in malis actibus astutos videmus, propheta testante qui ait : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt (Jer. iv, 22).* Hi itaque sensu torpent, sed in iis quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur. Et qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis, ad peragenda **178** mala vigilantes fiunt : Unde recte de hac eadem avaritia dicitur : *Hæc est eorum oculus in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati ? Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ.* Quam mulierem ne fortasse quæ esset dubitare possemus illico angelus innotuit dicens : *Hæc est impietas.* Et projecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ projicitur, quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus.* Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiæ, peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximum, impia nequaquam existeret.

Mulier pro sexu ponitur, sicut scriptum est : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (Gal. iv, 4).*

Mulier pro infirmitate ponitur, sicut per quemdam sapientem dicitur : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier ? (Eccli. xlii, 6.)* Vir etenim, fortis quilibet et discretus vocatur. Mulier vero, mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, ut etiam discretus quilibet subito labatur in culpa, atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is qui indiscretus et infirmus est, nonnunquam de eo quod bene egerit, amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit. Discretus vero quilibet etiam ex eo quod male se egisse intelligit, ad districtiōnis regulam, arctius se reducit, et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier,* quia nonnunquam etiam culpa for-

(230) Ex l. xiv, in Job. c. xxvi.

Atium occasio virtutis sit, et virtus infirmorum occasio peccati.

Mulieres dicuntur mentes carnalium. Unde beatus Job male suadenti conjugii respondit dicens : *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es (Job ii, 10).* Quid enim in mulieribus nisi carnales intelligimus ? Quia enim electis dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (Psal. xxx, 25),* **179** mentes carnalium, quæ fluxa Deo intentione deserviunt, non immerito mulieres vocantur.

Mulierum nomine nonnunquam vitia designantur. Unde Zacharias propheta, de avaritia sub applicatione amphoræ loquens, adjecit : *Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt eam inter terram et cælum (Zach. v, 9).* Quid enim aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et inanem gloriam, quæ impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt ? *Et levaverunt eam inter terram et cælum (231).* Superbia quippe et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint, in cogitatione sua super cæteros homines extollant. Et modo per ambitum rerum, et modo per desiderium dignitatum quem semel captum tenuerunt, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui autem inter cælum et terram est, ima deserit, et superiora minime pertingit. Levant ergo istæ mulieres amphoram inter cælum et terram, quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita levant, ut quoslibet proximos despicientes, quasi ima deserant et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Bene ergo amphora levata, inter cælum et terram dicitur, quia avari quique per superbiam, atque inanem gloriam et proximos intra se despicientes, et superiora, quæ ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et cælum feruntur, quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec ad summa pertingere sese extollendo prævalent.

## 180 CAPUT IV.

### DE UXORE.

*In Scriptura sacra uxoris nomine aliquando bona operatio, aliquando carnalis cogitatio designatur.*

Uxoris nomine bona operatio intelligitur, sicut per Moysem dicitur : *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat. Si habens uxorem, et uxor egredietur simul (Exod. xxi, 2, 3).* Require in capitulo De senario numero.

Uxoris nomine carnalis cogitatio designatur, sicut in libro beati Job legitur : *Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua. Benedic Domino et morere (Job. ii, 9).* Sciendum est quia in prosperis

(231) Ex l. xiv in Job. c. xxvi.



plerumque importuna tentatione mens tangitur, et A tamen aliquando adversa exterius patimur, et intus tentationis impulsu fatigamur, ut et carnem flagella crucient; et tamen mentem carnalis suggestio inundet. Unde post tot beati Job vulnera, adhuc subjuncta sunt male sadentis uxoris verba. Uxor quippe male suadens est, carnalis cogitatio mentem lacescens. Sæpe etenim ut diximus, et foris flagellis atterrimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim quod Jeremias deplorat, dicens: *Foris interficit gladius, et domi mors similis est* (Thren. 1, 20). Foris enim interficit gladius, cum nos exterius feriens vindicta configit. Sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia, a tentationis sordibus munda non est, hinc David ait: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et angelus Domini coarctans eos* (Psal. xxxi, 5). Qui enim in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante faciem venti pulvis elevatur. Et cum inter hæc divina districtio percudit, quid aliud quam angelus **181** Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur in reprobis, aliter in electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant; istorum vero tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mentes delectabiliter capiuntur, et si ad tempus quod male suggeritur, displicet; sed postmodum per deliberationem libet. Isti vero sic tentationum jacula excipiunt, ut semper resistendo fatigentur: et si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsam tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, et forti censura redarguunt quiddid intra se exsurgere carnale deprehendunt. Unde et bene mox subditur: *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* (Job. 11, 10.) Dignum quippe est ut sancta mens spirituali correptione comprimat quiddid apud se carnale insolenter immurmurat, ne caro aut loquens aspera ad impatientiam pertrahat, aut loquens blanda ad libidinis fluxa dissolvat. Censura igitur virilis, illicitæ cogitationis suggestionem redarguens, dissolutam deprimat turpitudinis molliem dicens: *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es. Et rursum consideratio munerum, cogitationis asperæ impatientiam refrænet dicens: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* D

## CAPUT V.

## DE VIDUA.

*In Scriptura sacra viduæ nomine aliquando anima, aliquando sancta Ecclesia, aliquando plebs hæretica pravitate infecta intelligitur.*

Viduæ nomine anima intelligitur, sicut de iniquo quolibet per beatum Job dicitur: *Pavit sterilem, et quæ non parit; et viduæ bene non fecit* (Job. xxiv, 21). Quæ enim hoc loco sterilis, nisi caro nuncupatur? Quæ dum **182** sola præsentia appetit, bona gignere cogitationis nescit. Quæ autem vidua nuncupatur, nisi anima? Quam quia sibi conditor conjugere voluit, ad thalamum uteri virginalis venit,

Psalinista attestante, qui ait: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (Psal. xviii, 6). Quæ recte vidua nuncupatur, quia ejus vir pro ea mortem pertulit, et nunc in cœli penetralibus ab ejus oculis occultus quasi in parte alterius regionis vivit. Iniquus ergo sterilem pascit, et viduæ benefacere negligit, quia carnis desiderii serviens curam animæ vitamque contemnit. Tota namque intentioe omnique studio cogitat quomodo sine ullis necessitatibus caro moritura subsistat, et curare animæ vitam negligit, quæ vel in morte, vel in beatitudine procul dubio in perpetuum vivit. Recte autem cum diceretur: *Parit sterilem*, protinus adjungitur: *Et quæ non parit*. Quasdam namque ex sacra historia feminas novimus steriles exstitisse, sed tamen in tempore extremo peperisse. Caro autem non solum sterilis, sed etiam quæ non parit dicitur, quia sub sensu bonas cogitationes gignere, nec in ultimis valet. A vigore enim jam proprio deficit, et tamen adhuc transitoria concupiscere non desistit. Jamque a pristino robore lassata, pene ab ipso quem diligit mundo repellitur, et tamen adhuc aduvis improbo obtinere temporalia conatur. Agere jam perversa non sufficit, sed tamen cogitare vel quæ non agit, nequaquam desistit. Recte ergo non solum sterilis, sed etiam non pariens dicitur, quia, suo sensu, ut diximus, ad bonæ cogitationis prolem, nec cum infirmata fuerit, fetatur.

Viduæ nomine sancta Ecclesia designatur. Unde et hoc ipsum de hæreticis intelligi potest. Unusquisque enim prædicator erroris, dum plebem extra unitatem Ecclesiæ positam docet, profecto sterilem, et eam quæ parere non valet pascit, quia et ei usum sui laboris impendit, quæ spirituales fructus nequaquam reddit. Bene autem viduæ non facit, quia videlicet sanctæ universali Ecclesiæ, cujus vir adversa mortis pertulit, vivere ac deservire contemnit. Viduæ enim benefacere est in ejus quæ mortui viri sui **183** amore conteritur, consolatione laborare. Unde et Psalmistæ voce hæc eadem vidua, videlicet sancta Ecclesia queritur, dicens: *Consolantem me quæsi et non inveni* (Nahum. iii, 7). Tunc soluu quippe consolantem invenit, cum ex ea morte quam vir ejus pertulit, multos intra semetipsam surgere ad vitam cernit.

Viduarum nomine plebes hæretica pravitate intelligimus: sicut item per beatum Job de hæretico dicitur: *Et viduæ illius non plorabunt* (Job. xxvii, 15). Quas enim hæretici viduas accepimus, nisi subjectas plebes, morte illius feliciter destitutas? Sæpe namque dum prædicator erroris, ad æterna supplicia rapitur; subjectæ plebes illius, ad cognitionis veræ gratiam revertuntur. His enim plebibus perversus prædicator quasi maritus præfuit, quia male ejus conjunctus inhæserat corruptor mentis. Nequaquam ergo viduæ vel destitutæ plorant, quia morte pravi doctoris viam veritatis inveniunt, ex cujus interitu affligi posse videbantur. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo errore remanentes dum

sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe A  
falsa, ne lugeant consolantur.

## CAPUT VI.

## DE INFANTE.

Infantis nomine Dominus intelligitur, sicut per  
propbetam dicitur: *Delectabitur infans ab ubere super  
foramine aspidis (Isa. xi, 8)*. Require in capitulo De  
regulo, l. iii, c. 29.

Infantis nomine, quilibet regeneratus, vel noviter  
conversus designatur: sicut quibusdam conversis  
per Petrum dicitur: *Sicut modo geniti infantes ra-  
tionabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis  
in salutem (I Petr. ii, 2)*.

## 184 CAPUT VII.

## DE PUERIS.

In Scriptura sacra puerorum nomine aliquando hi  
qui cœlestibus mandatis inserviunt, aliquando te-  
neritudo adhuc inchoantium, aliquando innocentes  
quique, sed adhuc infirmi, aliquando circumspec-  
tiones mentis designantur.

Puerorum nomine hi qui cœlestibus mandatis  
inserviunt designantur, sicut per beatum Job dicitur  
ex persona Ecclesiæ in afflictione positæ: *Quan-  
do erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri  
mei (Job. xxix, 5)*. Pueri scilicet vocantur, qui cœles-  
tibus mandatis inserviunt. Unde per prophetam Do-  
minus dicit: *Ecce ego et pueri mei quos mihi dedit  
Deus (Isa. viii, 18)*. Et rursum in Evangelio Domi-  
nus dicit: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?  
(Joan., xxi, 5)*. Nunc ergo in circuitu Ecclesiæ sunt  
pueri, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur,  
qui cœlestia mandata custodiunt, et spiritualis do-  
ctrinæ regulis obsequuntur. Qui profecto tunc ad  
obsequium pueri deerunt, quando pravi, qui reperi-  
ti fuerint, spiritualia ejus mandata contemnunt.

Puerorum nomine teneritudo adhuc inchoantium  
designatur, sicut ad beatum Job per nuntium dicitur:  
*Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos,  
et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros per-  
cusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi  
(Job. i, 14, 15)*. Quid enim aliud per figuram bo-  
ves quam bene operantes? quid aliud per asinas  
quam quosdam simpliciter viventes accipimus?  
Quæ bene juxta boves pasci referuntur, quia mentes  
simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo  
magna vicinæ sunt, quo et fraterna 185 bona sua  
per charitatem credunt: Cumque invidere alienis  
sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime divi-  
dunt. Simul ergo asinæ cum bobus reficiuntur, quia  
prudentibus conjuncti tardiores eorum intelligentia  
pascuntur. Sabæi autem captivantes interpretantur.  
Et qui alii captivantium nomine, nisi immundi  
spiritus designantur, qui cunctos quos sibi subji-  
ciunt in infidelitatem captivos ducunt? Qui et pue-  
ros gladio feriunt, quia eos tentationis suæ jaculis  
graviter vulnerant, quos necdum juvenilis constan-  
tia liberos servat. Qui bene quidem bona incipiunt,

(232) Ex c. xviii, l. super.

sed in ipsa adhuc inchoationis suæ teneritudine,  
captivantibus immundis spiritibus substernuntur.  
Hos gladio hostis percutit, quia æternitatis despe-  
ratione transfigit. Quid est autem quod nuntius ven-  
nit, qui diceret: *Erasi ego solus? (232)* Quis est  
iste nuntius, qui aliis pereuntibus solus evadit, nisi  
propheticus sermo, qui dum sunt mala omnia quæ  
prædixit, quasi sanus ad Dominum solus rediit?  
Dum enim vera dixisse de perditorum casu cogno-  
scitur, quasi inter mortuos vixisse monstratur. Hinc  
est quod ad Rebeceam in Isaac conjugio deducen-  
dam puer mittitur, quia videlicet ad desponsandam  
Ecclesiam Domino interposita prophetia famulatur.  
Sabæis ergo irruentibus, solus puer, qui nuntiaret  
evadit, quia malignis spiritibus infirmorum mentes  
B in captivitatem ducentibus, sententia prophetiæ con-  
valuit, quæ eandem captivitatem prænuntians dicit:  
*Propterea captivus ductus est populus meus, quia non  
habuit scientiam (Isa. v, 15)*. Prophetia ergo quasi  
salvatur, dum captivitas quam prædixit ostenditur.

Puerorum nomine innocentes quique, sed adhuc  
infirmi designantur, sicut item ad beatum Job di-  
citur: *Ignis Dei descendit de cælo, et tactas oves,  
puerosque consumpsit; et effugi ego solus ut nuntia-  
rem tibi (Job. i, 16)*. Require in capitulo De igne,  
lib. ii, cap. 1).

Puerorum nomine, circumspectiones mentis de-  
signantur. Unde et hoc ipsum moraliter intelligi po-  
test. Quid enim per oves, nisi cogitationum inno-  
centia? 186 quid per pueros, nisi bonorum dici-  
um munditia designatur? Cælum vero aerem dici,  
paulo ante docuimus. Unde et aves cœli nomina-  
mus. Et scimus quod immundi spiritus, qui de  
cælo æthereo lapsi sunt, in hujus cœli terræque  
medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum  
ascendere ad cœlestia invident, quanto se a cœles-  
tibus per elationis suæ immunditiam projectos vi-  
dent. Quia ergo ab aeris potestatibus contra cogi-  
tationum nostrarum munditiam flamma livoris ir-  
ruit, de cælo ignis ad oves venit. Sæpe enim mun-  
das cogitationes mentis nostræ, ardore libidinis ac-  
cendunt, et quasi oves concremant, dum castos mo-  
tus animi, luxuriæ tentatione perturbant. Qui ignis  
Dei dicitur, quia etsi non faciente, tamen permit-  
tente Deo generatur. Et quia impulsu subito ipsas  
nonnunquam circumspectiones mentis obruunt,  
quasi custodes pueros gladio occidunt. Sed tamen  
unus incolumis fugit, dum omne quod mens pati-  
tur, perseverans discretio subtiliter respicit; sola-  
que mortem gladii evadit, quia etiam perturbatis  
cogitationibus discretio non succumbit, ut damna  
sua animo renuntiet, et quasi Dominum ad lamen-  
tum vocet.

## CAPUT VIII.

## DE REGE.

In Scriptura sacra regis nomine cum singulariter po-  
nitur, aliquando Deus pater, aliaquando Redemptor

*noster Christus, aliquando antiquus hostis designatur; cum pluraliter reges ponuntur, aliquando angelici spiritus, aliquando sancti apostoli, vel quilibet sancti prædicatores, aliquando sancti viri intelliguntur.*

**187** Regis nomine Deus Pater intelligitur sicut in Evangelio dicitur: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (Matth. xxii, 2).* Require in capitulo De homine.

Regis nomine mediator Dei et hominum homo Christus Jesus designatur, sicut per Psalmistam Deo Patri de Filio dicitur: *Deus iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (Psal. lxxi, 1).* Hinc per beatum Job ex persona ejusdem Redemptoris nostri dicitur: *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator (Job xxix, 25).* Quasi enim rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente namque quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderat, emollit rigida, fluxa restringit: ex ipsa hac diversitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat. Sive certe quasi rex sedet circumstante exercitu, quia præsidem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum. Qui etiam mærentium consolator est: ea promissione, qua dicit: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v, 5).* Et rursum: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (Joan. xvi, 22).*

Regis nomine antiquus hostis designatur, sicut de ipso sub Leviathan nomine ad beatum Job voce Domini dicitur: *Omne sublime videt, et ipse rex est super omnes filios [superbiæ] (Job xli, 25).* Omne enim sublime videt, id est cunctos infra se positos quasi de sublimi respicit, et quia dum per intentionem contra auctores nititur, æstimare sibi quemlibet similem dedignatur. Et notandum quod malignus spiritus, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur, quia videlicet cordis superbia, cum exterius usque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, et quo se deprimunt, alius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quosdam fenestras **188** se ostenderet, nequaquam Psalmista Deo dixisset: *Populum humilem salvum facies, et oculos superbiorum humiliabis (Psal. xvii, 28).* Nisi se superbia per oculos funderet, Salomon quoque de Judææ elatione non diceret: *Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta subrectæ (Prov. xxx, 13).* Quia ergo per corporeum animal antiquus hostis signatur, et superbia usque ad corpus prodiens, apertius oculis principatur, quasi de sublimi omnes videre describitur. Sequitur: *Et ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Ut antiquus hostis in tanta mala caderet, sola se superbia perculit. Neque enim

**A** per tot vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Scriptum namque est: *Initium omnis peccati superbia (Eccli. x, 14).* Per hanc enim ipse succubuit, per hanc sequentem hominem stravit. Eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetit, quo vitam suæ beatitudinis exstinxit. Sed idcirco hanc fini suæ locutionis Dominus inseruit, ut cum post omnia mala antiqui hostis superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quamvis etiam per hoc quod omnino postponitur, vitiorum radix esse monstratur, sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret: hæc est, quæ antiqui hostis sensum, sicut olam fervescere facit. Unde et humanas mentes quodam fervore insanæ concutit, sed per aperta opera, qualiter concussi animum evertat, ostendit. Intus namque prius ebullit in elatione quod postmodum foris spumat in opere.

Regum nomine angelici spiritus designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Nunc enim dormiens silem, et somno meo requiescerem cum regibus, et consulibus terræ (Job iii, 13).* (233) Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis constringeret, ad cœlestem angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, mori posset; et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, **189** etiam non mori posset; atque ex merito liberi arbitrii, beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Ubi igitur post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent. Dormiens ergo simul et somno suo homo requiesceret, dum ad æternæ patriæ requiem ductus quasi secessum quemdam a clamore hoc infirmitatis humanæ inveniret. Post peccatum namque quasi clamans vigilat, qui contentionem carnis propriæ repugnans portat. **D** Hoc quietis silentium jam homo conditus habuit, cum contra hostem suum, liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia sponte sua succubuit, mox de se quod contra se perstreperet, invenit; mox in certamine, infirmitatis tumultus reperit, et quamvis in pacis silentio ab auctore fuerat conditus, hosti tamen sponte substratus clamores de pugna toleravit. Ipsa enim carnis suggestio quasi quidam clamor est contra quietem mentis: quam autem transgressionem homo non sensit, quia nimirum, quod de infirmitate posset tolerare, non habuit. Postquam vero se sponte hosti subdidit, astrictus culpæ suæ vinculis, in quibusdam etiam ei nolens

servit, et clamores in mente patitur, cum caro spiritui reluctatur. An non clamores intrinsecus audiebat, qui pravæ contra se legis verba tolerabat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis (Rom. vii)*. Contempletur ergo sanctus in quanta cordis pace requiesceret, si serpentis verba suscipere homo nolisset, et dicat: *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem*, id est intra secretum mentis ad conditoris contemplationem secederem, nisi me extra me tentationum tumultibus, consensus primæ culpæ prodidisset. Hujus autem quietis gaudiis, cum quibus etiam sociis perfrueretur adjungit dicens: *Cum regibus et consulibus terræ (234)*. Rebus insensibilibus discimus, quid de sensibilibus et intelligibilibus sentiamus. Terra namque aere fecundatur, aer autem ex cœli qualitate disponitur. Sic jumentis **190** homines, hominibus angeli, archangeli vero angelis præsent. Nam quod jumentis homines præsent, et usu cernimus, et Psalmistæ verbis docemur, qui ait: *Omnia subjectisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (Psal. viii, 8)*. Quod vero angeli hominibus præsent, per prophetam testatur angelus dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi (Dan. x, 13)*. Quod vero angeli a superiorum angelorum potestatibus dispensantur, Zacharias propheta perhibet, qui ait: *Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur; et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem (Zach. ii, 3)*. Si enim in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summæ minimas disponerent, nullo modo hoc, quod homini diceret, angelus ab angelo cognovisset. Quia igitur cunctorum conditor, omnia per semetipsum tenet, et tamen ad distinguendum pulchræ universalitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, non immerito reges, angelorum spiritus accipimus, qui quo auctori omnium familiaris serviunt, eo subjecta potentius regunt. Cum regibus ergo dormiret, quia nimirum cum angelis homo quiesceret, si, persuasoris linguam sequi nolisset. Qui bene etiam consules vocantur, quia spirituali reipublicæ consulunt, dum nos sibi ad regnum sociis jungunt. Bene consules vocantur, quia dum ipsi nuntiantibus voluntatem conditoris agnoscimus, in eis procul dubio consultum ab hac angustia nostræ tribulationis invenimus.

Regum quoque nomine, possunt non inconvenienter sancti apostoli, et quilibet sancti prædicatores in his verbis intelligi. Quia enim beatus Job sancto æternitatis spiritu impletur; et fuisse, vel futurum esse æternitas non habet, cui nimirum nec præterita transeunt, nec futura veniunt, quia cuncta per præsens videt, potest futuros prædicatores Ec-

clesiæ, in præsentia spiritus contemplari, qui postquam de corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a cœlestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione transeunt, **191** in cœlesti sede requiescunt, Paulo attestante, qui ait: *Scimus quoniam si terrestris nostra domus hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis (II Cor. v, 1)*. Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cœlestis patriæ viam secuti sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia nondum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni, reatus primæ culpæ prohiberet.

Unde juxta ejusdem Redemptoris nostri testimonium dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahamæ Lazarum requiescere contemplatur (*Luc. xvi, 23*). Qui profecto si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde et idem Redemptor noster pro culpæ nostræ debito occumbens, inferna penetrat, ut suos, qui ei inhæserant, ad cœlestia reducat. Sed quo nunc homo redemptus ascendit, illuc profecto si peccare nolisset, etiam sine redemptione pertingeret. Consideret ergo vir sanctus quia, si non peccasset, illuc etiam non redemptus ascenderet ad quod prædicatores sanctos post redemptionem necesse est cum magno labore pervenire, et cum quibus jam nunc quiesceret, insinuet dicens: *Cum regibus et consulibus terræ*. Reges quippe sunt sancti prædicatores Ecclesiæ, qui et commissos sibi recte disponere, et sua bene regere corpora sciunt, quia, dum desideriorum motus in se temperant, super subjectis cogitationibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam terræ consules vocantur. Reges enim sunt, quia sibi metipsis præsent: terræ autem consules sunt, quia extinctis peccatoribus, vitæ consultum præbent; reges sunt, quia semetipsos regere sciunt; terræ sunt consules quia terrenas mentes per exhortationis suæ consilium ad cœlestia pertrahunt. An terræ consul non erat qui dicebat: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do (I Cor. vii, 25)*. Et rursum: *Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium (ibid., 40)*.

Regum nomine quilibet sancti viri designantur, sicut in libro beati Job per Eliu de Domino dicitur: **192** *Non aufert a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illic eriguntur. (Job xxxvi, 7)*. Abstulisse enim a justis oculos suos fortasse Dominus creditur, quia injustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur. Sed famulos suos tunc magister respicit, cum injuste eorum nequitia persequentis affligit. Videns enim quid hic humiliter tolerent, nimirum jam prævidet quid illi

eis misericorditer recompenset. Non ergo aufert a justo oculos suos. Ecce iste humiliter ingemiscit, ille superbit et nequiter floret. Iste cor conterit, ille se de gloria iniquitatis extollit. Horum ergo quis divinis obtutibus longe est, qui injustitiam pertulit, an qui eam patienti interrogavit? qui supernam gratiam inter mœroris tenebras tenuit, an qui inter exteriora gaudia lumen justitiæ intus amisit? Bene autem sancti viri Scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus, non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis, ad potestatem transeunt retributionis, dicitur recte: *Reges in solio collocat in perpetuum*. Semetipsos enim regendo, ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis æternæ solio in perpetuum collocantur. Et eo illic accipiant alios digne judicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur: *Donec justitia convertatur in judicium* (Psal. xciii). Paulus namque de se suisque consortibus dicit: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (II Cor. v, 21). Justitia ergo in judicium convertitur: quia hi qui nunc juste, atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiceæ Ecclesiæ Dominus dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (Apoc. iii, 21). Dicatur ergo: *Reges in solio collocat in perpetuum*. Aptè autem, in perpetuum subdit, aperte quid dicat, insinuat. Si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus in perpetuum subdidisset, quia quique illud arripiunt, profecto non in eo in perpetuum, sed temporaliter collocantur.

### 193 CAPUT IX.

#### DE CONSULIBUS.

Consulum nomine angelici spiritus, vel sancti prædicatores designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Nunc enim dormiens silerem*, etc. (Job iii, 13.) Require supra in capite De regibus.

#### CAPUT X.

#### DE DUCIBUS.

In Scriptura sacra ducum nomine aliquando errorum auctores, alias principalia vitia designantur.

Ducum nomine errorum auctores designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur: *Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat* (Job xxix, 40). Qui enim hoc loco alii duces intelligi possunt, nisi hæretici pravitate auctores? Sed in tempore pacis Ecclesiæ vocem suam cohibent duces, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere ad se conantur, ne loqui nunc perversa audeant et auctoritatum frenantur pondere et virtute rationis. Quorum lingua suo gutturi adhæret, quia etsi perversa loqui libera voce non audent, intus tamen apud se contegunt cun-

cta quæ contra veram fidem proponere falsa moluntur.

Ducum nomine principalia vitia designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de sancto viro sub equi appellatione dicitur: *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus* (Job xxxix, 25). Bellum namque procul odorari est ex causis præcedentibus 194 quæ vitiorum pugnae subsequantur agnoscere. Quia enim odore res non visa cognoscitur, bellum quoque procul odorari est, sicut flatu narium, sic provisu cogitationum nequitas latentes indagare. De quo odoratu Dominus recte in Ecclesiæ suæ laudibus dicit: *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (Cant. vii, 4). Per nasum quippe odores fetoresque discernimus. Et quid per nasum nisi provida sanctorum discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur ut hostis veniens longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum provida discussio, dum sollicitè circumquaque conspicit in altum posita, prius quam veniat culpa, deprehendit: Eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. Hinc Habacuc ait: *Super custodiam meam stabo* (Habac. ii, 1). Hinc uniuscujusque electi animam admonet dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines* (Jer. xxxi, 21). Speculam quippe sibi statuere est ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibi que electi mens amaritudines ponit, quando et virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, securam quiescere non consentit. Primo autem ne mala quælibet, secundo vero loco considerat ne bona incaute faciat. Et postquam prava subegerit, ipsa etiam sibi subjicere recta contendit, ne si mentis dominium transeat, in elationis culpam vertantur. Quia enim plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur, vigilantia studio contemplatur, quomodo ex doctrina arrogantia, ex justitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cumque bona hæc agit, quod hi contra se hostes, per hæc exurgere valeant, conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinæ studiis elaborat, mentem sollicitè contra certamen arrogantia præparat. Cum culpas delinquentium juste ulcisci desiderat, sagacissime evitat, ne modum justitiæ crudelitas vindictæ transcendat. Cum pietate servare se nititur, solerter prospicit, ne qua disciplina dissolutione vincatur. Cum se recti zeli stimulis excitat, summopere prævidet ne plusquam necesse est, iræ se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilanter observat ne torpore frigescat.

195 Quia ergo spiritualis militis cogitatione omne vitium, priusquam subrepere possit, aspicit, recte de equo Dei dicitur: *Procul odoratur bellum*. Perpendit etiam quæ turba iniquitatum prouat, si multa ad se ingredi, vel pauca permittat. Unde sequitur: *Exhortationem ducum et ululatum exercitus*. Tentantia quippe vitia, quæ invisibili contra nos

prælio regnanti super se superbiam militans, alia a more ducum præeunt, alia more exercitus subsequantur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dum majores et paucæ neglectam mentem præveniunt, minores et innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque exercitum specialiter, ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali est superbia. De qua Scriptura testante dicitur : *Initium omnis peccati est superbia* (Eccli. x, 14). Primæ autem ejus soboles septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiam vitiis, nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spirituale liberationis prælium, Spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos, hæc singula exercitum suum.

De inani namque gloria, iuobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur.

De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur.

De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiam proferuntur.

De tristitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur.

De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuriam, inquietudo, violentiam, et contra misericordiam obdorationes cordis oriuntur.

De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur.

De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generatur.

Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt : cum ad cor veniunt quasi subsequentis exercitus catervas trahunt.

Ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt. Sed unum quodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur.

Prima namque superbiam soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corrumpit, mox invidiam gignit. Quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quam interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia

quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur.

Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit ; et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit.

Tristitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dum confusum cor, bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari foris debeat, quærit. Et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat.

Post hæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies et luxuria supersunt. Sed cunctis liquet, quod de ventris ingluvies luxuria nascitur, dum ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima vitia deceptæ mentis quasi sub quadam ratione se inserunt ; sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt.

Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Debes majora appetere, ut quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas pluribus prodesse.

Invidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari cum dicit : In quo, illo vel illo minor es ? Cur ergo æqualiter, vel superior non es ? Quanta vales quæ ipsi non valent ? Non ergo sibi aut superiores esse, aut etiam æquales debent.

Ira etiam devictum cor, quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt : imo hæc patienter tolerare peccatum est, quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur.

Tristitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas ? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle revertuntur.

Avaritia quoque devictum animum quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, et quod male alius retinet, ipse melius expendis.

Ventris quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Ad esum Deus munda omnia condidit ; et qui satiari cibo respuit, quid aliud quam muneri concesso contradicit ?

Luxuria vero devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Cur te in voluptate tua non dilatas : cum quid te sequatur, ignoras ? Acceptum tempus in desideris perdere non debes, quia quam citius pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset.

Hæc est ducum exhortatio, quæ, dum incaute ad **198** secretum cordis admittitur, familiarius iniqua persuadet. Quam videlicet exercitus ululans sequitur, quia infelix anima, semel principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in insaniam vertitur, feralem iam immanitate vastatur. Sed miles Dei quia solerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur, quia mala præeuntia, quid menti persuadere valeant, cogitatione sollicita respicit, exhortationem ducum, naribus sagacitate apprehendit, et quia longe præsciendo, subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi ululatum exercitus odorando cognoscit.

## CAPUT XI.

## DE PRINCIPIBUS.

(235) Principum nomine, hi qui magno consilii iudicio, suis cogitationibus principantur, designantur, sicut per beatum Job de Domino dicitur : *Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevat* (Job. xii, 21). Principes etenim non immerito vocantur, qui magno consilii iudicio suis semper cogitationibus principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiæ comprimunt. Sed sæpe contingit ut in occulto animus de ipsa sapientia in elationis fastum sublevetur, et sub eis vitiis corruat de quibus se victorem fuisse gaudebat. Recte ergo dicitur : *Effundit despectionem super principes*. Sed quia nonnunquam hi, qui in vitiis latere videntur, ad poenitentiam lamentum currunt, sequæ contra culpas, quibus subjacebant erigunt, apte subjungitur. *Et eos, qui oppressi fuerant, relevat*. Nonnulli

A enim superno illustrati munere aspiciunt in quanta peccatorum turpitudine jacent, factorum maculas lacrymis lavant, et sub se postmodum carnis suæ motus deprimunt, a quibus ante premebantur. Quod nimirum magna omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut videlicet in hac vita habeantur incerta, et nullus ex habita castitate superbiat, quia effundit despectionem super principes, et nullus ex vitiorum suorum depressione desperet, quia eos, qui oppressi fuerant, relevat.

**199** (236) Principum nomine hæreticæ pravitatis auctores designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Principes cessabant loqui, et digitum supponebant ori suo* (Job xxix, 9). Qui enim hoc loco alii principes intelliguntur, nisi hæreticæ pravitatis auctores? De quibus per Psalmistam dicitur : *Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos invio et non in via* (Psal. cvi, 40). Ipsi dum dispensationem Dei perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas, non in eam viam quæ Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque effusa contemptio dicitur quia sibi vicissim allegationibus contradicunt (237). Sancta ergo Ecclesia, ultima tribulatione deprehensa, prioris auctoritatis suæ reminiscens dicat : *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo*. Ac si aperte dicat : Cum prædicare mihi voce publica licuit, omnis qui veritati meæ non fuit subiectus, expavit. Illo namque tempore cum sancta Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis datur.

## 200 INCIPIT LIBER QUINTUS.

## CAPUT PRIMUM.

## DE SPIRITU.

In Scriptura sacra spiritus nomine, aliquando anima, aliquando effectus spiritalis, aliquando superbiæ tumor, aliquando interna cogitatio, aliquando ventus intelligitur.

(238) Spiritus nomine anima designatur, sicut de ipso capite nostro scriptum est : *Inclinato capite tradidit spiritum* (Joan. xix, 30). Si enim aliud spiritum, quam animam Evangelista diceret, exeunte utique spiritu anima mansisset. Pars nominis effectus spiritus intelligitur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur : *Qui facis angelos tuos spiritus et ministros* (Hebr. i, 7). Angeli quippe, id est nuntii in sacro eloquio nonnunquam prædicatores vocantur, sicut per prophetam dicitur : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (Malach. ii, 7). Omnipotens

ergo Deus angelos suos spirituales facit, quia prædicatores suos spirituales efficit.

**201** Spiritus nomine superbia designatur, sicut per Psalmistam de humiliatione elatorum Domino dicitur : *Auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur* (Psal. ciii, 29). Quis enim eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum, ut deficient, id est subducto superbiæ spiritu nihil se de se esse cognoscant, et revertantur in pulverem, id est humilientur ex infirma conditione.

Spiritus nomine inferna cogitatio designatur, sicut ab Eliu de homine dicitur : *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et statum ad se trahit* (Job xxxiv, 14). Curvum cor est, cum ima appetit, dirigitur, cum ad superna sublevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro-

(235) Ex l. xi in Job, c. x.

(236) Ex l. xv, in Job, cap. xi, post med.

(237) Hujus sent. exempla Greg. habet ibidem.

(238) Ex l. xi, in Job c. iii.

internis cogitationibus, flatum vero qui per corpus A trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere, est ad conversionem sui desiderii interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam exterius menti libeat; nihil caro inferius vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est, ad eum videlicet a quo est, et interius desiderando ferveat et exterius se edomando constringat.

## CAPUT II.

### DE ANIMA.

*In Scriptura sacra animæ nomine aliquando id quod charius amatur, alias mentis intentio intelligitur.*

Anima pro eo, quod charius amatur, ponitur, sicut voce Dominica ad Satan pro Redemptore nostro sub beati Job nomine dicitur: *Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva* (Job 11, 6). Quid enim aliud per animam Christi, nisi electorum vitam quam charē diligit accipimus? Quia enim, cum recte diligimus, **202** nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus; et sicut animam nostram eos diligere dicimus, quibus amoris nostri exprimere pondus conamur, non incongrue per Christi animam electorum vita signatur. Cum ergo ad feriendam Redemptoris carnem Satan permittitur, ab anima separatur, quia cum corpus ad passionem accipitur, electos ejus a jure suæ potestatis amittit. Cumque illius caro per crucem moritur, horum mens contra tentamenta solidatur. Dicatur ergo: *Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva*. Ac si aperte audiat: Licentiam contra corpus ejus accipe, et ab electis ejus quos apud se ante sæcula præsciens possidet, jus pravæ dominationis perde.

Animæ nomine mentis intentio intelligitur; sicut per beatum Job dicitur: *Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea?* (Job VII, 15). Quid autem per animam nisi mentis intentio, quid per ossa nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit ut ossa moriantur, quia, dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certissime sciunt, quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt. Et ideo suspendium eligunt, quia nimirum terrena desideria deserentes ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti hoc, quod fortes prius in mundo fuerunt vinculo humilitatis insequantur.

## CAPUT III.

### DE CORPORE.

Corporis nomine quælibet nostra actio designatur, sicut in Evangelio veritatis voce dicitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* (Matth. VI, 22). Quid enim per oculum exprimitur, **203** nisi opus suum præveniēns cordis intentio,

quæ priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna ergo corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit,* quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationum, bonum opus efficitur, etiam si minus esse videatur. *Et si oculus nequam fuerit, tenebrosus erit,* quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, et si splendere coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur. Ubi recte subjungitur: *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* (ibid., 23). Quia si hoc quod bene agere nos credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt quæ mala esse etiam cum agimus non ignoramus? Et si ibi nil cernimus, ubi quasi discretionis lumen tenemus, quæ cæcitate in illa offendimus quæ sine discretionē perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nil temporale in his quæ agit appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscite solvatur: et eo fiat pravum quod in opere sequatur, quod non ex recta cogitationis intentione generatur.

## CAPUT IV.

### DE CAPITĒ.

*In Scriptura sacra capitis nomine aliquando summa sacerdotii Judaici, aliquando principalis pars hominis, aliquando rei cujuslibet initium designatur.*

**204** Capitis nomine summa sacerdotii Judaici exprimitur, sicut de Redemptore nostro sub beati Job nomine dicitur: *Et tonso capite corruens in terram adoravit* (Job. 1). Quid enim per capillos, nisi sacramentorum subtilitas? quid per caput nisi summa sacerdotii Judaici designatur? Unde ad Ezechielem prophetam dicitur: *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem capillos, et assumes eum et duces super caput tuum et barbam* (Ezech. V). In quo videlicet prophætæ facto judicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasis, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasis, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit. Quid vero hoc loco per terram, nisi peccatrix gentilitas designatur? Nam cum justam Judæa se crederet, constat quam reproba de gentilitate sentiret, Paulo attestante. *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores* (Gal. II, 15). Mediator igitur noster quasi detonso capite in terram corruit, quia Judæam deserens, dum sacramenta sua ab ejus sacerdotio abstulit, ab notitiam gentium venit. Capillos enim a capite rasis, quia sacramenta legis ab illo primo suo sacerdotio sustulit. In terram corruit, quia salvandis sese peccatoribus dedit. Dumque eos qui sibi



justi videbantur, deseruit, eos qui se injustos et noverant et fatebantur assumpsit. Hinc et ipse in Evangelio dicit: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (Joan. ix, 39). Hinc et columna nubis quæ in eremo populum præibat splendore ignis non in die, sed nocte radiabat (Exod. xiii, 21), quia videlicet Redemptor noster suæ conversationis exemplo ductum sequentibus præstans, de justitia sua confidentibus nulla luce claruit; peccatorum vero suorum tenebras cognoscentibus igne sui amoris infudit. Nec quod corruere Job dicitur, dignum mens hoc significatione Redemptoris arbitretur. Scriptum namque est: *Verbum misit Dominus in Jacob et cecidit in Israel* (Isa. ix, 8). Jacob quippe *supplantator*, Israel vero *vir videns Dominum* dicitur. Et quid per Jacob nisi Judaicus populus? quid per Israel nisi gentilis populus designatur? Quia quem **205** Jacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Jacob ergo missum Verbum in Israel cecidit, quia quem ad se venientem Judaicus respuit populus, hunc repente confitens populus gentilis invenit. De sancto quoque Spiritu in Actibus apostolorum scriptum est. *Cecidit super eos spiritus Domini* (Act. x, 44). Idcirco autem vel Verbum Dei, vel Spiritus in Scriptura sacra cadere dicitur, ut inopinatus ejus adventus exprimitur. Quod enim ruit vel cadit, ad ima repente venit. Mediatori ergo in terram quasi corruisse, est in nullis signis præcedentibus inopinate ad gentes venisse. Bene autem dicitur, quod corruens adoravit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis irfudit. Fecit enim quod fieri docuit sicut de ejus spiritu dicitur: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. viii, 26). Neque enim petit quia æqualis est, sed postulare dicitur, quia nimirum quos repleverit, postulantes facit quamvis hoc et in semetipso Redemptor noster ostendit, qui Patrem et dum passioni propinquaret exoravit. Quid enim mirum si in forma servi exorando se Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium usque ad mortis extrema toleravit?

Capitis nomine principalis pars hominis, id est mens designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Impinguasti in oleo caput meum* (Psal. xxii, 5). Ac si aperte diceretur: Arentem in suis cogitationibus mentem meam charitatis unctione rigasti. Unde et aliis dicitur: *Oleum de capite tuo non deficiat* (Eccl. ix, 8). Oleum quippe in capite est charitas in mente. A capite autem oleum deficit, cum charitas a mente discedit. Nec immerito per caput mens designatur, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur.

Capitis nomine rei cujuslibet vitium designatur, sicut per prophetam Jeremiam sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite* (Thren. i, 5). Sciendum est quod bona nostra tribus modis

A antiquus hostis insequitur, **206** ut videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in æterni judicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, ut omne quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat quo hoc ab origine turbat. Aliquando vero intentionem boni operis vitare non prævalet, sed in ipsa actione quasi in itinere laqueos opponit, ut cum propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio quasi ex insidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine illaqueat. Quantoque vel a domo cordis vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto decipiendum bonæ actionis terminum astutius exspectat; et quo incautum quemque quasi recedendo securum reddidit, eo illum nonnunquam repentino vulnere durius insanabiliusque transfigit. Intentionem quippe in bono opere polluit, quia, cum facilia ad decipiendum corda hominum conspiciunt, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit, ut in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudinè intentionis inclinentur.

Unde sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta per Jeremiam dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite*. Ac si aperte diceretur: Cum bonum opus non bona intentione sumitur, hinc adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. Cum vero intentionem vitare non prævalent, in via positos laqueos tegunt, ut in eo quod bene agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium derivetur, quatenus quod inchoans aliter proposuerat, in actione longe aliter quam cœperat percurrat. Sæpe enim bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quesita non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus delectatione cum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentionis intimæ vigore dissipatur. Sæpe se bene inchoatæ nostræ justitiæ ex latere, ira subjungit, et dum zelo rectitudinis immoderatus mentem turbat, cunctam quietis intimæ salutem sauciat. Sæpe gravitatem cordis quasi subjuncta ex latere **207** tristitia sequitur, atque omne opus quod mens bona intentione inchoat, hæc velamine mœroris obumbrat. Quæ et nonnunquam tanto tardius repellitur, quanto et pressæ menti quasi securior famulatur. Sæpe se bono operi lætitiæ immoderata subjungit; cumque plus mentem, quam decet hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. Quia enim bene in inchoantibus subesse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, recte prophético plenus spiritu dicebat: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (Psal. cxli, 4). Cum vero antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tanto nequius obsidet, quanto solum sibi remansisse ad decipiendum videt. Hos

namque fini suo oppositos laqueos Propheta conspexerat, cum dicebat: *Ipsi calcaneum meum observabant* (Psal. LV, 7). Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus actionis signatur? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines illorum superbiae sequaces calcaneum observant, cum actionis finem vitare desiderant. Unde et eidem serpenti dicitur: *Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum* [239] (Gen. III, 15). Caput quippe serpentis observare est vitia suggestionis ejus aspiceret, et manu sollicitæ considerationis a cordis aditu funditus extirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi prima suggestionem non percutit, decipere in fine tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis in diem et terminus ab hoste callido secure possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspiciat, quam veneni dente in radice vitavit. Summa ergo cura vigilandum est, ne bonis operibus serviens mens reproba intentione polluatur.

## 208 CAPUT V.

### DE CERVICE.

*In Scriptura sacra cervicis nomine aliquando libertatis erectio, aliquando superbia designatur.*

Cervicis nomine libertatis erectio designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiae dicitur: *Tenuit cervicem meam, confregit me et posuit sibi quasi in signum* (Job. XVI, 13). Sicut in malis cervix superbia, sic in bonis libertatis erectionem significat. Unde nonnunquam ipsa quoque superbia pro erectionis auctoritate ponitur, sicut per prophetam Dominum sanctae Ecclesiae pollicens dicit: *Ponam te in superbiam saeculorum* (Isai. LX, 15). Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quae sentiunt praedicare libere non praesumunt, recte de hoc hoste dicitur: *Tenuit cervicem meam, confregit me*. Fortasse autem hi cervicis appellatione signati sunt, qui pacis ejus tempore plusquam decet eriguntur, et sub occasione defendendae rectitudinis vitio deserviant elationis. Qui persecutionis tempore idcirco plus adversa sentiunt, quia de prosperis extolluntur. De quibus bene dixit: *Tenuit cervicem meam, confregit me*, id est elationem in infirmis habui, distractione suae percussiois inclinavit. *Et posuit sibi quasi in signum*. Constat nimirum quia idcirco signum ponitur ut sagittarum emissionem feriat. Fidelis itaque populus in signum hosti suo est positus, quia cum semper suis ictibus impetit, cum suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita, assidua mala tolerat, velut in signum positus ictus suscipit ferientis. Unde et praedicator egregius cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione adversariorum gemeret, teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consolans ait: *Ipsi*

*enim scitis quod in hoc positi sumus* (I Thess. III, 3). Ac si eis aperte dicat: Quid in hoc tempore vulnera nostra **209** miramini, qui si aeterna gaudia quaerimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur?

(240) Cervicis nomine superbia designatur, sicut per beatum Job pravis quibuslibet dicitur: *Et redigentur in lutum cervices vestrae* (Job XIII, 12). Sicut per oculum visus, sic per cervicem solet superbia designari. Cervix itaque in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, et elata caro tamescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulcris jaceant divitum cadavera, quae illa in extincta carne sit imago mortis, quae tabes corruptionis. Et certe ipsi erant, qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant caeteros, et quasi solos se esse gaudebant. Et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed in lutum cervix redacta est, quia despecti jacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat tabes corruptionis probat.

## CAPUT VI.

### DE VERTICE.

*In Scriptura sacra verticis nomine aliquando Christus, aliquando fides intelligitur.*

(241) Verticis nomine Christus, caput videlicet sanctae Ecclesiae designatur, sicut in beati Job passione, in figura ejusdem Redemptoris nostri dicitur: *Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Job vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem* (Job II, 7). Quid enim Ecclesiae vertex, nisi Redemptor noster intelligitur? Quid per plantam pedis, nisi primus sanctus Abel accipitur? Nullus autem in hac vita electorum venit, qui non antiqui hostis adversa sustinuit. Membra autem Redemptoris nostri exstiterunt, et qui ab **210** ipso mundi exordio dum pie vivunt, crudelia passi sunt. An non hujus membrum Abel se esse perhibuit, qui ejus mortem, de quo scriptum est: *Sicut agnus coram tondeute se obmutescet, et non aperiet os suum* (Isa. LIII, 7), non solum placens in sacrificio sed etiam moriens tacendo designavit? Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiae saeviendo pervenit.

(242) Verticis nomine fides designatur, sicut ad Judaeam per Jeremiam dicitur: *Filii quoque Memphis et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem* (Jer. II, 16). Quid enim in vertice aliud quam fidei sublimitas intelligitur? Nonnulli quippe fidem medullitus tenent, sed vivere fideliter nullatenus curant. Insequuntur enim moribus quod credulitate venerantur. Quibus divino judicio saepe contingit

(239) Ambr. lib. *De fuga saeculi* cap. 7; Chrysost. hom. super illud: *Inimicitias ponam inter te et mulierem*; Cypr. lib. I adversus Judaeos, c. II, ita legeret si pro ipsa non haberet ipse.

(240) Ex l. II in Job, c. XIV.

(241) Ex l. III in Job, c. XI, post med.

(242) Ex l. XXV in Job, c. ante med.

ut per hoc quod nequiter vivunt, et illud perdunt quod salubriter credunt. Incessanter namque se pravis actionibus polluant, et super hoc vindictam justii iudicii retribui posse diffidunt. Et sæpe cum bene vivere negligunt, etiam persequente nullo usque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum iudicium non credunt qui inulte se peccare suspicantur, quo pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdidisse est incorrectis operibus malis digna reddi posse supplicia non credere. Quia ergo fidei opera servare contemnunt, et fidem perdunt quam tenere videbantur, bene ergo talibus sub Judææ specie per prophetam dicitur, *Filii Memphæos et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem*. Usque ad verticem quippe constuprari est post malæ operationis usum etiam ipsam fidei sublimitatem corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis volvunt, sed integritatem fidei vitare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluant, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, jam usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris, usque ad summa **211** pertingit, quando activam vitam polluens castam fidei celsitudinem diffidentiae morbo corrumpit.

## CAPUT VII.

## DE CAPILLIS.

*In Scriptura sacra capillorum nomine aliquando defluentes animi cogitationes, aliquando superabundans terrena substantia intelligitur.*

(243) Capillorum nomen animi cogitationes designat, sicut de sancto viro dicitur: *Et tonso capite corruens in terram adoravit* (Job. 1). Quid enim moraliter per capillos nisi defluentes animi cogitationes accipimus? Unde et alias sponsæ dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua sponsa, et eloquium tuum dulce* (Cant. iv, 5). Vitta quippe crines capitis astringit. Labia ergo sponsæ, sicut vitta sunt, quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne remissæ defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos depriment, sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam recte et coccineam asserit, quia sanctorum prædicatione solo charitatis ardore flammescit. Quid vero per caput, nisi quæ principale cujusque actionis est, mens ipsa signatur? Caput ergo detondere est cogitationes superfluas a mente resecare. *Et tonso capite in terram corruit*, quia, repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit humiliter agnoscit.

Et notandum quod in terram corruens adoravit. Ille enim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit humiliter videt qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit esse de misericordia Conditoris agnoscit.

(243) Ex l. II, in Job, c. XXVII, post med.

(244) Ex hom. 33 in Evang.

Capillorum nomine superabundans terrena substantia designatur, sicut in Evangelio de Maria **212** Magdalene scriptum est: *Stans retro secus pedes Domini, lacrymis cepit rigare pedes ejus et capillis suis tergebat* (244). Quid namque pedes Domini, nisi ultima ejus membra accipimus? Lacrymis ergo mulier pedes Domini rigat, quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinemus, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis mulier pedes quos rigavit tersit. Capilli autem superfluum corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergo pedes Domini tergemus, quando sanctis ejus, quibus et ex charitate compatimur, etiam ex his quæ nobis superfluum miseremur, quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcunque proximorum dolori compatitur, sed cum eis ex his quæ sibi superfluum non miseretur. Plorat, et non tergit, qui verba quasi doloris tribuit; sed non ministrando quæ desunt vim doloris minime abscindit.

## CAPUT VIII.

## DE CINCINNO.

(245) Cincinni nomine collectio cogitationum designatur sicut per Ezechielem prophetam dicitur: *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram et cælum, et adduxit me in Jerusalem in visione Domini juxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem* (Ezech. viii, 3). Justorum mens, quia per custodiam disciplinæ a cunctorum visibilium fluxu appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur, qualisque Deo, vel proximo esse debeat plene conspicit, quia nihil suum exterius derelinquit: Et quanto exterioribus abstracta percipitur, tanto aucta in intimis inflammatur. Et quo magis ardet, eo ad comprehendenda **213** vitia amplius lucet. Hinc est quod sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Unde bene nunc per Ezechielem dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me*.

## CAPUT IX.

## DE PILIS.

(246) Pili superfluas humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationes designant, sicut Eliphaz dicit: *Cum spiritus me præsentem transiret inhoruerunt pili carnis meæ* (Job. iv, 15). Nobis præsentibus transit spiritus, quando invisibilia cognoscimus; et tamen hæc non solide, sed raptim

(245) Ex lib. xxxi, in Job cap. vii, post med.

(246) Ex lib. v in Job, c. xxiii.

videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimæ, diu mens figitur, quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suæ tenebras, fracta relabitur, et magna virtute proficiens, videt quia videre non possit hoc quod ardentem diligit; nec tam ardentem diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit spiritus; quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, et inhiantibus aperit, et mox infirmantibus abscondit. Et quia in hac vita quantalibet quis virtute profecerit, adhuc tamen corruptionis suæ stimulum sentit. *Corpus quippe quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Recte subditur: *Inhorruerunt pili carnis meæ* (247). Pili etenim carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Pili carnis dicuntur vitæ veteris cogitationes, quas sic a mente abscindimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Unde bene per Moysen dicitur: *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ* (Num. viii, 7). Levita quippe *assumptus* vocatur. Oportet ergo levitas omnes pilos carnis suæ radere, quia is, qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animæ speciem, quasi pilis fruticantibus deformem reddat. Sed quantalibet, ut **214** diximus, quæpiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate nascitur quod toleretur. Unde et ipsi Levitarum pili præcepti sunt radi, et non evelli. Rasis etenim pilis in carne radices remanent, et crescunt iterum ut reciduntur. Quia magno quidem studio superflua cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc subtilius cognoscimus, cum speculationibus alta penetramus. Unde recte nunc dicitur: *Cum spiritus me præsentem transiret, inhorruerunt pili carnis meæ*. Humana etenim mens, cum contemplationis arce sublevatur, tanto semetipsam durius de superfluis cruciat, quanto nimis subtile conspiciat esse quod amat. Et cum pulchrum hoc quod intuetur, super se appetit districte iudicat quicquid in se prius infirmum tranquille tolerabat. Transiente ergo spiritu pertimescunt, quia ante compunctionis vim cogitationes superflua fugiant, ut nil fluxum, nil jam remissum libeat, quia afflictam mentem etiam contra semetipsam visitationis intimæ severitas inflammat. Cumque hoc quod in corde illicitum nascitur, continua restrictione resecatur, fit plerumque ut vegetata mens, paulo altius radio suæ speculationis inhæreat, et pene ligat spiritum qui transibat. Nec tamen ipsa hæc contemplationis mora divinitatis plene

(247) Ex cap. xxiv.

(248) Ex lib. xiii in Job, cap. ix.

A vim aperit, quia ejus immensitas humanas vires auctas sublevatasque transcendit.

**215** CAPUT X.

DE OCULO.

*In Scriptura sacra cum oculus singulari numero ponitur, aliquando cordis intentio, aliquando is qui docendo illuminat, aliquando contemplativa, vel activa vita, aliquando perfecta Dei cognitio; cum vero pluraliter oculi dicuntur, aliquando pravi consiliiarii, aliquando spes, aliquando pravi prælati, aliquando hi qui in sancta Ecclesia lumen veritatis habent, aliquando operationes sancti Spiritus designantur.*

(248) Oculi nomine cordis intentio designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Verbosi amici mei, ad Dominum stillat oculus meus* (Job. xvi). Sæpe contingit ut ipsa quoque in nobis bona opera, ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in cælo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Unde bene nunc dicitur: *Verbosi amici mei, ad Dominum stillat oculus meus*. Quid enim per oculum, nisi cordis intentio designatur? Unde et in Evangelio scriptum est: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Matth. vi, 22). Quia videlicet cum bona intentione quid agitur, ejus intentionis actio apud Dominum minime fuscat. Cum ergo amici verbosi sunt, id est cum et ipsi derogant qui in ilde sociantur ad Dominum, necesse est ut oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, et tanto subtilius se ad **216** interiora erigat, quanto per exteriora opprobria repulsa, intus redire cogitur, ne foris evanescat.

(249) Oculi nomine is qui docendo illuminat designatur, sicut per beatum Job de sancta Ecclesia dicitur. *Oculus sui cæco et pes claudo* (Job xxix, 15). Cæcus quippe est qui adhuc quo pergat non videt. Claudus autem est qui non potest ire, quo videt. Sancta itaque Ecclesia oculus est cæco, quia per verbum lucet; ipsa pes est claudo, quia per adjutorium continet; cæcos vero prædicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Crebro namque peccatum aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. Quo contra per Psalmistam recte dicitur: *Dominus illuminatio mea et salus mea* (Psal. xxvi, 1). Quia enim Dominus et scientiam et virtutem præbet et contra ignorantiam illuminatio, et contra infirmitatem salus vocatur. Hinc etiam de iniquis dicitur per eundem: *Fiat via illorum tenebræ et lubricum* (Ps. xxxvi), ut scilicet per tenebras, quo ire debent non videant: qui etsi recta viderent, in eis tamen per lubricum stare non possent. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras quæ bona sequuntur ignorant.

(250) Oculi dextri nomine contemplativa vita, sinistri vero activa vita signatur. Unde in Evangelio dicitur: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te. Bonum est tibi uno oculo in*

(249) Ex lib. xix, cap. iv, post med.

(250) Ex lib. vi, in Job, c. xvii.

*vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* (Matth. v, 29). Sciendum namque magnopere est quia valde inter se sunt diversæ conspirationes animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt, ut si actionem laboris non habuerint, gravius laborent. Quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem immoderati operis, nec inquieti ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui Deum contemplari quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; et sæpe, qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio **217** suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: et dum veritatis discipuli humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Quibus recte hoc quod præfati sumus, per semetipsam veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te; erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi uno oculo in vitam intrare quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Duæ quippe vitæ, activa videlicet et contemplativa dum conservantur in mente quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculi contemplativa vita est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa et spiritualia nequaquam possunt, et tamen alta contemplationis assumunt: adque idcirco in perfidiæ foveam, intellectu pravi erroris delabuntur. Hos itaque vita contemplativa ultra vires assumpta, cogit a veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola activa custodire. Bene ergo eis dicitur: *Si oculus tuus dexter scandalizat te.* etc. Ac si aperte dicat: *Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solum secutus activam tene.* Cumque in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto quod pro minimo attendis, ut si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cælorum per solam activam valeas saltem luscus intrare.

(251) Oculi Dei perfecta ejus cognitio intelligitur sicut de eo propheta ad Israelitas dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (Zach. ii, 8). Constat nimirum quod natura sua oculum Deus non habeat. Sed quia nos per oculum cernimus, Deus eo quod omnia videt, oculum habere perhibetur.

(252) Oculorum nomine pravi consilarii designantur, sicut de hoste antiquo, voce Dominica dicitur: *Oculi ejus ut palpebræ diluculi* (Job xli, 9). Per oculos quippe qui inhærentes capiti utilitati visionis serviunt, non immerito consilarii Antichristi designantur, qui dum perversis machinationibus

(251) Ex lib. xxxii, in Job, c. vi.

(252) Ex lib. xxxiii in Job, c. xx.

quæ qualiter agenda sunt, prævident, malignis ejus operariis quasi ostensum pedibus **218** iter præbent. Qui recte palpebris diluculi comparantur; palpebris namque diluculi extremas noctis horas accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum venturæ lucis jam initia ostendit. Prudentes igitur sæculi malitiæ Antichristi perversis consiliis inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi, quia fidei quam in Christo inveniunt, quasi erroris noctem asserunt, et venerationem Antichristi verum esse pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere et veritatis lucem signis clarescentibus nuntiare, quia nec persuadere quæ volunt, possunt, nisi exhibere se meliora fateantur. Unde serpens ipse in paradiso primis hominibus loquens, in eo quod se melius aliquid providere simulavit, quasi palpebras aperuit, quando in innocentibus mentibus humanitatis ignorantiam reprehendit et scientiam divinitatis promisit. Quasi ignorantia enim tenebras repellebat et æternæ scientiæ divinum mane nuntiabat, dicens: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum* (Gen. iii, 5). Ita in illo tunc damnato homine veniens, ejus oculi palpebris diluculi comparantur, quia sapientes illius simplicitatem veræ fidei quasi transactæ noctis tenebras respiciunt, et ejus signa mendacia quasi exsurgentes solis radios ostendunt.

Oculorum nomine spes designatur, sicut per Jeremiam dicitur: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones; defecerunt oculi eorum, quia non erat herba* (Jer. xiv, 6). Require in capite De onagro, lib. iii, cap. 22.

(253) Oculorum nomine pravi prælati designantur, sicut per Psalmistam de pravis doctoribus, prænuntiantis studio, non autem maledicentis dicitur voto: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (Psal. lxxviii, 24). Oculi quippe sunt qui in ipsa honoris summa facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo: *Obscurentur oculi eorum ne videant, dorsum eorum semper incurva.* Ac si dicat: *Qui humanæ vitæ actionibus quasi prævidendis itineribus præsumunt, veritatis lucem non habeant, ut qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati, omnem statum rectitudinis amittant.* Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso Redemptoris nostri adventu Phariseorum turba atque sacerdotum a vero lumine oculos clausit, et per præpositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

(254) Oculorum nomine elatio superbiæ designatur, sicut per Eliphaz dicitur: *Qui humiliatus sue-*

(253) Ex lib. xxv in Job, c. xvi.

(254) Ex l. xvi in Job, c. x, 11.

rit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse A  
salvabitur (Job xii, 29). Quæ nimirum sententia a  
Veritatis ore non discrepat, quæ ait : Omnis qui se  
exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur  
(Luc. xiv). Unde et per Salomonem dicitur :  
Antequam conteratur, exaltatur cor hominis ; et ante-  
quam gloriatur, humiliatur (Prov. xviii). Recte au-  
tem dicitur, qui inclinaverit oculos suos, ipse salva-  
bitur, quia, quantum per membrorum ministerium  
deprehendi potest, prima superbix extensio esse in  
oculis solet. Hinc enim scriptum est : Oculos su-  
perborum humiliabis (Psal. xvii, 12). Hinc de ipso  
superbientium capite dicitur : Omne sublime videt  
(Job xli, 25). Hinc de illa quæ ei per infidelitatem  
adhæsit, scriptum est : Generatio cujus excelsi sunt  
oculi, et palpebræ ejus in altum subrextæ (Prov. xxx, B  
13). Oculos ergo inclinare est nullum respiciendo  
despicere, sed se minorem atque imparem cunctis,  
quos aspiciit æstimare. Salvabitur itaque qui oculos  
inclinat, quia qui falsum superbix verticem deserit,  
veritatis altitudinem ascendit.

(255) Oculorum nomine hi qui in sancta Eccle-  
sia lumen veritatis habent designantur, sicut voce  
electi membri sui, scilicet beati Job, eadem sancta  
Ecclesia conqueritur dicens : Caligavit ad indigna-  
tionem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum  
redacta sunt (Job xvii, 7). Ad indignationem  
namque oculus caligat, quando ipsi quoque, qui in  
Dominico corpore, id est in Ecclesia, lumen veritatis  
habent ; dum se diutius a pravis despici ac de-  
dignari conspiciunt, de occultis 220 judicii admira-  
tione turbantur, et secretum Dei penetrare ne-  
queant, cur prævalere perversi contra bonos per-  
mittantur. Quis etenim non obstupescat, cum He-  
rodiadis filix saltatus apud regem temulentum ob-  
tinet, ut caput amici sponsi, prophete et plusquam  
prophete ante ora convivantium deferatur ? Sed  
cum isti ad indignationem caligant, infirmi ple-  
rumque usque ad infirmitatem corrumpunt. Unde et  
subditur : Et membra mea quasi in nihilum redacta  
sunt. Membrorum quippe nomine teneritudo infir-  
morum exprimitur. Qui dum perversos prospiciunt  
florere justosque cruciari, ad hoc nonnunquam  
perveniunt, ut se bona inchoasse peniteant,  
atque ita ad agenda mala citius accedunt :  
ac si eorum vitæ nocuerit bonum quod inchoaverant.

(256) Oculorum nomine operationes sancti Spiritus  
designantur, sicut per Zachariam prophetam de Redemptore  
nostro sub figura lapidis dicitur : Super lapidem unum  
septem oculi sunt (Zach. iii, 9). Quid enim per oculos  
nisi sancti Spiritus dona signantur ? Require in capitulo de Plei-  
dibus.

## CAPUT XI.

## DE PALPEBRIS.

In Scriptura sacra palpebrarum nomine aliquando  
prælati Ecclesiæ, aliquando prudentes hujus sæ-  
culi, aliquando divina judicia designantur.

(257) Palpebrarum nomine prælati signantur, sic-  
ut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur :  
Palpebræ meæ caligaverunt (Job xvi, 17). Palpebræ  
enim recte appellati sunt, qui ad providenda pe-  
dum itinera vigilant. Sed cum occulta Dei judicia  
præpositi vigilantes 221 intelligunt, palpebræ san-  
ctæ Ecclesiæ caligant.

Palpebrarum nomine prudentes sæculi perversis  
Antichristi consiliis inhærentes designantur, sicut  
de diabolo voce Domini ca ab beatum Job dicitur :  
Oculi ejus, et palpebræ diluculi (Job xli, 9). Re-  
quire in capite præcedenti.

(258) Palpebrarum nomine divina judicia desi-  
gnantur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur :  
Palpebræ ejus interrogant filios hominum (Psal. x,  
5). Tribus quippe modis nos Conditor interrogare  
consuevit, cum aut flagelli nos dicitur ostendit,  
et quanta nobis insit vel desit patientia ostendit ;  
aut quædam, quæ nolumus præcipit, et nostram  
nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit ; aut  
aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscon-  
dit, et mensuram nobis nostræ humilitatis innotescit.  
Flagello namque interrogat, cum mentem sibi  
bene per tranquillitatem subditam afflictionibus  
pulsat : sicut beatus Job et laudatur attestazione ju-  
diciali, et tamen ictibus concidit percussoris, ut ejus  
patientia tanto verius claresceret, quanto inquisita  
durius fuisset. Præcipiendo autem dura nos Domini  
interrogat, sicut Abraham terram suam jubetur  
egredi, et pergere quod nesciebat, in montem  
unicum filium ducere, et quem ad consolationem  
seni acceperat immolare. Cui nimirum ad interro-  
gationem bene respondentem, id est ad jussionem  
bene obedientem, dicitur : Nunc cognovi quod timeas  
Dominum (Gen. xxi, 12), vel, sicut scriptum est :  
Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis  
eum (Deut. xiii, 3). Tentare quippe Dei est magnis  
nos jussionibus interrogare. Scire quoque ejus est  
nostram obedientiam nosse nos facere. Aperiendo  
autem nobis quædam, atque claudendo, nos inter-  
rogat sicut per hoc Psalmistæ testimonium quod  
supra posuimus declaratur : Palpebræ ejus interro-  
gant filios hominum ; palpebris quippe apertis cer-  
nimus, clausis nihil videmus. Quid ergo per palpe-  
bras Dei, nisi ejus judicia accipimus ? Quæ juxta  
aliquid clauduntur hominibus, et juxta aliquid re-  
serantur, ut homines, 222 qui se nesciunt, sibi-  
metipsis innotescant, quatenus dum quædam in-  
telligendo comprehendunt, quædam vero cogno-  
scere omnino non possunt, eorum corda se late-  
nter inquirant, si illos divina judicia vel clausa sit-

(255) Ex l. xiii in Job, c. xiii, 18.

(256) Lib. i, c. ix.

(257) Ex l. xiii in Job, c. vii.

(258) Ex l. xxviii in Job, c. v.

mulant, vel aperta non inflant. Hac enim Paulus in interrogatione probatus est, qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum cœli tertii, post supernæ locutionis mysteria dicit: *Ego me non arbitror comprehedis* (*Philip. III, 15*). Et rursum: *Ego sum minimus, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor. xv, 9*). Et rursum: *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor. III, 5*). Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus recte respondit, qui superna secreta attingit, et tamen in humilitate cordis sublimiter stetit. Qui rursum, cum secreta Dei iudicia de repulsione Judæorum, et vocatione gentium discuteret, atque ad ea pervenire non posset, quasi clausis Dei palpebris interrogatus est. Sed rectum valde responsum reddidit, qui Deo se in ipsa ignorantia scienter, inclinavit dicens: *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom. XI, 33*). Ecce enim absconsis mysteriis, quasi clausis palpebris inquisitus, placita ac recta respondit, qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionem intronitti ad interiora non valuit, per confessionem ante januas stetit humilis, et quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudavit.

## CAPUT XII.

### DE NASO.

(259) Nasi nomine discretio designatur, sicut voce Dominica in laudibus Ecclesiæ dicitur: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano* (*Cant. VII, 4*). Require in c. De ducibus.

## 223 CAPUT XIII.

### DE NARIBUS

In Scriptura sacra narium nomine aliquando exhalantes insidiæ, atque instigatio antiqui hostis, aliquando præscientia designatur.

(260) Narium nomine exhalantes insidiæ atque instigatio antiqui hostis accipitur, sicut voce Dominica ad beatum Job de diabolo dicitur: *De naribus ejus procedit fumus* (*Job XLII, 14*). Oculorum quippe acies fumo sauciat. Fumus ergo de naribus ejus procedere dicitur, quia de miraculorum ejus insidiis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorum cordibus generatur. De Leviathan naribus fumus exit, quia ex ejus prodigiis mendacibus, etiam bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. Tunc namque in electorum cordibus, conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobatur. Unde Veritatis ore per Evangelium dicitur: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth. XXIV, 24*). Qua in re valde quærendum est quomodo aut hi qui electi sunt, induci

in errorem possunt, aut cur, si fieri poterit, quasi ex dubietate subditur, cum quid faciendum sit Dominus omnia præsciens præstolatur. Sed, quia electorum cor trepida cogitatione concutitur, et tamen eorum constantia non movetur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est dicens: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam elec. i.* Quasi enim jam errare est in cogitatione titubare. Sed protinus si fieri potest subjungitur, quia proculdubio fieri non potest ut in errore plene electi capiantur. Hinc ergo pensare compellimur per hoc quod de naribus ejus fumus procedere 224 dicitur, etiam priusquam apertus appareat, quid quotidie in humanis cordibus fumo pestiferæ exhalationis operatur. Quia enim sicut superius diximus, fumo oculorum acies infirmatur, non immerito de ejus naribus procedere fumus asseritur, cujus noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit qui in reproborum cordibus insidiarum suarum aspirationibus ex amore vitæ temporaliter æstum congerit multiplicium cogitationum. Et velut fumi globos multiplicat qui inanissimas vitæ præsentis curas in terrenorum hominum mente coarcevat. Iste fumus ex ejus naribus prodiens, aliquando ad tempus etiam electorum oculos tangit. Hunc namque fumum intrinsecus patiebatur Propheta cum diceret: *Turbatus est ira oculus meus* (*Psal. VI, 8*). Hujus inundatione preinebatur dicens: *Cor meum conturbatum est in me et lumen oculorum meorum non est mecum* (*Psal. XXXVII*). In sudibus perforabit nares ejus (*Job XL, 19*). (261) Quid enim aliud sudet, id est pallos accipimus, qui videlicet exacuuntur ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia? Quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transigunt. Per nares vero odor trahitur, et ducto flatu hoc agitur, ut res etiam quæ longe est posita, cognoscatur. Naribus vero Behemoth callidæ ejus insidiæ designantur, per quas sagacissime nititur et occulta cordis nostri bona cognoscere, et hæc pessima persuasionem dissipare. In sudibus itaque Dominus nares antiqui hostis perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat.

(262) Narium quoque nomine præscientia designatur, sicut per prophetam dicitur: *Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse* (*Isa. II, 22*). Sæpe enim quæ non vidimus, odore comprehendimus, ita ut nonnullæ res etiam cum longe jaceant fragrantia nobis suæ qualitatis innotescant; dumque per nares spiritum ducimus, plerumque et invisæ præscimus. Redemptoris ergo nostri spiritus 225 esse in ejus naribus dicitur, ubi videlicet scientiam il-

(259) Supra l. IV, c. X.

(260) Ex l. XXXIII, in Job. c. XXVII.

(261) Ex l. su. c. VIII.

(262) Ex lib. III, in Job, XXI.

has esse in præscientia designetur, quia quæcum-  
que se in natura humanitatis innotuit scire, hæc  
nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit. Qui  
unde spiritum in naribus habuerit mox propheta  
subjungit, dicens : *Quia excelsus reputatus est ipse*  
*(Isa. id.)*. Ac si diceret : In inferioribus ven-  
tura desuper præscivit, quia ad ima de cœlestibus  
venit. Sancti etiam viri, quia ab illo audita cre-  
diderunt, ipsi quoque jam ventura præsciunt;  
dumque ejus fideliter præceptis inseruiunt, adven-  
tum illius spe certa præstolantur.

## CAPUT XIV.

## DE ORE.

*Scriptura sacra oris nomine aliquando cordis*  
*cogitatio, aliquando locutio, aliquando prædica-*  
*tor sanctus, aliquando Unigenitus Dei, aliquando*  
*prædicatores Antichristi, aliquando doctorum scien-*  
*tia, aliquando suggestiones antiqui hostis desi-*  
*gnantur.*

(263) Oris nomine cordis cogitatio designatur,  
sicut per Sophar de hypocrita dicitur : *Cum dulce*  
*fuerit in ore ejus malum, abscondit illud sub lingua*  
*sua (Job xx, 12)*. In ore hypocritæ malum dulce  
est, quia ei est iniquitas suavis in mente. Os quip-  
pe cordis cogitatio est, de qua scriptum est : *Labia*  
*dolosa in corde et corde locuta sunt mala (Psal. xi,*  
*3)*. Sed hoc malum quod in ore hypocritæ est,  
sub lingua ejus absconditur, quia asperitas mal-  
itiæ, quæ latet in mente, sub tegmine blandæ lo-  
cutionis operitur. Malum namque in lingua esset,  
et non sub lingua, si loquens hypocrita malitiam  
suar pravitatis aperiret. Sed, sicut plerique justor-  
um, cum quosdam agere perverse **226** aspi-  
ciunt, qui duris sunt increpationibus feriendi in  
lingua asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis  
suar benignitatem contegunt. Unde sanctæ Eccle-  
siæ Sponsi voce dicitur : *Mel et lac sub lingua tua*  
*(Cant. 4, 11)*. Qui enim mentis suæ dulcedinem  
aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos  
asperitate feriunt, emittunt quædam blanda et  
dulcia quibus contristata mens in eis possit ex be-  
nignitate refoveri. Ita perversi quique non in  
lingua, sed sub lingua habent, qui sermonibus  
dulcia præstant, et cogitationibus perversa mo-  
liuntur. Hinc est enim quod Joab Amasæ mentem  
dextera tenuit; sed sinistram ad gladium latenter  
mittens, ejus viscera effudit. Dextera quippe men-  
tem tenere est quasi ex benignitate blandiri. Sed  
sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia  
percutit. Hinc de ipso quoque capite eorum scri-  
ptum est : *Sub lingua ejus labor et dolor (Psal. ix,*  
*juxta Hebr.)*. Qui non aperte mala quæ cogitat  
ostendit, laborem et dolorem eorum quorum mor-  
tem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua  
premit.

(264) Oris nomine locutio designatur, sicut per  
beatum Job dicitur : *Manum tuam ponam super os*  
*meum (Job xxxix, 34)*. Usu enim sacri eloquii in

(263) Ex l. xv, in Job, c. v, ante finem.

(264) Ex l. xxxii, in c. ii.

A manu operatio, in ore locutio solet intelligi. Ma-  
num ergo super os ponere est virtute boni ope-  
ris culpas tegere incautæ locutionis. Quis enim  
inveniri potest qui quamlibet perfectus sit, de otioso  
tamen sermone non peccet, Jacobo attestante, qui  
ait : *Nolite plures magistri fieri. In multis enim*  
*offendimus omnes? (Jac. iii, 1, 2.)* Et rursum : *Lin-*  
*guam nullus hominum domare potest (Ibid., 8)*. Cujus  
culpas redarguens per semetipsam Veritas dicit :  
*Dico autem vobis quia omne verbum otiosum, quod*  
*locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in*  
*die judicii (Matth. xii, 36)*. Sed sancti viri ante  
oculos Domini student culpas linguæ tegere meritis  
vitæ, student pondere bonorum operum premerio  
immoderata verborum. Unde et in sancta Eccle-  
sia manus super os ponitur, dum in electis ejus  
quotidie otiosæ locutionis vitium virtute bonæ ac-  
tionis operitur : sicut scriptum est : *Beati quorum*  
*remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt pec-*  
*cata (Psal. xxxi, 1)*. Sed rursum, cum scriptum sit :  
**227** *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus (Hebr.*  
*vi)*. Quomodo tegi possunt, quæ ejus oculis, cui  
cuncta nuda sunt, abscondi nequaquam possunt?  
Sed quia hoc quod tegimus, inferius ponimus, at-  
que hoc unde tegimus nimirum superducimus, ut  
quod est subterpositum tegamus, tegere peccata  
dicimus quæ quasi subter ponimus dum abdicamus.  
Eisque aliud superducimus, dum bonæ actionis  
opus ad hoc post eligimus, ut præferamus. Qui  
ergo opera mala deserit, et bona posterius facit, per  
hoc quod addit transactam nequitiam tegit ut boni  
operis merita superducatur.

(265) Oris nomine prædicator sanctus designatur,  
sicut per prophetam Dominus dicit : *Si separaveris*  
*pretiosum a vili, quasi os meum eris (Jer., xvii, 19)*.  
Sciendum magnopere est quia tantum unaquæque  
anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore  
veritatis fuerit despectior ante oculos suos. Hinc  
ad Saul dicitur : *Nonne, cum parvulus esses in ocu-*  
*lis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? (I Reg.*  
*xv, 17.)* Ac si aperte diceret : Magnus mihi fuisti,  
quia despectus tibi es, factus es despectus mihi.  
Unde per prophetam dicitur : *Væ qui sapientes estis*  
*in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes*  
*(Isa. v, 21)*. Tanto ergo fit quisque vilior Deo quanto  
pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo, quanto propter  
eum vilior sibi, quia *humilia respicit, et alta a*  
*longe cognoscit (Psal. cxxxvii, 6)*. Bene ergo dicitur :  
*Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.*  
Vilis quippe Deo est mundus præsens, pretiosa est  
ei anima humana. Quia ergo pretiosum a vili sepa-  
ratur, quasi os Domini vocatur, quia per eum  
Dominus sua verba exerit, qui ab amore sæculi,  
loquendo quæ potest humanam animam evellit.

(266) Oris nomine Unigenitus Dei designatur,  
sicut per Eliu dicitur : *Audiet auditionem in terroris*  
*vocis ejus, et sonum de ore illius (Job xxxvii, 2)*.

(265) Ex l. xviii in Job, c. xx.

(266) Ex l. xxvii in Job, cap. x, 13.



Mos sacri eloquii est, ut cum audiri aliquid per auditum insinuat, audiri eundem auditum dicat, sicut Habacuch ait: *Domine, audiui auditum tuum, et timui* (*Habac. III, 2*). Unde hic quoque dicitur: *Audiet auditionem in terrore vocis ejus*. Ore Dei potest unigenitus designari Filius, qui, sicut brachium ejus **228** dicitur, quia per eum cuncta operatur de quo Joannes dicit: *Et omnia per ipsum facta sunt* (*Joan. I, 3*), ita etiam os ejus dicitur. Hinc est enim quod propheta ait: *Os Domini locutum est hæc* (*Psal. LVIII, 14*). Per quem nobis omnia loquitur, ac si oris nomine patenter diceretur verbum. Sicut nos quoque pro verbis dicere linguam solemus, ut cum Græcam, vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca lingua verba monstremus. Os ergo Domini non immerito ipsum accipimus. Unde et ei sponsa in Canticis canticorum dicit: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant. I, 1*). Ac si dicat: Tangat me dulcedine præsentiae unigeniti Filii Redemptoris mei. Per sonum vero oris potest ejusdem Dei Domini Spiritus sanctus designari. Unde et alias in ejusdem spiritus significatione scriptum est: *Factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis* (*Act. II, 2*). Sonus ergo de ore Domini procedit, cum substantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens, surditatem nostræ insensibilitatis rumpit, sicut de eodem sono incircumscripto atque incorporeo os Domini loquitur, dicens: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan. XVI, 14*). Potest ergo per terrorem vocis, vis fortitudinis; et per sonum oris, dulcedo consolationis intelligi, quia quos Spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, et postmodum spe celestium consolatur, ut tanto post confidendo de primis gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Hinc est enim quod de Unigeniti spiritu, quasi de hoc oris sono Paulus dicat: *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore. Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba Pater* (*Rom. VIII, 15*). Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan. XX, 23*). Ecce conversorum terror vertitur in potestatem, quia, dum mala sua penitendo puniunt, usque ad exercendum iudicium ascendunt, ut hic in Deo posse accipiant, quæ prius de Deo ipsi metuebant. Judices quippe fiunt, qui supernum iudicium perfecte timeant, et aliena jam incipiunt peccata dimittere, qui prius formidaverunt ne retinerentur sua.

**229** (267) Oris nomine prædicatores Antichristi designantur, sicut voce Dominica de ipsa ad beatum Job dicitur: *De ore ejus lampades procedunt* (*Job XLII*). Sicut qui provident, oculi, sic qui prædicant, os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem perfidiæ accendunt. Et unde quasi per sapientiam luceat, inde procul dubio per nequitiam concremant.

(267) Ex I. XXIII in Job, c. XXVI.

Oris nomine doctorum scientia designatur, sicut de prædicatoribus Antichristi sub equorum nomine, in Apocalypsi dicitur: *Potestas equorum in ore, et in caudis erat eorum* (*Apoc. IX, 19*). In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur. De qua Paulus apostolus dicit: *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea, quæ ante sunt extensus* (*Philipp. III, 13*). Retro enim omne quod transit: ante vero, omne quod veniens permanet. Istitis ergo equis, id est nequissimis prædicatoribus ubique carnali impulsui currentibus, in ore et in cauda potestas est, quia ipsi perversa sedendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt, exaltant.

Oris nomine suggestiones antiqui hostis designantur, sicut de ipso ad beatum Job voce Dominica dicitur: *In medium oris ejus quis intrabit?* (*Job XII, 4*). In medium oris ejus intrare est calliditatis ejus verba penetrare, ut nequaquam penset quod resonant, sed quo intendant. Bonum namque videtur promittere; sed ad perditum finem trahunt. Intrare Adam in medium oris ejus voluit, quando intentionem persuasionis illius caute pensare neglexit. Divinitatem quippe se per illum accipere credidit, et immortalitatis gratiam amisit: et unde ab intellectu verborum ejus incaute exterius stetit, inde se ori illius devorandum funditus præbuit. Quia ergo antiquus hostis fidelium mentes corrumpere aliquando ostensione sua, aliquando suggestionem conatur (agit enim modo opere, modo persuasionem) recte dicitur: *Et in medium oris ejus quis intrabit?* Subaudis nisi ego qui per discretas **230** electorum mentes suggestionum ejus verba discutio, et non ita hæc esse, ut sonuerint, manifesto.

## CAPUT XV.

### DE LINGUA.

*In Scriptura sacra linguæ nomine aliquando aperta locutio, aliquando falsitatis doctrina, aliquando Spiritus sanctus designatur.*

(268) Linguæ nomine aperta locutio designatur, sicut per beatum Job amicis suis dicitur: *Loquentes id quod justum est judicate: et non inveniatis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit* (*Job VI*). Is namque qui loquitur, dum de verbis suis auctoris sententiam exspectat, quasi ejus iudicio supponitur a quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, quatenus inter cor et linguam æquus districtusque arbiter sedeat, subtiliter pensans si recta verba cor afferat, quæ utiliter suscipiens in auditorum iudicium lingua perdueat. Beatus igitur Job contra amicos agens, sed contra hæreticos nostræ denantiens, præcipationem loquentium reprehendat, atque ad eorum mentem verba recolat dicens: *Loquentes id quod justum est, judicate*. Ac si aperte diceret: Si in eo quod ad nos

(268) Ex I. VIII in Job, c. II.

per egressum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus iustitiæ libram tenete, ut tanto foris quod dicitur, ex veritatis pondere placeat, quanto hoc interius trutina discretionis pensat.

Et non inveniatis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Ac si apertius diceret: Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensatis; et cum rectum cœperit esse quod dicitis, justum cognoscetis quod auditis; nequaquam quippe mea vobis lingua stultitiam resonat, si a vestra conscientia **231** non procedat. Si sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, et tunc prædicamenta veritatis aperire, quia, cum recta se tenere æstimant, recta quæ audiunt, contumaciter impugnant. Ante ergo necesse est ut errorem suum hæretici sentiant, ne auditæ veritati contradicant; quia, etsi camporum sentes, si arator vomeris scissione non eruit, terra accepta semina in segetem non producit, et cum putredinem medicus vulneris apertione non ejicit, nequaquam in loco putredinis sana caro coalescit. Prius ergo perversa destrucens, dicat: *Loquentes id quod justum est judicate*. Post autem recta insinuans, subjungit: *Et non inveniatis in lingua mea iniquitatem*. Solent autem hæretici alia aperte dicere, alia in occultis tenere. Per linguam aperta locutio, per fauces vero, occulta tractatio designatur. Sanctæ ergo Ecclesiæ nec in lingua iniquitas, nec in faucibus stultitia, resonat, quia ea, quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem servat; nec in aperto aliud docet, sed quod sentit loquendo docet, et quod loquitur vivendo custodit, ac de sapientiæ supernæ convivio, quidquid per linguam prædicat, emanat; per fauces tacitæ expectationis degustat.

(268\*) Linguæ nomine, falsitatis doctrina designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur sub nomine leviathan: *Et fune ligabis linguam ejus* (Job xl, 20). Scriptura enim sacra fune aliquando dimensionum sortes, aliquando peccata, aliquando autem fidem designare consuevit. Nam propter hæreditarias divisionum sortes dicitur: *Funes ceciderunt in præclaris, et hæreditas præclara est mihi* (Psal. xv, 6). Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ, sortes nos melioris patriæ excipiunt. Rursum, quia fune peccata signantur, per prophetam dicitur: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* (Isa. v, 18). Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur dum per augmentum culpa protelatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (Psal. cxvii, 61). Quia enim funis addendo torquetur, ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde sæpe, dum defenditur, **232** multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur, Salomone attestante, qui ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur* (Eccl. iv, 12), quia fides, videlicet quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium textitur, fortis in electis

(268\*) Ex l. xxxiii in Job, c. ix.

(269\*) Ex hom. xxx in Evang.

A permanet, in solo reproborum corde dissipatur. Hæc itaque loco funis nomine, sive peccatum, sive fidem nil obstat intelligi. Incarnatus etenim Dominus noster fune leviathan linguam ligavit, qui in similitudine carnis peccati apparuit, et omnia errorum ejus prædicamenta damnavit. Unde Paulo testante dicitur: *Et de peccato damnavit peccatum* (Rom. viii, 3). Fune ergo linguam ligavit, qui per similitudinem carnis peccati, ab electorum suorum cordibus cuncta ejus facile argumenta destruxit. Ecce enim apparente in carne Domino leviatham lingua ligata est, quia veritate ejus cognita, illæ falsitatis doctrinæ tacuerunt. Cuncta jam erroris doctrina conticuit, quia leviatham linguam Dominus incarnationis suæ fune constrinxit.

B (269) Linguæ nomine Spiritus sanctus designatur, sicut in Actibus apostolorum legitur, quia idem Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis descendit (Act. ii, 3). Bene namque in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, et in desiderium suæ æternitatis hoc accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus cœternus est Filio, et habet cognationem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe Patris est Filius: et quia una est spiritus substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe quia per linguam procedit verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis Spiritu sancto tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Filium confitetur. Et negare Dei Verbum non valet, quia jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in linguis igneis apparuit Spiritus sanctus, quia quos repleverit, ardentem pariter, et loquentem facit. Linguas namque igneas doctores habent, quia, dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam otiosus sermo doctoris est, si præbere non valet incentivum amoris.

## 233 CAPUT XVI.

### DE DENTIBUS.

(269\*) Dentium nomine sancti apostoli designatur, sicut per beatum Job in persona nostri Redemptoris dicitur: *Derelecta sunt tantummodo labia circa dentes meos* (Job xix, 20). Quid enim per labia, nisi locutio? quid per dentes, nisi sancti apostoli figurantur? Ipsi quippe in Ecclesiæ corpore sunt positi, ut vitam carnalium corruptione mordeant, eamque a suæ pertinaciæ duritia confringant. Unde et primo apostolorum quasi denti in ejus corpore posito dicitur: *Macta et manduca* (Act. x). Sed, quia passionis Christi tempore isti dentes præ timore mortis amiserunt fiduciam roboris, amiserunt fiduciam omnimodæ operationis, ita ut duo ex illis ambulantes post ejus mortem ad resurrectionem, in via loquerentur et dicerent: *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* (Luc. xxiv, 21); recte nunc dicitur: *Et derelecta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos*. Con-

(269\*) Ex l. xiv in Job, cap. xxiii, xxiv.

fabulabantur quippe adhuc de illo, sed jam in illum minime credebant. Tantummodo ergo labia circa dentes ejus remanserant, quia virtutem bonæ operationis amiserant, et sola de illo confabulationis verba retinebant. Perdiderunt morsum correptionis, et habebant motum locutionis. Labia itaque tantummodo circa dentes relicta sunt, quia adhuc quidem confabulari noverant, sed prædicare jam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant.

(270) Dentium nomine, generaliter sancti prædicatores designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ sparsæ de ipsis dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (Cant. iv, 2). Quid enim dentes Ecclesiæ, nisi prædicatores sanctos accipimus, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt? Qui non immerito detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes in lavacro baptismatis, conversationis pristinae vellera vetusta posuerunt.

**234** (270\*) Dentium nomine interni sensus designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis et animam meam porto in manibus meis?* (Job. xiii.) Per dentes etenim cibus frangitur, ut glutitur. Unde non immerito in dentibus internos sensus accipimus, qui singula, quæ cogitant, quasi mandunt et comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt. De quibus propheta Jeremias queritur dicens: *Fregit ad numerum dentes meos* (Thren. iii, 16). Dentes namque ad numerum franguntur, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati, intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, et secundum quod quisque egit exterius, in eo obstupescit quod de internis atque invisibilibus intelligere potuit. Unde et recte scriptum est: *Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescunt dentes illius* (Hier. xxxi, 29). Quid autem uva acerba nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis autem præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia, qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritualia mandere, id est intelligere nequeant, quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt. Et, dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet, quia ligati dentes ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit, edere nequaquam possunt. *Quare lacero carnes meas dentibus meis.* Ac si patenter dicat: Cum internis sensibus carnalia, si qua fuerint in me facta, discutio, si in eis spectatoribus prodesse non possum? Vere et apte subditur: *Et animam meam porto in manibus meis.* Animam in manibus portare est intentionem cordis in operatione ostendere. Habent namque justi hoc proprium, ut per omne quod dicunt, aut omne quod agunt, non solum pro-

fectum suum, sed et proximorum ædificationem quærant. Et aliquando in quibusdam semetipsos dijudicant, ut pigros auditores ad considerandos semetipsos revocent. Aliquando bona opera ostendunt, ut spectatores eorum erubescant non imitari quod vident. Scriptum namque est: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (Matth. v, 16). Qui igitur intentionem suam per opera insinuat, animam suam in manibus portat. Sed, cum justus quisque nec se dijudicando, nec bona opera ostendendo utilitati proximorum proficit, per hoc quod egerit, ad verba doloris redit. Unde recte nunc dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis*, etc., id est cur me vel districtè coram hominibus dijudico, vel quid appetam in operibus ostendo, si utilitati proximorum nec mala dijudicando, nec bona ostendendo proficio?

(271) Dentium nomine aperti persecutores bonorum designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est* (Job xvi, 10). Quid aliud omnes iniqui, quam membra sunt diaboli? Ipse itaque per eos agit quidquid in eorum cordibus ut agere debeant immitit. Habet autem nunc diabolus contra Ecclesiam furorem, sed sparsus ejus furor est, quia occultas tentationes per singulos movet. Cum vero contra eam in aperta persecutione prorumpit, furorem suum in eam colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Membra autem ejus hoc pacis tempore idcirco contra electos collectum furorem non habent, quia malitiam suam minus se sentiunt posse implere, quam volunt. Cum vero sibi suppetere licentiam pravitatis aspexerint, tanto hanc audacius feriunt, quanto et contra illam ex unanimitate glomerantur. Recte itaque nunc dicitur: *Collegit furorem suum in me.* Cujus adhuc furor, ut latius exponatur, dicitur: *Et comminans mihi fremuit contra me dentibus suis.* De quo et subditur: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Ille quippe antiquus hostis Ecclesiæ contra hanc dentibus fremuit, eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, et per alios quæ exercent, providet. Dentes namque hujus hostis sunt bonorum persecutores atque carnifices, qui ejus membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi vero hujus hostes sunt, qui contra eam provident mala quæ faciant, suisque consiliis persecutorum ejus crudelitates inflammant. Antiquus ergo ejus adversarius fremuit contra eam dentibus suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum. Intuetur hanc terribilibus oculis, quia pravorum consiliis non cessat mala exquirere, in quibus hanc semper deterius affligat.

(271\*) Dentium nomine pravæ suggestiones designantur, sicut per Eliphaz hæretici gloriantes di-

(270) Ex l. ii in Job, c. xv, xviii.

(270\*) Ex lib., etc. super

(271) Ex lib. xiii in Job, c. v, 6.

(271\*) Lib. iii, c. xviii.

cunt : *Rugitus leonis, et vox leonæ, et dentes catularum leonum contriti sunt* (Job iv, 10). Require in capit. De leonæ.

(272) Dentium nomine, pravi prædicatores designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de Antichristo dicitur : *Per gyrum dentium ejus formido* (Job xli). Perversi etenim prædicatores dentes sunt, quia eos, quos in errorem capiunt, a veritatis soliditate confringunt. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ dentes accipimus eos, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt, unde ei per Salomonem dicitur : *Dentes tui sicut grex tonsarum ascendunt de lavacro* (Cant. iv, 2). Itaque dentibus Antichristi errorum magistri figurantur, qui reproborum vitam mordendo dilaniant, et eos a veritatis integritate subductos, in sacrificio falsitatis mactant. Quorum quidem prædicatione facile despici ab auditoribus poterat, sed hanc ante humana judicia adjunctus et potestatum sæcularium terror exaltat. Recte ergo dicitur : *Per gyrum dentium ejus formido*; id est prædicatores Antichristi perversæ hujus sæculi potestates protegunt. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæviendo terrere. Per gyrum ergo dentium, ejus formido est : ac si aperte diceretur : Idcirco perversi prædicatores aliquos suadentes conterunt, quia sunt circa ipsos alii, qui infirmorum mentes terrentes affligunt.

(272') Dentium nomine, aperta jam culpæ perpetratio designatur, sicut per beatum Job in figura Ecclesiæ dicitur : *Conterebam quondam molas iniqui, et dentibus illius aufereram prædam* (Job xxix, 17). Quis namque iniquus dici potest verius quam diabolus? Cujus molas conterimus quoties, **237** disserendo contra ejus insidias, occulta illius machinamenta monstramus, ac sic de ejus dentibus prædam tollimus, quia mentem, quam jam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitæ convertendo revocamus. Per molas quippe occultæ ejus insidiæ, per dentes vero, aperta jam culpæ perpetratio demonstratur. De quibus nimirum molis et dentibus per Psalmistam scribitur : *Deus conteret dentes eorum, in ore ipsorum molas leonum confringet Dominus* (Psal. lvi). Sed sanctus vir ante se asserit molas conterere, ut post de dentibus potuisset prædam auferre, quia tunc veraciter prædam de ejus dentibus tollimus, cum prius molas illius conterere, scimus. Prius enim necesse est occulta consiliorum machinamenta prodere, ut auditoris nostri animam valeamus postmodum ab aperto lapsu revocare.

## CAPUT XVII.

### DE SALIVA.

*In Scriptura sacra salivæ nomine aliquando sapor contemplationis, aliquando sapientia intelligitur.*

(273) Salivæ nomine, intimæ contemplationis sapor designatur, sicut per beatum Job dicitur :

(272) Ex lib. iii, in Job, c. xxiii.

(272') Ex lib. ix, c. xv, 24.

*Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam* (Job vii, 19). Saliva in os ex capite delabitur, ab ore vero ad ventrem delabitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi divinitas per quam esseendi principium sumimus, ut creatura simus, Paulo attestante, qui ait : *Caput viri Christus : caput autem Christi Deus est* (I Cor. xi, 3). Quid autem venter noster est, nisi mens quæ, dum cibum suum supernum, videlicet intellectum suscipit, refecta procul dubio omnium membra actionum regit? Nisi enim sacra eloquia mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset : *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (Prov. xx, 27). Quia nimirum **238** dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostræ nobis absconsa manifestat. Quid ergo salivæ nomine nisi sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ ad os a capite defluit, quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita nos positos vix gustus revelationis tangit? Unde et Redemptor veniens salivam luto miscuit, et cæci nati oculos reparavit (Joan. ix), quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admistionem suæ contemplationis irradiat, et ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam, quia a paradisi gaudiis expulsum, in hoc jam exsilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit. Sed, sicut sanctus vir insinuat, hæc saliva ad os quidem labitur, ut vero usque ad ventrem perveniat non glutitur, quia divinitatis contemplatio sensum tangit, sed plene mentem non reficit, quoniam perfecte alius conspiciere non valet, quod adhuc, quia caligo corruptionis præpedit, raptim videt. Ecce enim electorum mens jam terrena desideria subjicit, jam cuncta quæ considerat præterire transcendit, jam ab exteriorum delectatione suspenditur, et quæ sunt bona invisibilia rimatur. Atque hoc agens plerumque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur, jamque de intimis aliquid quasi per caliginem conspiciat, et ardenti desiderio interesse spiritualibus angelorum mysteriis conatur, gustu incircumscripti luminis pascitur, et ultra se erecta ad semetipsam relabi dedignatur. Sed, quia adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam (Sap. ix, 15), inhære diu luci non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima atque necessaria suspirantem reducit. Saliva ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minime pervenit, quia liquore supernæ contemplationis jam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plene satiatur. In ore enim gustus est, in ventre satietas. Salivam itaque glutire non possumus, quia supernæ claritatis dulcedine satiari non permitimur, quod adhuc extremitate gustamus. Sed, quia hoc ipsum, quod utcunque jam super nos co-

(273) Ex lib. viii in Job, c. xviii.

gnoscimus, ex pietate parcentis est; quod verò hoc **239** percipere perfecte non possumus, adhuc ex pœna vetustæ damnationis recte nunc dicitur: *Usquequo non parcis mihi nec dimittis me ut glutiam salivam meam?* Ac si aperte diceretur: Tunc homini plene parcis, cum hominem ad perfectionem tuæ contemplationis admiseris, ut claritatem tuam raptus interius videat, et eum carnis suæ corruptio exterius non repellat. Tunc permittas ut salivam glutiam, cum me sapore tuæ claritatis usque ad abundantiam satiatis infuderis, ut nequaquam jam per indigentiam gustu oris esuriam, sed in te solidatus irrigato mentis ventre subsistam.

(274) Salivæ nomine sapientia designatur, sicut in Evangelio legitur: *Quia Dominus expuens tetigit linguam muti, et statim solutum est vinculum lingue ejus, et loquebatur recte* (Marc. vii, 35). Quid enim est quod expuens linguam ejus tetigit, nisi quod saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepta sapientia in eloquio divino? Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.

#### CAPUT XVIII.

##### DE MAXILLIS.

(273) Maxillarum nomine, prædicatores sancti designantur, sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus* (Thren. i, 2). In adversitate quippe Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos namque sancta Ecclesia iniquos a vitis conterit, et quasi glutienti in sua membrâ convertit. Unde ipsi quoque primo pastori velut maxillæ Ecclesiæ dicitur: *Macta et manduca* (Act. x, 13). Hinc est etiam quod Samson et maxillam asini tenuit, et hostes peremit (Judic. xv), quia Redemptor noster simplicitatem, atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula. **240** Unde beati membri sui Job voce sancta Ecclesia conqueritur dicens: *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt panis meus* (Job xvi). Maxillam namque Ecclesiæ perversi feriunt, cum bonos prædicatores insequuntur: et, quia tunc reprobi grande aliquid fecisse se æstimant, cum vitam prædicatorum nescant, post percussionem maxillæ apte subjungitur: *Saturati sunt panis meus*. Illa quippe eos pœna satiat, quæ mentem Ecclesiæ præcipue castigat.

#### CAPUT XIX.

##### DE GENIS.

(276) Genarum nomine spirituales Patres designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur: *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis* (Cant. vi, 6). Genæ quippe sanctæ

(274) Ex hom. 10 in Ezech.

(275) Ex lib. xiii in Job. c. 6.

Ecclesiæ sunt spirituales Patres, qui nunc in ea miraculis coruscant, et velut in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim videmus multos miragere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, cœlestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici, sanctæ Ecclesiæ genæ rubent. Sed quid est istud omne quod miramur in illius rei comparatione de qua scriptum est: *Quod oculus non vidit, neo auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (Isai. lxiv, 4). Bene ergo cum miraretur genas Ecclesiæ, subdidit, *absque occultis tuis*, ac si aperte diceret: Ea quidem quæ in te non latent, magna sunt; sed illa valde ineffabilia quæ latent.

#### 241 CAPUT XX.

##### DE FACIE.

In Scriptura sacra faciei nomine aliquando mens, aliquando mentis intentio, aliquando quilibet Ecclesiæ prælati, aliquando cognitio diaboli, aliquando rei præsentia, aliquando animadversionis ultio designatur.

Faciei nomine mens designatur, sicut per Sophar dicitur: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc elevare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis* (Job xi, 14, 15). Omne peccatum aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul et opere perpetratur. Iniquitas ergo in manu est, culpa in opere; injustitia vero in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe nostra non incongrue vocatur, in qua apud nosmetipsos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Sophar itaque, quia justus viri amicus est, novit quid dicat; sed, quia justum increpat hæreticorum tenens speciem, proferre recte etiam quæ novit ignorat. Sed nos, calcantes hoc quod ab eo tumide dicitur, pensemus verba ejus quam vera sint, si recte dicerentur. Prius enim a manu iniquitatem subtrahi, et post a tabernaculo monet injustitiam abscondi, quia quisquis jam prava a se opera exterius resecat, necesse profecto est ut ad semetipsum rediens, solerter sese in mentis intentione discernat, ne culpa quam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret. Unde bene etiam per Salomonem dicitur: *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (Prov. xxiv, 27). **242** Quid namque est præparato opere agrum diligenter exterius exercere, nisi evulsis et eradicatis iniquitatis sentibus actionem nostram ad frugem retributionis excolere? Et quid est post agri exercitium, ad ædificium domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus quantam vitam munditiam in cogitatione construamus? Pene namque cuncta bona opera ex cogitatione produnt. Sed sunt et nonnulla cogitationis acumina, quæ ex operatione nascuntur. Nam, sicut ab anima opus sumitur, ita rursus ab opere animus eruditur. Mens quippe divini amoris exordia capiens imperat bona

(276) Ex hom. 16 in Ezech.

quæ sunt. Sed, postquam fieri imperata cœperint, A ipsis suis exercitata actionibus discit, cum imperare bona inchoaverat, quantum minus videbat. Foris ergo ager excolitur, ut domus postmodum construat, quia plerumque ab exteriori opere suminius quantam subtilitatem rectitudinis in corde tenemus. Quem bene Sophar servare ordinem studuit, cum prius auferri iniquitatem a manibus, et post a tabernaculo injustitiam dixit, quia nequaquam plene animus in cogitatione erigitur, quando adhuc ab eo extrinsecus in opere erratur. Quæ si perfecte duo hæc tergimus, ad Dominum statim sine macula faciem levamus. Tunc enim sine macula faciem ad Dominum levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea, quæ in nobis commissa sunt, ex proprio zelo retinemus. Gravi namque mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus dolor accusat. Quæ duo quisque dum terserit, ad ea quæ subnexa sunt, protinus liber exsurgit : *Et eris stabilis, et non timebis*, quia nimirum tanto minus ad iudicem trepidat, quanto animus in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem servat, quia, dum sollicitus studet peragere quod Conditor imperat, securus etiam cogitat quod terribiliter intendat.

(277) Faciei nomine, mentis intentio designatur, sicut beatus Job de iniquo quolibet dicit : *Operuit faciem ejus crassitudo* (Job xv, 27). Visus quippe in facie est, in qua et prima 243 corporis et honorabilior est pars. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus illuc videmus. Faciem ergo crassitudo operit, cum desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit : et hoc quod in eis esse honorabile debuit, ante Dei oculos sædat quia curis multiplicibus aggravat. Habent enim hoc potentes et iniqui proprium, ut fallacibus divitiis occupati veras Dei opes negligant : et quanto minus, quod verum est inquiritur, tanto amplius falsis divitiis extolluntur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excæcat.

(278) Faciei nomine, sanctus quilibet Ecclesiæ prælatus designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Facies intumuit a fletu* (Job xvi, 17). Infrima membra sua, sancta Ecclesia, cum a peccatis retrahit, atque ad pœnitentiæ r. medium ducit : hæc procul dubio fletibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris sui gratiam convalescant. Et per fortes plangit quod non fecit, quod tamen in membris suis debilibus quasi ipsa fecit. Unde bene nunc dicitur : *Facies mea intumuit a fletu* (279). Facies quippe sanctæ Ecclesiæ sunt hi qui in locis regiminum positi apparent primi, ut eorum specie sit honor fidelis populi, etiam si quid

in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus ac de propriis affligunt.

(280) Faciei nomine notitia designatur, sicut per Ezechielem, de quatuor evangelistis sub figura quatuor animalium dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni* (Ezech. 1, 6). Quid namque per faciem, nisi notitia? et quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur. Per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit : *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ* (Joan. x, 11). Qui rursus ait : *Ego scio quos elegerim* (Joan. xiii, 18). Per contemplationem vero, quasi 244 supor nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur. Quatuor ergo facies uni sunt quia si requiras quid Matthæus de Incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes, Si quæras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si quæras quid Marcus, hoc quod Matthæus, Joannes et Lucas. Si quæras quid Lucas, hoc quod Joannes, Matthæus et Marcus sentit. Quatuor facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, in omnibus simul quatuor recognoscas. *Et quatuor pennæ uni* : quia omnipotentis Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum, simul omnes concorditer prædicant : et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem, quia in eo, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed, dum hunc esse incircumscripsum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque una fides Incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni*.

(281) Faciei nomine cogitatio Dei intelligitur, sicut per Eliu de redempto homine dicitur : *Et videbit faciem ejus in jubilo* (Job xxxiii, 26). Superius dixerat quomodo Deus innotescendo afficit, nunc vero dicitur quomodo dum innotescit, exhilarat. Aliter enim quisque compungitur, cum interna intuens, malorum suorum pavore terretur ; aliter vero compungitur cum gaudia superna conspiciens spe quadam et securitate roboratur. Illa compunctio afficientes ac tristes, hæc vero lætas lacrymas movet. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri ; et tamen quibusdam motibus proditur, quanvis nullis proprietatibus exprimitur.

(277) Ex c. 22 in Job.

(278) Ex fine c. 6, l. XIII in Job.

(279) Ex c. 1. sup.

(280) Ex hom. III in Ezech.

(281) Ex l. XXIV in Job c. v.

Urde David propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum non valent aperire, ait : *Beatus populus 245 qui scit jubilationem (Psal. vii)*. Non enim ait, qui loquitur, sed qui scit : quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dictu exprimi non potest. Sentitur quippe per illam quod ultra sensum est. Et cum, vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiet lingua dicentis ? Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans modo districtam justitiam præterdendo contristat, modo interna gaudia aperiendo latificat ; post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus apte subjungitur : *Videbit faciem ejus in jubilo*. Menti enim nostræ de consideratione cæcitatissuæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis viti-<sup>B</sup>orum ærugo concideretur ; et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur, ut prius purgemus lugendum quod fecimus, et postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quærimus, prius a mentis acie, exurgente tristitia interposita malorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione circumscripti luminis illustratur. Visione igitur hac per contemplationem facta, facies Dei dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem ejus vocamus. Unde Jacob postquam cum angelo luctatus est ait : *Vidi Dominum facie ad faciem (Gen. xxxii, 30)*. Ac si diceret : Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur dicens : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum (I Cor. xiii, 12)*. Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus sæpe in excessu anima suspenditur, ut cognitionem divinæ præsentia contempletur, quam tamen præsentiam et sentire possit, et explere non possit, recte post tot labores de hoc tentato homine dicitur : *Videbis faciem ejus in jubilo*.

(282) Faciei nomine cognitio diaboli intelligitur, sicut de eo voce Domini ad beatum Job dicitur : *Faciem ejus præcedit egestas (Job xli, 13)*. Per faciem quippe notitia designari solet, unde scriptum est : *Facies mea præcedet te (Exod. xxxiii, 14)* id est, notitia ducatum præbebit. Sciendum vero est quod egestas in sacro eloquio, aliter electorum ponitur, **246** atque aliter reproborum. Egestas namque electorum est cum veræ divitiæ cœlestis patriæ ad eorum animum redeunt, et in hoc ærumnoso præsentis vitæ exsillo positi pauperes se esse meminerunt. Illas quippe divitias sine cessatione suspirant, de quibus Paulus dicit : *Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis (Ephes. i, 18)*. Et quia adhuc eas nequaquam conspiciunt studiose, interim in ærumna istius paupertatis gemunt. Hanc procul dubio Jeremias inspexerat, cum dicebat : *Ego vir videns*

*paupertatem meam in virga indignationis ejus (Thren. iii, 1)*. Virga quippe indignationis Dei est percussio districtionis. Quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus veras interni gaudii divitias amisit. Sed, quia electi quique incessanter conspiciunt, quod in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*. Nunc hanc paupertatem reprobi considerare nesciunt, quia, dum sequuntur eam quæ conspiciunt, cogitare invisibilia negligunt, quæ perdidit. Unde et egestas eorum proprie dicitur, quia, dum replentur vitiis, virtutum divitiis vacuantur. Quibus sæpe evenit ut per elationis dementia sublevati, dum nequaquam ruinæ suæ damna considerant, esse se etiam a bonis actibus inopes non agnoscant. Unde voce Domini angelo prædicanti Laoliceæ dicitur : *Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius ego, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus (Apoc. iii, 17)*. Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, et cæcus, et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet ; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt ; nudus, quia primam stolam perdidit. Sed pejus, quia nec se perdidisse cognoscit. Quia ergo, ut diximus, egestas reproborum est defraudatio meritum, recte de leviathan dicitur : *Faciem ejus præcedit egestas*. Nemo quippe cognitioni ejus jungitur, nisi prius virtutum divitiis denudetur. Prius enim bonas cogitationes subtrahit, et tunc eis apertiorum notitiam suæ iniquitatis infundit.

**247** (283) Faciei nomine rei præsentia designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ de iniquis dicitur : *Abominantur me, et longe fugiunt a me; faciem meam conspuere non verentur (Job xxx, 10)*. Longe namque a sancta Ecclesia fugiunt omnes iniqui ? non passibus gressuum, sed qualitibus morum. Longe sunt non loco, sed merito, dum crescente superbia aperta eam exprobratione contemnunt ; faciem autem ejus conspuere est non tantum in absentia bonis detrahere, sed unumquemque justum etiam in præsentia confutare. Quos dum pravi aperte irridendo despiciunt, in eorum contumeliis fluxa verba quasi defluentes salivas emittunt.

(284) Faciei nomine animadversionis ultio designatur, sicut per beatum Job Domino dicitur : *Duo tantum ne facias mihi et tunc a facie tua non abscondar ; manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat (Job xiii, 20)*. Quid enim hoc loco Dei faciem nisi animadversionem accipere debemus, in quo dum peccata respicit, punit ? A qua videlicet nullus etiam justus absconditur, si duo quæ postulat, non amoveantur. De quibus subditur : *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat*. In quibus videlicet duobus, quid aliud per

(282) Ex l. xxxiv in Job, c. xxxii.

(283) Ex c. xvii, l. xx, in Job 119.

prophetæ vocem quam tempus gratiæ et redemptionis inquiri? Lex namque sub percussione ultionis, populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur. Nec plebs Israelitica ex amore Domino, sed timore serviebat. Nunquam vero impleri iustitia per timorem potest; quia, juxta Joannis vocem: *Perfecta charitas foras mittit timorem* (I Joan. iv, 18). Paulus quoque adoptionis filios consolatur dicens: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater* (Rom. viii, 15). Ex voce igitur generis humani, legalis percussio duritiam transire concupiscens, atque a formidine pervenire ad dilectionem appetens, quæ duo a se omnipotens Deus longe faciat, exorat dicens: *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat*, id est percussio duritiam remove a me, **248** formidinis pondus tolle, sed irradiante gratia dilectionis, spiritum securitatis infunde.

## CAPUT XXI.

DE BARBA.

*In Scriptura sacra barbæ nomine aliquando decor virtutis, aliquando fiducia propriæ virtutis intelligitur.*

(283) Barbæ nomine decor virtutis designatur. Unde ad Ezechielem prophetam dicitur: *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum, et duces eum super caput tuum et barbam* (Ezech. v, 1). In quo videlicet prophetæ facto iudicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apprensus caput rasis, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit; barbam rasis, quia regnum Israeliticum deserens decorem virtutis amputavit.

Barbæ nomine fiducia propriæ virtutis designatur, sicut Jeremias qui, dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nosmetipsos gererentur indicavit, dicens: *Venerunt octoginta viri de Sichem et de Silo, et de Samaria, rasi barba, et scissis vestibus, squalentes, munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathanæ in occursum eorum de Malpha, incedens et plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Aicham. Qui, cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos* (Jer. xli, 5, etc.). Barbam quippe radit qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahit. Vestes scindunt qui sibi metipsis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblatum in domo Domini thus et munera veniunt qui exhibere se in sacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathanæ **249** filius in occursum eorum venit, quia nimis quilibet malignus spiritus prioris sui Satanæ videlicet exemplo in superbæ errore generatus, se ad laqueum deceptionis oppo-

nit. De quo et bene dicitur: *Incedens et plorans ibat*, quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat, et, dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima secreto admissus, hoc quod intus de virtute latet occidit. Qui plerumque se spondet ad altiora provehere. Unde et dixisse perhibetur: *Venite ad Godoliam filium Aicham*. Atque, dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde recte dictum est: *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos*. Viros ergo ad offerenda Deo munera venientes in medio civitatis interfecit, quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspicione custodiant, subripiente hoste dum devotionis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam.

## CAPUT XXII

DE COLLO.

*In Scriptura sacra colli nomine aliquando sacrum eloquium, aliquando elationis ostensio designatur.*

(286) Colli nomine sacrum eloquium designatur, sicut Sponsi voce ad sponsam dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (Cant. iv, 4). In collo enim guttur, in gutture vox est. Quid ergo per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eloquia designantur? In qua dum mille clypei dependere memoratur, per hunc perfectum numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi **250** quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla justorum. In collo ergo Ecclesiæ, id est in sacri eloqui prædicatione, quod pro sua munitio et altitudine, turri David similis dicitur, *mille clypei dependent*, quia quot illic præcepta, tot etiam pectoris nostri munimina. Si enim pugnare contra spiritualia nequitæ volumus, in collo Ecclesiæ, id est in divino eloquio protectoris arma inquiramus, ut ex discretione præcepti contra vitia sumatur virtus adjutorii. Ecce enim contra aeras potestates festinamus fortes existere, in hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut inde præcepta Conditoris sumamus exempla præcedentium, per quæ contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, et hanc illic a Patribus jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritualia bella munitur. Dependent quippe in ea clypei, si quis pugnare appetit, assumat, et ex ea virtute pectus munit, et verborum jacula emittat.

Et notandum quia cum propugnaculis ædificata dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula, quod clypei: quia utraque pugnantem muniunt. Sed inter utraque distat: quia clypeos pro nostro munimine utcumque volumus, movemus: propugnaculo autem

(285) Ex c. xx, l. ii in Job, 28.

(286) Ex hom, 15 in Ezech.



defendi possumus, sed hæc movere non possumus. Clypeus in manu tenetur, propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula et clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio, Patrum præcedentium et miracula legimus, et virtutes bonorum operum audimus? Ibi namque cognoscimus quod alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, verbo suo ægros curare, alius per suam sententiam infirmantium febribus obviare. Qui tamen omnes et patientiæ longanimitate mites, et zelo rectitudinis ferventes fuerunt, verbi prædicatione divites simul et misericordia largi. Hi itaque quam vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de Deo vera narrent. Et quam pii, quam humiles, quam benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex eorum **251** prædicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, et in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo eorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia et muniri per illa possumus, et tamen hæc in manu nostri arbitrii non tenemus. Nam talia facere non valemus. Clypeus ergo in manu est, et defendit, quia virtus patientiæ, virtus misericordiæ præcedente nos gratia, et in potestate est arbitrii, et a periculo protegit adversitatis. Turris itaque nostra cum propugnaculis ædificata est, in qua mille clypei dependent, quia Scriptura sacra sub miraculi Patrum a jaculo adversitatis absconditur, et conversationis sanctæ munimina etiam in manu boni operis tenemus.

(287) Colli nomine elationis ostensio designatur, sicut voce Dominica de diabolo sub nomine leviathan dicitur: *In collo ejus morabitur fortitudo* (Job xli, 13). Quid enim collo leviathan istius nisi elationis ostensio designatur, qua contra Dominum se erigens cum simulatione sanctitatis, etiam tumore peccati extollitur? Quia enim per collum superbia exprimitur, Isaias propheta testatur, qui Jerusalem filias redarguit dicens: *Ambulaverunt extento collo* (Isa. iii, 18). In collo ergo leviathan istius fortitudo demorari perhibetur, quia elationi illius etiam sub juncta potentia suffragatur.

#### CAPUT XXIII.

##### DE HUMERO.

(288) Humeri nomine socialis vitæ conjunctio designatur. Unde beatus Job vitæ suæ celsitudinem narrans, maledicti sibi sententiam protinus subjicit, si qua eorum quæ dixerat, opera non implevit, dicens: *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur* (Job xxxi, 22). Liqueat profecto quod brachium corpori per humerum jungitur. Sicut ergo per brachium bona operatio, ita per humerum socialis vitæ conjunctio designatur. Unde propheta quoque sanctos **252** universalis Ecclesiæ populos Deo concorditer servituros

(287) Ex c. ii, lib. xxxiv in Job.

(288) Ex c. xvi, lib. xxi in Job.

videns, ait: *Et servient ei humero uno* (Sophon. iii, 9). In eo quod beatus Job dicit: *Si levavi manum meam super pupillum, cum viderem me in porta superiore* (Job xxxi, 21). Miram virtutem patientiæ servasse se asserit, qui gravari se a personis minimis nec contra hoc quod sibi juste competere poterat declinavit. Quod tamen, si minime fecerit adjungit: *Humerus meus a junctura sua cadat*, quia nimirum, qui patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit. A qua junctura etenim humerus cadit, cum adversitatis aliquid ferre animus non valens fraternam concordiam relinquit. Et brachium meum cum suis ossibus conteratur, quia nimirum cuncta nostra operatio, cum quibuslibet videatur esse connexa virtutibus, solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur. Sua enim bona perdet, qui aliena mala renuit perpeti. Fervore quippe iracundi spiritus læsus quisque a dilectione resilit, et cum se exterius gravari non tolerat, intus se per amissum lumen charitatis obscurat, nec videt jam quo tendat pedem boni operis, qui oculum perdidit dilectionis. Sed sancti viri humerus a jactura sua non cadit, quia videlicet ejus dilectio a socialis vitæ concordia per patientiam non recedit: ejusque brachium minime frangitur, quia omnis ejus operatio in conjunctione humeri, id est in charitatis connexionem custoditur.

Humeri nomine operatio designatur, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam exprobrando dicitur: *Denuda turpitudinem tuam, discoperi humerum, revela crura, transi flumina* (Isa. xlvii, 2). Require l. 7, c. 5, ante finem.

#### 253 CAPUT XXIV.

##### DE BRACHIO.

In Scriptura sacra brachii nomine aliquando unigenitus Dei Filius, aliquando Antichristus, aliquando operatio designatur.

Brachii nomine unigenitus Dei Filius designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* (Job xl, 4.) Cum Deus longe dissimiles in se similitudines trahat solerter, intuendum est quod quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad ejus judicandam substantiam. Nam, cum in Deo oculi, alæ et capulæ nominantur, effectus quidam operationis ostenditur. Cum vero manus, brachium, dextera, vel vox in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe est et manus et dextera: de ejus ascensione Pater per Moysen loquitur dicens: *Tollam in cælum manum meam, et jurabo per dexteram meam* (Deut. xxxii) (289). Ipse est brachium, de quo propheta ait: *Et brachium Domini, cui revelatum est?* (Isa. l.iii, 1.) Ipse est vox, quia eum Pater gignendo dixit: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te* (Psal. ii, 7). Et de quo scriptum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i, 1). Per quod Verbum

(289) Sed nulla versio quæ exstant, sic omnino habet.

fecisse Patrem omnia David asserit dicens : *Dixit et A facta sunt (Psal. c. xlviii, 5)*. Deum ergo brachium habere est operantem Filium gignere; voce tonare est consubstantiali sibi Filium mundo terribiliter demonstrare. Beato ergo Job dum dicit Dominus : *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, mira dispensatione pietatis eum, dum increpat, exultat, quia eum, quem sua comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat.*

**254** Brachii nomine Antichristus designatur sicut voce Dominica de ejus destructione ad beatum Job dicitur : *Et brachium excelsum confringitur (Job xxxviii, 15)*. Quid namque aliud excelsum brachium accipitur, nisi superba Antichristi celsitudo, quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut homo peccator, et tamen æstimari homo despiciens, Deum se super hominem mentiatur. Unde Paulus apostolus dicit : *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (II Thes. ii, 4)*. Cujus ut tumorem plenius ostenderet præmisit : *Qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur (ibid.)*. Deus enim dici aliquando et homo potest, juxta quod ad Moysen dicitur : *Ecce constitui te Deum Pharonis (Exod. vii, 1)*. Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam Divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ et hoc quod colitur Deus, transire conatur. Quia aut hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda sicut scriptum est : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (II Thes. ii, 8)*. Recte nunc dicitur : *Et brachium excelsum confringitur.*

Brachii nomine operatio designatur, sicut per beatum Job enumeratis virtutibus suis dicitur : *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur (Job xxxi, 22)*. Et sicut per ipsum iterum de iniquo dicitur : *Devoret pulchritudinem cutis ejus, etumat brachia illius primogenita mors (Job xviii, 13)*. Pulchritudo namque cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur. Quia corporale opus brachii agitur. Quid autem mors, nisi peccatum est quod ab interiore vita animam occidit? Unde scriptum est : *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima (Apoc. xx, 6)*. Quia ille post in carne feliciter resurget, qui in hæc vita positus a mentis suæ morte resurrexerit. Si igitur peccatum mors, non incongrue primogenita superbia valet intelligi, quia scriptum est : *Initium omnis peccati superbia (Eccli. x, 15)*. **255** Pulchritudinem igitur cutis ejus, et brachia illius primogenita mors devorat, quia iniqui gloriam, vel operationem superbia supplantat.

(290) Ex lib. xxx in Job, cap. xii.

(291) Hujus significationis causam habes c. xxv,

## CAPUT XXV.

### DE CUBITO.

Cubiti nomine operatio designatur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur (*Ezech. xl*), qui pro mensura civitatis in monte absconditæ in manu viri calamum sex cubitorum et palmi se vidisse testatur (290). In monte quippe electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid autem per cubitum, nisi operatio? quid per senarium numerum, nisi perfectio operationis ostenditur? Quia, et sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur. Quid vero super sex cubita palmus insinuat, nisi contemplationis vim, quæ jam initia æternæ et septimæ requiei demonstrat? Quia enim æternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura septimi cubiti non expletur. Electorum itaque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt, perficit in sex cubitis, in monte civitas posita ostenditur. Quia vero hic adhuc sola initia contemplationis inspicit, de septimo cubito non nisi palmum tangit.

## CAPUT XXVI.

### DE MANIBUS

*In Scriptura sacra manus nomine aliquando unigenitus Dei Filius, aliquando activa vita, aliquando potestas, aliquando operatio, aliquando fortitudo, aliquando severa legis districtio intelligitur.*

Manus nomine unigenitus Dei Filius designatur, sicut per Moysen de ejus ascensione Pater **256** loquitur dicens : *Tollam in coelum manum meam et jurabo per dexteram meam (291.)*

(292) Manus nomine activa vita designatur, sicut per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur : *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus (Ezech. i)*. Possunt hoc loco quatuor partes mundi accipi, scilicet oriens, occidens, meridies et septentrio, quia sanctorum prædicatio auctore Deo in cunctis mundi partibus est egressa. Possimus etiam per quatuor partes quatuor principales virtutes accipere, ex quibus reliquæ virtutes oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam. Quas nimirum virtutes tunc veraciter accipimus, cum earum ordinem custodimus. Prima quippe prudentia, secunda fortitudo, tertia justitia, quarta temperantia est. Quid enim prodesse poterit prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non poterit facere, poena magis quam virtus. Sed, si prudenter intelligit quid agat, et fortiter agit quod intellexit, jam procul dubio justus est; sed ejus justitiam temperantia sequi debet, quia plerumque justitia, si modum non habet, in crudelitatem cadit. Ipsa ergo justitia vere justitia est, quæ se temperantiæ freno moderatur, ut in zelo quo quisque fervet, sit etiam temperans, ne, si plus ferveat, perdat justitiam cuius servare moderamina ignorat. Duæ autem sunt sanctorum prædicatorum

sup. Deut. xxxii.

(292) Ex hom. 3 in Ezech. longe post princip.

vita, activa scilicet et contemplativa. Sed activa A  
 operis est tempore, quam contemplativa, quia ex  
 bono opere tenditur ad contemplationem. Contem-  
 plativa autem major est merito quam activa, quia  
 hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sa-  
 porem intimo venturam jam requiem degustat. Quid  
 itaque per manus nisi activa vita? et quid per pen-  
 nas nisi contemplativa vita signatur? Manus ergo  
 hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis  
 sub volatu contemplationis. Quod bene in Evange-  
 lio duæ illæ mulieres designant, Martha scilicet et  
 Maria: *Martha enim satagebat circa frequens ministe-*  
*rium; Maria autem sedebat ad pedes Domini, et*  
*verba ejus audiebat (Luc. x).* Erat ergo una intenta  
 operi, altera contemplationi: una activæ serviebat  
 per 257 exterius ministerium, altera contempla-  
 tivæ per suspensionem cordis in Verbum. Et quam-  
 vis activa bona sit, melior est tamen contemplativa,  
 quia ista cum mortali vita plenius excrescit. Unde  
 dicitur: *Maria optimam partem elegit, quæ non au-*  
*feretur ab ea (ibid. 45).* Quia igitur activa major  
 est merito quam contemplativa, recte nunc dicitur:  
*Manus hominis sub pennis eorum (Ezech. 1, 8).* Nam,  
 etsi per activam boni aliquid agimus, ad cœ-  
 leste tamen desiderium per contemplativam vola-  
 mus. Unde et apud Moysem activa servitus, contem-  
 plativa autem libertas vocatur (*Exod. xxi*). Et cum  
 utraque vita ex dono sit gratiæ, quandiu tamen in-  
 ter proximos vivimus, una nobis in necessitate est,  
 altera in voluntate. Quis enim cognoscens Domi-  
 num, ad regnum ejus ingreditur, nisi prius verbum  
 bene operetur? Sine contemplativa vita ergo intrare  
 possunt ad cœlestem patriam, qui bona, quæ possunt  
 operari, non negligunt. Sine activa vero intrare  
 non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt.  
 Illa ergo in necessitate est, hæc in voluntate. Illa in  
 servitute, ista in libertate. De qua per Paulum dicitur:  
*Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute*  
*corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom.*  
*viii, 21).* Tunc enim in nobis vera libertas erit,  
 cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra perve-  
 nit.

(293) Manus nomine potestas designatur, sicut  
 per beatum Job de Domino dicitur: *In cujus manu*  
*anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis*  
*hominis (Job xii, 10).* Per manum quippe potestas ex-  
 primitur; per animam vero omnis viventis, ipsa  
 corporis vita signatur: et per universæ carnis ho-  
 minis spiritum effectus intelligentiæ spiritualis ex-  
 primitur. Anima igitur omnis viventis et spiritus  
 universæ carnis hominis, in ejus potestate est a  
 quo est, ut ipse provideat qualiter sit, qui præstitit  
 esse quod non fuit.

(294) Manus nomine operatio designatur, sicut  
 per beatum Job dicitur: *Manum meam ponam super*  
*os meum (Job xxxix, 34).* Usu namque sacri eloquii,  
 in manu operatio; in ore, locutio solet intelligi.

(293) Ex cap. iii lib. xi in Job.

(294) Ex lib. xxxii in Job cap. ii.

Manum ergo super os ponere est virtute boni ope-  
 ris culpas tegere 258 incantæ locutionis. Beatus  
 igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenens et in ver-  
 bis suis sua allegans, nostra designans, dicat ex  
 se, dicat ex nobis: *Manum meam ponam super os*  
*meum, id est, hoc quod districto Judici de sermone*  
*meo in me displicuisse considero, ante ejus oculos*  
*sub velamine recti operis abscondo. Unde iterum*  
*ab eodem Job dicitur: Si lotus fuero quasi aquis*  
*nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ,*  
*tamen sordibus intingues me (Job ix, 30).* (295)  
 Aquæ etenim nivis sunt lamenta humilitatis. Quæ  
 profecto humilitas, quia ante districti Judicis ocu-  
 los cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni  
 meriti colorem candet. Per manus autem, quid  
 aliud quam opera designantur? Unde quibusdam  
 per prophetam dicitur: *Manus vestræ plenæ sunt*  
*sanguine (Isa i, 15), id est opere crudelitatis. No-*  
*tandum vero quod vir sanctus non ait: Fulserunt*  
*mundissimæ manus meæ, sed velut mundissimæ ma-*  
*nus meæ, quia, quousque pœna corruptionis astrin-*  
*gimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram*  
*munditiam nequaquam apprehendimus, sed imita-*  
*mur. Unde apte subjungitur: Tamen sordibus in-*  
*tingues me. Deus nos intingere sordibus dicitur,*  
 intinctos sordibus monstrare, quia, quanto ad illum  
 verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vi-  
 tæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munda-  
 titia discordamus. Ait ergo: *Si lotus fuero quasi*  
*aquis nivis, etc. Ac si apertius dicat: Quamvis la-*  
*mentis supernæ compunctionis infundar, quamvis*  
 per studia rectæ operationis exercere, in tua læ-  
 men munditia video quia mundus non sum.

(296) Manus nomine fortitudo designatur, sicut  
 per beatum Job dicitur: *Nunc quoque in amaritu-*  
*dine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggra-*  
*vata est super gemitum meum (Job xxiii, 2).* More  
 suo beatus Job planioribus verbis inchoat, sed dicta  
 sua, alta mysterii prosecutione consummat. Mederi  
 quippe dolor afflicti ex amicorum consolatione de-  
 buerat, sed, quia consolatio ad blandimenta fallaciæ  
 erupit, afflicti dolor inhorruit. Quia enim Eliphaz  
 spondere converso meliora non timuit, quasi ex  
 noxio medicamine vulnus crevit. 259 Unde recte  
 dicitur: *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus,*  
*et manus plagæ meæ aggravata est super me, quia*  
 videlicet inordinatæ consolationis intentio, percus-  
 sionem quam minuere debuit multiplicavit. In qui-  
 bus nimirum verbis per typum sanctæ Ecclesiæ  
 etiam fidelium dolor exprimitur, qui eo amplius  
 gemunt quo malos blandiri conspiciunt, qui juxta  
 Pauli vocem: *Per dulces sermones, et benedictiones*  
*seducunt corda innocentium (Rom. xvi, 18).* Quæ  
 etiam verba ad considerandam subtilius mentem  
 fidelium recte referuntur, qui esse sine amaritudine  
 nesciunt, etiam si in hoc mundo prosperari videan-  
 tur. Quibus cum adversitas evenit, eum, quem in-

(293) Ex lib ix in Job, c. xix, 28.

(296) Ex cap. xi, lib. xvi in Job 12.

venit, ingeminat dolorem. Unde recte dicitur : Nunc A quoque ut aperte monstretur, quia electorum mens sine amaritudine etiam in prosperitate non fuerit. Bene autem dicitur : *Et manus plagæ meæ aggravata super gemitum meum.* Manus quippe plagæ est fortitudo percussio. Primum namque percussio suam electi considerant, quia a Conditoris sui visione divisi sunt, quia nequaquam illuminationis intimæ claritate perfuuntur, sed in præsentis vitæ exsilio quasi in cæcitate loco relegati gemunt. Semper ergo in hac manu plagæ gemitum suum habent. Sed, cum adhuc et adversa in hac vita accidunt, manus plagæ eorum etiam super gemitum gravatur. Et at enim plagæ gemitus, etiam cum præsentis vitæ adversa cessent, sed amaritudo primæ percussio ex tentatione crescit adversitatis. Dicat ergo : *Et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.* Quia iustum quemque in hac vita adversitas non lætum percussit, sed in eo dolorem vulneris multiplicavit.

(297-298) Manuum nomine severa legis districtio designatur, sicut in ipsa lege scriptum est : *Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedebat. Aaron autem et Hur, sustentabant manus ejus (Exod. xvii, 12).* Moyses quippe sedit in lapide, cum lex requievit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graves habuit, quia peccantes quosque non misericorditer pertulit, sed severa districtione percussit. Sed temperavit nobis districtio legis misericordia Redemptoris. **260** C In illa quippe scriptum est : *Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Si quis hoc vel illud fecerit, lapidibus obruatur* (299). Apparuit autem Conditor noster in carne, confessioni peccatorum non pœnam, sed vitam promittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis, quia, quos juste ille damnat, ipse misericorditer liberat. Unde bene scriptum est : *Aaron et Hur sustentabant manus Moysi.* Aaron namque *mons fortitudinis*, Hur autem *ignis* interpretatur. Quem itaque iste mons fortitudinis signat, nisi Redemptorem nostrum, de quo per prophetam dicitur : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium?* Aut quis per ignem, nisi Spiritus sanctus figuratur, de quo idem Redemptor dicit : *Ignem veni mittere in terram?* (Luc. xii, 49.) Aaron ergo et Hur graves manus Moysi sustinent, atque sustentando leviores reddunt, quia mediator Dei et hominum cum igne sancti Spiritus veniens legis mandata gravia, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabiliora nobis per specialem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leves reddidit : quia pondus mandatorum legis ad virtutem confessionis retorset.

## CAPUT XXVII

## DE DEXTERA.

*In Scriptura sacra dexteræ nomine aliquando vita perpetua, aliquando electi, aliquando id quod pro magno habetur.*

(300) Dexteræ nomine vita perpetua designatur, sicut in Evangelio : *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem a dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt (Marc xvi, 5).* Quid namque per sinistram, nisi vita præsens? quid vero per dexteram, nisi vita perpetua signatur? Unde **261** scriptum est : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (Cant. ii).* Quia igitur Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte angelus qui nuntiare ejus perennem vitam venerat, in dextera sedebat.

(301) Dexteræ nomine electi designantur, sicut in Evangelio jubente Domino dicitur : *Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis (Joan xxi, 6).* Bis in sancto Evangelio legitur, quia Dominus jussit, ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet et post resurrectionem. Sed, priusquam Redemptor noster pateretur et resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet; sed utrum in dexteram, aut in sinistram mitti debuisset, non jubet. Post resurrectionem vero discipulis apparens, mitti in dexteram rete jubet. In illa piscatione tanti pisces capti sunt, ut retia rumpentur; in ista autem et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextera, et malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter, in quam partem mitti debeat, non jubetur, præsentem Ecclesiam designavit, quia bonos simul ac malos colligit; nec eligit quos trahat, quia et quos eligere possit ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem factam, in solam dexteram missa est, quia ad videntiam claritatis ejus gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rumpitur rete, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, ut ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In ista vero piscatione et multi pisces, et magni capiuntur, et rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in auctoris sui pace requiescens nullis jam dissensionibus dilaniatur.


(302) Dexteræ nomine id quod pro magno habetur designatur, quod Zacharias apte insinuat, dicens : *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, statem coram angelo Domini : et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei (Zach. iii, 1).* Qui, ut patentius hoc quod præmisit ostenderet, secutus adjunxit : *Et dixit Dominus ad Satan : 262 Increpet Dominus in te Satan; et increpet Dominus in te qui elegit Jerusalem. Nunquid non est iste torris erulus*

(297-298) Ex hom. 34, in Evang.

(299) Generatim Greg. dicit rigorem legis antiquæ enucleatum c. xxi Exod. et alibi.

(300) Ex hom. 21, in Evang.

(301) Ex hom. xxiv, in Evang. post princip.

(302) Ex c. xviii, l. xx, in Job, 20. 

de igne. Et Jesus indutus erat vestibus sordidis A (Zach. iii). Sordidis enim vestibus Jesus indutus dicitur, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui venienti Satan a dextris stetit. Ipso enim locutionis usu pro dextro habere dicimur, quod pro magno pensamus; pro sinistro vero, id quod despiciamus: pro magno autem Dominus Judaicum populum et pro nihilo gentes habere videbatur. Sed, postquam incarnatus apparuit, gentilitas, quæ pro sinistro habita fuerat, credit; Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed, quia ipse Judaicus populus modo perditus, in fine est, quandoque crediturus, propheta testante, qui ait: *Reliquæ salvæ fient [al. convertentur]* (Isa. x, 21). Satan a dextris suis Dominus removet dicens: *Incepit Dominus in te Satan.* Et ejusdem populi liberationem indicans subdidit: *Qui elegit Jerusalem.* Qui nimirum populus, quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat; sed, dum ad fidem reducit, ab eodem æterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur: *Nunquid non iste est torris erutus de igne?* (Zach. iii, 2.) Item, quia per dexteram id quod pro magno habetur, intelligitur, in libro Judicium aperte demonstratur, dum hi, qui cum Gedeone ad bellum prodeunt, tubas in dextera et in sinistra lagenas tenuerunt (Judic. vii, 20). (303) In quo nimirum prælio, sanctorum martyrum patiens victoria, et victrix patientia designatur. Tales namque secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis et gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Designatur autem in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Sonuerunt namque tubis dum prædicant, confringunt lagenas dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt, resplenderunt lampadibus dum post solutionem 263 corporum miraculis coruscaverunt. Intuendum autem quia in dextera tubas, in sinistra vero lagenas tenuerunt. Pro dextera enim habere dicimur quidquid pro magno pensamus; pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo scriptum est, quod in dextera tubas, et lagenas in sinistra tenuerunt; quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet.

## CAPUT XXVIII.

## DE LÆVA.

(304) Lævæ nomine reprobri designantur, sicut

(303) Ex c. xvii, l. xxx in Job, 33.

(304) Ex iii, p. Pastor., c. 27.

(305) Ex c. viii, lib. xxviii, in Job, xi.

per Isaiam sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Ad dexteram et ad lævam dilataberis, et gentes semen tuum hæreditabunt* [Isa. lxi] (305). In tanta quippe multitudo gentium ad dexteram Ecclesia extenditur, dum quosdam justificandos suscipit. Ad lævam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit.

(306) Lævæ nomine vitæ præsentis prosperitas designatur, sicut voce electorum dicit Ecclesia in Canticis canticorum: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant. ii, 6). Quid enim per lævam, nisi prosperitas præsens, et quid per dexteram nisi beatitudo signatur? Læva ergo Dei prosperitatem videlicet vitæ præsentis quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur.

## 264 CAPUT XXIX.

## DE SINISTRA.

Sinistræ vero nomine gloria vitæ præsentis designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur: *Cum facis elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera* (Matth. vi, 2), id est piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitio ignoret favoris.

## CAPUT XXX.

## DE DIGITIS.

In Scriptura sacra digiti nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando dona ejusdem sancti Spiritus, aliquando discretio intelligitur.

(307) Digiti nomine Spiritus sanctus designatur, sicut in Evangelio a Domino, cum eiecisset dæmonium, dicitur: *Si in digito Dei eicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* (Luc. xi, 19). Quæ de re per alium evangelistam dixisse describitur: *Si ego in Spiritu Dei eicio dæmones, pervenit in vos regnum Dei* (Matth. xii, 28). Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus Dei, Spiritus sanctus vocatur.

(308) Digitorum nomine dona sancti Spiritus designantur, sicut Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat dicens: *Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum* (Marc. vii, 32). Cujus ordinem curationis insinuat subdens: *Misit digitos suos in aurículas, et exspuens tetigit linguam ejus et suspirans in cælum ingemuit, et ait illi: Ephpheta; quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solum est vinculum lingue ejus, et loquebatur recte* (ibid., 33-35). Quid est enim quod creator omnium Deus, 265 cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius digitos suos misit, et exspuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris nisi dona sancti Spiritus designantur? Digtos ergo in auriculam mittere est per dona san-

(306) Ex iii, part. Pastor., c. 27.

(307) Ex hom. x, in Ez. ante med.

(308) Ex hom. sup. Evang.

cli Spiritus mentem surdi ad obediendam aperire. Quid vero est quod expuens linguam tetigit? Quid per salivam nisi sapientia designatur? Saliva namque nobis ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia, quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verbum formatur. Qui suspiciens in cælum ingemuit, non quod necessarium gemitum haberet, qui dabit quod postulabat; sed nos ad eum gemere, qui cælo præsidet, docuit; ut et aures nostræ per donum spiritus aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis solvi debeat, ad verba prædicationis. Cui mox *ephehaia*, id est *adaperire* dicitur: *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus.* Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est *adaperire*. Sed cum aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dabit etiam linguæ ejus solvitur vinculum; ut bona quæ ipse fecerit, et facienda aliis loquatur. Unde et bene additur: *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

(309) Digni nomine discretio designatur, sicut per beatum Job amicis suis se arguentibus dicitur: *Attendite me, et obstupescite, superponite digitum ori vestro* (Job xxi, 5). Idem considerate, quæ egi, et admiramini in hac percussione quam patior. *Et supponite digitum ori vestro.* Ac si aperte dicat: *Scientes bona quæ egi, et considerantes mala quæ patior, vosmet etiam a verborum culpa compescite, atque in meis percussionebus nostra damna formidate.* Vel certe, quia digitis quæque discernimus, non incongrue per digitum discretio designatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum* (Psal. cxliiii, 1). Per manus, videlicet operationem, per **266** digitos vero discretionem signans. Digitus ergo ori supponitur cum per discretionem lingua refrenatur, ne per hoc quod loquitur, in stultitiæ culpam labatur. Ait ergo: *Superponite digitum ori vestro*, id est locutioni vestræ, discretionis virtutem adjungite, ut per hæc quæ recta contra hypocritam dicitis, quibus sint dicenda videatis.

## CAPUT XXXI.

## DE DORSO.

(310) Dorsi nomine subjecti designantur, sicut per Psalmistam de pravis doctoribus, prænuntiantis studio, non autem maledicentis dicitur voto: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (Psal. lxxviii, 24). Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus nimirum, qui subsequuntur inherentes, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad

A portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo: *Obscurentur oculi eorum ne videant et dorsum eorum semper incurva.* Ac si dicat: Qui humanæ vitæ actionibus quasi prævidendis itineribus præsent, veritatis lucem non habeant, ut et qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati omnem statum rectitudinis amittant. Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso Redemptoris nostri adventu, Pharisæorum turba atque sacerdotum a vero lumine oculos clausit, et præpositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

**267** CAPUT XXXII.

## DE PELLE.

*In Scriptura sacra pellis nomine, aliquando Scriptura sacra, aliquando stulti quilibet, vel subditi mali, vel specialiter femine illæ quæ Domino adherentes exterioribus ministeris intendebant, aliquando carnis motus, aliquando grossæ hominum mentes intelliguntur.*

(311) Pellis nomine Scriptura sacra designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Extendens cælum sicut pellem, qui tegit aquis superiora ejus* (Psal. ciii, 2). Quid enim cæli nomine, nisi Scriptura sacra designatur, de qua nobis et sol sapientiæ et luna scientiæ, et ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent? Quod sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos, carnis lingua formatum, ante oculos nostros et per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: *Et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini* (Psal. cxlviii, 4). Hujus autem cæli superiora Dominus aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est quæ de natura divinitatis vel de æternis gaudiis narrat nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cælum ergo et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora ejus conteguntur, quia et quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur. De quibus tamen occultis jam partem per spiritalem intelligentiam sentimus, jam pignus Spiritus sancti accepimus, qui hoc nondum plene cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritualibus **268** sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

(312) Pellis nomine stulti quilibet, vel mali subditi designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job, de infidelium conversione dicitur: *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius?* (Job xl, 26.) Quid namque per sagenas vel per gurgustium piscium nisi Ecclesiæ fidelium, quæ unam Ecclesiam Catholicam faciunt, designantur? Unde et in Evangelio scriptum est: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congregant* (Matth. xiii, 47). Regnum

(309) Ex c. xxi, lib. xv in Job, 17.

(310) Ex Pastor., 1 par., c. 1, et cap. 16, in Job, l. xxv, 23.

(311) Ex hom. 9 in Ezech.

(312) Ex c. xvii l. xxxiii in Job, 22.

cœlorum scilicet vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna subleuat, jam hæc ipsa in Domino per cœlestem conversationem regnat. Quæ etiam recte sagenæ in mare missæ comparatur, ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc gentilitatis sæculum nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, et fatuos cum sapientibus capit. In pelle vero leviathan istius, stultos ejus corporis, in capite autem prudentes accipimus. Vel certe pelle, quæ est exterius, subditi ad hæc extrema servientes, capite autem præpositi designantur. Et bene Dominus servato ordine has sagenas vel gurgustium piscium, id est Ecclesiam suam, et vota fidelium prius se pelle ejus, et post capite asserit, impleturum, quia prius elegit infirma, ut post confunderet fortia. Elegit quippe stultos mundi ut confunderet sapientes. Prius namque collegit indoctos, postmodum philosophos. Et non per oratores, docuit piscatores; sed mira potentia per piscatores subegit oratores. Dicit ergo: *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius?* Subaudi, ut ego, qui intra Ecclesiam fidelium, prius quæsi pellem diaboli, extremos atque infirmos colligo, et postmodum caput illius, id est prudentes mihi adversarios subdo.

(313) Pellis nomine sanctæ illæ feminæ, quæ Domino adhærentes exterioribus ministeriis ad subsidia corporis serviebant designantur, sicut per beatum Job in 269 persona Domini dicitur: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum* (Job xix, 20). In osse quippe fortitudo, in carnibus vero infirmitas corporis designatur. Quia igitur Christus et Ecclesia una persona est, quid per os, nisi ipse Dominus figuratur? Quid per carnem nisi discipuli, qui passionis tempore infirma ejus sapuerunt? Per pellem vero, quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ feminæ figurantur; quæ ad præparanda subsidia corporis, exterioribus Domino ministeriis serviebant? Nam cum ejus discipuli, quamvis necdum firmi veritatis fidem populis prædicarent, ossi suo inhærebant carnes. Et cum sanctæ mulieres, ea quæ necessaria erant, exteriora præpararent, quasi pellis, exterius manebant in corpore. Sed cum ad crucis horam ventum est, ejus discipulos, gravis ex persecutione Judæorum timor invasit; fugerunt singuli, mulieres autem adhæserunt. Quasi ergo consumpta carne, os Domini pelli suæ adhæsit, quia fortitudo ejus, passionis tempore fugientibus discipulis juxta se mulieres invenit. Stetit quidem aliquandiu Petrus; sed tamen post territus negavit. Stetit et Joannes cui ipso crucis tempore dictum est: *Ecce mater tua* (Joan. xix, 27), sed perseverare minime potuit, quia de ipso quoque scriptum est: *Quod adolescens quidam sequebatur illum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit*

(313) Ex c. xxiii, l. xiv in Job.

(314) Ex c. xxix, l. x in Job, med. circ. 37.

*ab eis* (Marc. xiv, 51, 52). Qui etsi post, ut verba sui Redemptoris audiret, ad horam crucis rediit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solum non timuisse, neque fugisse; sed etiam usque ad sepulcrum stetisse memorantur. Dicit ergo: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*. Hoc est hi qui meæ fortitudini propinquius inhærere debuerunt, passionis meæ tempore timore consumpti sunt, et eas, quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sine formidine inhærere mihi fideliter iuveni.

(314) Pellis nomine, carnis motus designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me* (Job x, 11). Pelle quippe et carnibus interior homo vestitur, quia in eo quod ad superna erigitur, carnalium motuum ostensione vallatur. 270 Sed tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, quia per infusionem gratiæ etiam peccantem prævenit. Sed sublevatam mentem et ad bella exterius laxat, et interius roborat. Unde bene dicitur: *Ossibus et nervis compegisti me*. Carnibus et pelle vestimur, sed ossibus et nervis compingimur, quia etsi tentatione foris irruente concutimur, intus tamen nos conditoris manus roborat, ne frangamur. Carnis itaque nos motibus humiliat ad dona, sed per ossa virtutum roborat contra tentamenta. Ait ergo: *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me*. Ac si aperte dicat: Foras me ad probationem deseris, sed tamen intus, ne peream, virtutibus astringendo custodis.

(315) Pellium nomine, grossæ hominum mentes designantur, sicut ad Moysen divina voce præcipitur. *Ut ad protegendum tabernaculum vela cilicina, et pelles extenderet* (Exod. xxv, 9). Quia enim potestas regimini ministrari non potest sine studio curæ temporalis, aliquando omnipotens Deus mira dispensatione pietatis, ut teneræ spiritualium mentes a terrena cura disjunctæ sint, onus regiminis duris ac laboriosis cordibus injungit, ut tanto illæ ab hoc mundo securius lateant, quanto hæc in terrenis sollicitudinibus libenter elaborant. In exhibitione quippe suscepti oneris pro ipsis quoque utilitatibus subditorum viæ duræ sunt mundanæ servitutis. Et sæpe et dictum est, omnipotens Deus quos tenere diligit, eos sollicitè ab externis actionibus abscondit. Nam et plerumque paterfamilias ad eum laborem servos dirigit, a quo subtiles filios suspendit, ut inde filii sine vexatione decori sint. Unde servi in pulvere sædantur. Quod quam recte in Ecclesia divinitus agitur, ipsa tabernaculi constructione signatur. Ad Moysen quippe divina voce præcipitur, ut ad tegenda interius Sancta sanctorum ex bysso, cocco atque hyacintho vela texantur, jussumque ut ad protegendum tabernaculum velamina cilicina et pelles extenderet; quæ nimirum pluvias vel ventos, vel

(315) Ex c. xvi, l. xxvi in Job, 22.

pulverem tolerarent. Quid igitur per pelles et cilicia, quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum **271** mentes accipimus, quæ aliquando in Ecclesia occulto Dei judicio, quamvis duræ sint, præferuntur? Quæ quia servire curis temporalibus non timent, oportet tentationum ventos, et pluvias de hujus mundi contrarietatibus portant. Quid vero per hyacinthum, coccum, byssumque signatur, nisi sanctorum vita tenera, sed clara; quæ dum caute in tabernaculo sub ciliciis, et pellibus absconditur, sua integra pulchritudo servatur? Ut enim in interiori tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat, desuper pelles, et cilicia, imbres, ventos et pulverem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despiciere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident, quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est, qui contra procellas hujus sæculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluvia tangeret? Aut quid fulgoris, atque claritatis, coccus vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus pulverem fedaret? Sit ergo desuper textura cilicii foris ad pulverem, sit interius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam qui solis rebus spiritalibus vacant, tegant Ecclesiam, quos et labor rerum corporalium non gravat. Nequaquam ergo contra rectorem suum exteriora agentem murmuret is qui intra sanctam Ecclesiam jam spiritualiter fulget. Si enim tu secure interius ut coccus rutilas, cilicium, quo protegeris, cur accusas?

## CAPUT XXXIII.

## DE CUTE.

*In Scriptura sacra cutis nomine aliquando mollities infirmitatis, aliquando peccatum carnis, aliquando is qui exteriori curæ deservit intelligitur.*

**272** (316) Cutis nomine mollities infirmitatis designatur, sicut per Jeremiam dicitur: *Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum* (Thren. iv, 7, 8). Require hujus capituli expositionem in capite De nive.

(317) Sed plerumque, dum virtutum copia etiam plusquam expedit prosperatur, in quamdam sui fiduciam mens abducitur, et decepta præsumptione propria, repente peccato surripiente fuscatur. Unde recte subjungitur: *Denigrata est super carbones facies eorum*. Nigri enim post candorem fiunt, qui amissa Dei justitia cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt, peccata dilabuntur. Et quia post amoris ignem ad frigus corporis veniunt, extinctis carbonibus, ex comparatione præferuntur. Nonnunquam dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidus mentibus frigidiores

fiunt. De quibus recte subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis*. Platea quippe sermonis Græci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero humanæ animæ angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (Matth. vii, 13). Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, et quaqua versus impulsus arbitrii duxerit; se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum judicio se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo voluntates proprias angusto se calle retinebant. Et bene additur: *Adhæsit cutis eorum ossibus*. Quid in osse nisi duritia fortitudinis, et quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii, duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt, quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt. Et quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde et recte adjungitur: *Aruit et facta est quasi lignum*. Culpa quippe eorum **273** tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur. Quam recte aridam asserit: quia nulla sui cogitatione viridescit.

(318) Cutis nomine peccatum carnis designatur, sicut per beatum Job in persona pœnitentis dicitur: *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam* (Job xvi, 16). Quid in sacco et cinere, nisi pœnitentia? et quid in cute et carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur et cinere caro operitur, quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne in districti judicis examine ad ultionem videatur.

(319) Cutis nomine is qui in sanctæ Ecclesiæ corpore exteriori curæ deservit, designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Cutis mea aruit, et contracta est* (Job vii, 5). In sanctæ quippe Ecclesiæ corpore hi qui solis exterioribus curis inserviunt, congrue cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescendo contrahitur, quia mentes carnalium, dum præsentia diligunt, et quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, ut atrahantur, arefiunt; quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat, cum siccitatem mentis metuens dicebat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (Psal. lxxii, 6). Adeps quippe pinguedinis animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum æstum, supernæ spei infusio refovet. Cutis ergo arescens attrahitur, cum cor rebus exterioribus deditum,

(316) Lib. i, c. xviii.

(317) Ex c. xvii, lib. xxxii, in Job, 23, ante lin.

(318) Ex c. vi, lib. xiii, in Job.

(319) Ex c. vi, lib. viii, in Job, 41.



atque ex desperatione siccatum, in auctoris sui amore non tenditur, sed semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur. Pensandum vero est quod carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent.

## 274 CAPUT XXXIV.

DE CARNE.

In Scriptura sacra cum caro singulariter ponitur, aliquando natura humana intelligitur, aliquando cordis sensibilitas, aliquando vita carnalis, aliquando delectatio carnalis, aliquando carnalitas, aliquando operis infirmitas, aliquando ponitur juxta naturam, aliquando juxta culpam; cum vero pluraliter carnes dicuntur, aliquando reprobi, aliquando discipuli Domini, aliquando pœnæ carnis vel vitia, aliquando motus carnis intelliguntur.

(320) Carnis nomine natura humana designatur, sicut per Eliu dicitur: *Consumpta est caro a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ* (Job xxxiii, 25). In illo quippe primo homine a Domino recedente, repulsi a paradisi gaudiis in hanc mortalis vitæ ærumnam cecidimus; et quam gravem culpam serpentis persuasionem commisimus, pœna nostræ ultionis sentimus. Huc enim lapsi nihil extra Dominum, nisi quo affligeremur, invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei præposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur, ut hoc nobis mira dispositione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam; nec aliunde esset interim censura supplicii, nisi unde fuerat **275** causa peccati, ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbix pervenit ad mortem. Quia ergo innumeris humanum genus carnalis vitæ suppliciis premebatur, sed, Redemptore nostro veniente, et vitia corruptionis nostræ et tormenta deleta sunt, dicatur de hoc redempto homine: *Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ*. Ac si diceret: Mortalitatibus suæ pœna in quamdam adulescentiæ senectutem dejectus revertatur ad dies adolescentiæ suæ, id est prioris vitæ integritate renovetur, ut non eo maneat, quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit.

(321) Carnis nomine cordis sensibilitas designatur, sicut quibusdam Dominus per Prophetam dicit: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* (Ezech. xxxvi, 26). Cor quippe lapideum tollit Dominus, cum a nobis superbix duritiam subtrahit; et cor carneum tribuit, cum eandem protinus nostram duritiam ad sensibilitatem vertit.

(322) Carnis nomine vita carnalis designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Induta est caro mea pu-*

*trede et sordibus pulveris* (Job vii, 5). Soliditatem quippe ingentem voluntarie homo deseruit, et sese in voraginem corruptionis mersit; unde nunc vel per immunda opera labitur, vel per cogitationes illicitas sædatur. Ut enim ita dixerim, culpæ suæ pœnaliter subdita ipsa jam natura nostra, facta est extra naturam, et remissa, usque ad perversa operâ ducitur; restricta autem perversorum operum importuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitæ carnem putredo afficit, per levitatem vero cogitationis improbæ, quasi ante oculos pulvis surgit. Consentendo vitiis, putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando, sordibus pulveris sædamur. Ait ergo: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris*. Ac si aperte diceret: Carnalem vitam, quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit.

**276** (323) Carnis nomine delectatio carnalis designatur, sicut de tentato homine per Eliu dicitur: *Tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur* (Job xxxiii, 21). Idcirco moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munere in virtute proficimus, etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur. Et qui ex perceptione muneris, opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostræ memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum enim tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne de virtutibus, quibus proficimus, extollamur. Cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant; flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus; per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur; per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, et flagellis atteri et aliquando vitiis tentari necesse est. Sive enim in laboribus flagellorum, sive in certamine vitiorum non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quantâ virtute profecerimus, agnoscimus (324). Nemo quippe vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est qui fortem se in pace gloriatur. Quia ergo sæpe virium merita per flagellorum adversa patefunt, apte Eliu manifestat dicens: *Tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur*. Cum enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Vel quid per ossa, nisi virtutes animæ desi-

(320) Ex c. iii, lib. xxiv.

(321) Ex c. x, l. x in Job, 15.

(322) Ex c. vi, l. viii, in Job, post med.

(323) Ex fine cap. xvii, l. xxiii in Job, 27.

(324) Ex c. xviii.

quantur? Tabescit ergo caro et ossa nudantur, quia dum flagellis argumentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefunt. Nemo **277** quippe quantum profecerit, nisi inter adversa agnoscit. Cum enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt.

(325) Carnis nomine carnalitas designatur, sicut per eundem ab Eliu dicitur: *Si direxerit ad Dominum cor suum, spiritum illius ad se trahit, et flatum. Deficiet omnis caro simul, et homo in pulverem revertetur* (Job xxxiv, 15). Curvum cor est, cum ima appetit, dirigitur, cum ad superna elevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum vero qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deo ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere est ad conversionem sui desiderium, et interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam menti exterius libeat, nihil caro inferius, vel si appetit, adipisci conetur; sed omne, quod homo est, ad eum videlicet a quo est, et interius desiderando ferveat, et exterius se edomando constringat. Unde et apte subjungitur: *Deficiet omnis caro simul: et homo in cinerem revertetur.* (326) Simul enim caro deficit, quando jam nullis suis motibus servit, quia præsidens spiritus cuncta ejus fluxa restringit, et quodam distractionis suæ gladio, omne quod in illa male vivebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semetipsum Jeremias interfecerat, cum dicebat: *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi percussi femur meum* (Jer. xxxi, 19). Quid enim in femore nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait: *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*, nisi quod postquam superna spiritaliter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, exstinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima quæ tenerat non liberent? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto inchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis, omnis caro Pauli simul interierat, cum dicebat: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. ii, 20). Bene etiam hoc loco Eliu subdidit: *Et homo in cinerem revertetur.* In peccato enim quisque positus, mortalitatis suæ obliviscitur, et terram **278** se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid se esse aliud quam cinerem recordatur? Jam in cinerem David reversus fuerat, cum dicebat: *Memento* [al. *recordatus est*], *Domine, quoniam pulvis sumus* (Psal. cii, 14). Abraham in cinerem reversus fuerat, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis* (Gen. xviii, 27).

(327) Carnis nomine, infirmitas operis designatur,

(325) Ex c. xi, l. xxxiv in Job, 26.

(326) Ex cap. xii.

(327) Ex cap. xxii, lib. xv in Job, 18.

A sicut per beatum Job dicitur: *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco; et concutit carnem meam tremor* (Job. xxi, 6). Quia beatus Job actuum suorum oblitus non fuerat, extrema ejus locutio ostendit. Quæ ex re hoc quod ab eo nunc amicis dicitur: *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor*; constat nimirum quod per irrisionem dicatur. Ac si aperte diceretur: *Si me aliquid hypocritæ meminero habuisse, in pœnitentiæ mox fletu contremisco.* Carnem vero suam, si recordatus fuerit, tremore perhibet concuti, id est infirmitatem operis, ultionis pavore fatigari.

(328) Caro juxta naturam dicitur, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (Gen. ii, 23). Caro autem juxta culpam ponitur, ubi scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. vi, 3). Et Psalmista ait: *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (Psal. lxxvii, 59). Unde et discipulus Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (Rom. viii, 9). Neque enim in carne non erant, quibus Epistolas transmittibat. Sed quia passiones carnalium desideriorum vicebant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo idem Paulus dicit: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I Cor. xv, 50), carnem procul dubio secundum culpam vult intelligi, non secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit* (ibid.). In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit.

(329) **279** Carnium nomine reprobi designantur, sicut voce Dominica de diabolo ad beatum Job dicitur: *Membra carnium ejus, cohærentia sibi* (Job xli, 14). Carnes enim diaboli sicut omnes reprobi, qui ad intellectum spiritualis patriæ per desiderium non assurgunt. Membra vero sunt carnium hi, qui eisdem perverse agentibus et sese ad iniquitatem præcedentibus conjunguntur, sicut econtra per Paulum de Dominico corpore dicitur: *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis est pars ad totum, membrum vero membri est particula ad partem; membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium; membrum vero corporis totum hoc simul ad corpus universum. Si ergo in spirituali Dominico corpore membra de membro dicimus, eos qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur, ita in illa diaboli reproba congregatione membra sunt carnium, qui iniquo opere quibusdam se nequioribus conjunguntur. Sed quia malignus hostis sibi in

(328) Ex lib. xiv in Job, cap. xxix, 31.

(329) Ex c. iv, l. xxxiv in Job.

perverso opere a primis usque ad extremos concordat, divinus sermo in eo membra carniū sibi membra membra coherentia memorat.

Carnium nomine discipuli Domini designantur, sicut per beatum Job in persona ejusdem Domini dicitur : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*. Require supra, capite 32. De pellibus.

(330) Carnium nomine pœnæ carnis vel vitia designantur, sicut per beatum Job amicis suis dicitur : *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* (Job xix.). Non abhorret a locutione pietatis quod a Deo se perhibet persequi. Est namque persecutor bonus, sicut de semetipso ore prophetico Dominus dicit : *Detrahentem occulte adversus proximum suum, hunc persequerbar* (Psal. c, 5). Cum vero sanctus quisque flagellari permittitur, scit quod persecutionem contra commissam vitia ex interna dispensatione patiat. Crudeles autem persecutorum mentes, cum potestatem ferendi appetunt, contra honorum vitam non studio purgationis, sed livoris facibus accenduntur. Et quidem hoc faciunt, quod Deus omnipotens fieri permittit; sed dum una causa, per hos etiam cum Deo agitur, non tamen voluntas una in eadem causa servatur. Quia cum amando omnipotens Deus purgationem exhibet, in justorum pravitas saviendo malitiam exercet. Quod ergo dicitur : *Quare persequimini me sicut Deus?* ad exteriorem hanc percussorem retulit, non ad intimam intentionem, quia etsi agunt exterius quod Deus agi disposuit, non tamen hoc quod Deus in sua actione appetunt, ut boni ex afflictione purgentur. Bene autem subditur : *Et carnibus meis saturamini*. Quorum mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque est quod hi etiam qui alienæ vitæ detractio pascuntur, alienis carnibus procul dubio saturantur. Unde per Salomonem dicitur : *Noti esse in convivio potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt* (Prov. xxiii, 20). Carnes quippe ad vescendum conferre, est in colloca-tione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum pœna mox illie subditur : *Quia vacantes potibus, et dantes symbolum consumentur : et vestiatur pannis dormitatio* (Prov. xxiii, 21). Potibus quippe vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ se debriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractio verba conferre. Sed vacantes potibus, et dantes symbolum consumentur, quia sicut scriptum est, *omnis detractor eradicabitur* (Prov. xxiv, 9). Vestiatur autem pannis dormitatio, quia despectum et inopem a cunctis bonis operibus mors sua invenit, quem hic ad alienæ vitæ exquirenda crimina detractiois sæ languor occupavit.

Carnium nomine motus carnis designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Pelle et carnibus vestisti*

*A me, ossibus et nervis compegisti me* (Job x, 11). Require in cap. De pelle.

## 281 CAPUT XXXV.

DE SANGUINE.

*In Scriptura sacra sanguinis nomine aliquando passio Christi, aliquando carnalis intellectus, aliquando peccatum, aliquando cruentæ mentis malitia intelligitur.*

(331) Sanguinis nomine, passio Christi designatur, sicut voce Domini, ad beatum Job de sancto prædicatore sub figura aquilæ dicitur : *Puli ejus lambent sanguinem* (Job xxxix, 30). Ac si aperte diceretur : *Ipsa quidem aquila divinitatis contemplatione pascitur, sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, crucifixi Domini cruore satiantur*. Sanguinem namque lambere est passionis Dominicæ infirma venerari. Hinc est quod Paulus, qui ad tertii cœli secreta volaverat, discipulis dicebat : *Non judicavi me scire aliud inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (I Cor. ii, 2). Ac si aperte aquila diceret : *Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam de longe prospicio, sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado*. Nam qui per prædicationem suam tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocuit, quid aliud quam sanguinem pullis præbuit?

(332) Sanguinis nomine carnalis intellectus designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emulget, elicit sanguinem* (Prov. xxx, 35). Ubra quippe fortiter premimus, cum verba sacri eloquii subtili intellectu pensamus. Quæ pressione, dum lac quærimus butyrum invenimus, quia dum nutrirî vel tenui intellectu quærimus, ubertate internæ pinguedinis unguimur. Quod tamen nec nimie, nec semper agendum est, ne dum lac quæritur ab uberibus, lac sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam, dum verba sacri eloquii, plusquam debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit qui vehementer emulget, quia carnale efficitur hoc quod discussione sentitur.

(333) Sanguinis nomine peccatum designatur, sicut per prophetam dicitur : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (Ose. iv, 2). Solet enim sanguinis nomine signari peccatum, sicut is qui a peccatis liberari desiderat, per poenitentiam clamat : *Libera me de sanguinibus* (Psal. l, 16). Sanguis ergo sanguinem tangit, quum culpa culpam cumulaverit. Unde per beatum Job dicitur : *Conscidit me vulnere super vulnus* (Job xvi, 15). In infirmis namque sancta Ecclesia vulnere super vulnus consciditur, quando peccatum peccato additur,

(330) Ex c. xxiv, l. xiv in Job.

(331) Ex c. xxi, l. xxxi in Job, 36.

(332) Ex c. i, l. xxi in Job.

(333) Ex c. vi, l. xiii in Job.

ut culpa vehementius exaggeretur. Quem enim avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, vel perpetrata culpa ex falsitate etiam defendatur : quid iste nisi vulnere super vulnus consciditur?

(334) Sanguinis nomine malitia cruentæ mentis designatur, sicut per prophetam de justis persecutore dicitur : *Sanguis ejus in medio ejus. Super limpidissimam petram effudit illum : Non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere (Ezech. xxiv, 7).* Per terram videlicet et pulverem, peccatores; per petram vero limpidissimam, justum signans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur.

### 283 CAPUT XXXVI.

DE ADIPE.

(335) Adipis nomine superbia designatur, sicut per beatum Job de superbo divite dicitur : *Viscera ejus plena sunt adipe (Job xxi, 24).* Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impinguat mentem divitis, cum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata patrant per Prophetam dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (Psal. vii, 7)*

### CAPUT XXXVII.

DE PINGUEDINE.

(336) Pinguedinis nomine terrenarum rerum abundantia designatur, sicut per Eliphaz Themanicum de impio quolibet dicitur : *Pingui cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo (Job xv, 27).* Pinguis enim cervix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui cervice contra Dominum armatur, quia rebus temporalibus tumens contra præcepta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur. Quid enim paupertas nisi quædam macies, et quid rerum abundantia, nisi pinguedo vitæ præsentis? Pingui ergo cervice se contra Dominum erigit, qui temporalem abundantiam in superbiam assumit. Habent enim potentes et iniqui proprium, ut fallacibus divitiis occupati, veras Dei opes negligant. Et quanto minus quod verum est inquirunt, tanto amplius falsis divitiis extolluntur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum, quia occupat excæcat. Unde apte subjungitur : *Operuit faciem ejus crassitudo. Visus quippe in facie est, in qua et prima honorabilior corporis pars est. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus illuc 284 videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata rerum terrenarum abundantia oculos mentis premit, et hoc quod in eis honorabile esse debuit, ante ocu-*

los Dei sædat, quia curis multiplicibus aggravat.

### CAPUT XXXVIII.

DE ARVINA.

(337) Arvinæ nomine, potentia terrena designatur, sicut per eundem Eliphaz dicitur : *De lateribus ejus arvina dependet (Job xv, 27).* Sunt nonnulli qui patronis majoribus adjuncti superbiunt, et de eorum potentia contra inopes extolluntur. De quibus bene dicitur : *Et de lateribus ejus arvina dependet, quia enim arvina pinguedo carnis est, et latera dicere divitum solemus hos quos eis conjunctos cernimus, arvina de iniquorum lateribus dependet, quia quisquis potenti et iniquo adhæret, ipse quoque de ejus potentia velut ex pinguedine rerum tumet, ut patroni perversi iniquitatem sequens non timeat Deum, et quos valet, et quantum valet, pauperes affligat, de gloria temporalis cor elevet. Cum ergo talis est qui iniquo potenti adhæret, de ejus latere profecto arvina dependet.*

### 285 CAPUT XXXIX.

DE OSSIBUS.

*In Scriptura sacra cum os singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando fortis quilibet in sanctæ Ecclesiæ corpore intelligitur; cum vero pluraliter ossa dicuntur, aliquando virtutes, aliquando nequiores in corpore Antichristi, aliquando duritia fortitudinis, aliquando carnis fortitudo, aliquando fortitudo sæcularium dignitatum.*

Ossis nomine Christus designatur, sicut per Job dicitur in persona Christi : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum (Job xix, 20).* Require in cap. De pellibus, supra cap. 32

(338) Ossis nomine fortis quilibet in sanctæ Ecclesiæ corpore, qui infirmos portat, designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt (Job xxx, 17).* Si allegoriæ mysterium perscrutamur, quid per ossa nisi fortis quisque in sanctæ Ecclesiæ corpore designatur, qui quasi suo robore membra continet, dum mores infirmantium stabiliter portat? Sed cum tribulationis ultimæ contra eum fervor excreverit, in nocte os illius perforatur doloribus, quia nonnunquam tormentis victi, etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur: Ait ergo : *Nocte os meum perforatur doloribus.* Ac si aperte dicat : *Tribulationis tenebris pressi afflictione tenebantur, ut ipsi qui in me habebant vigorem fortitudinis, 286 quasi jam quoddam habent foramen timoris. Bene autem dicitur : Et qui me comedunt, non dormiunt, quia maligni spiritus, qui carnales quosque de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravantur.*

(339) Ossium nomine virtutes designantur, sicut per Psalmistam de sanctis martyribus dicitur : *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur (Psal. xxxii, 21).* Quod utique non de

(334) Ex c. xix, l. xv in Job, 15.

(335) Ex c. xxxiii, l. xv in Job, 25.

(336) Ex c. xxii, l. xii in Job.

(337) Ex c. v, l. sup.

(338) Ex lib. xx in Job, cap. xxxi, xxii.

(339) Ex lib. xxiii in Job, cap. xvi.

ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certe novimus quod et multorum martyrum corporaliter ossa confracta sunt, et persecutores Domini, latronis illius cui dictum est: *Hodie tecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43), sicut latronis alterius in cruce crura fregerunt. Item quia ossa virtutes intelligantur, per Eliu manifestatur, cum per eum de Domino dicitur: *Inrepat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit* (Job xciii, 19). Quid enim per lectum, nisi requies temporalis accipitur? Sed quia in hac vita omnis nostra quam præparamus requies perturbatur, recte dicitur: *Inrepat quoque per dolorem in lectulo*, id est in præsentis vitæ requie, vel tentationis nos stimulis vel flagelli afflictione conturbat. Nam sæpe humanus animus quamlibet brevi tempore sine tentatione in bonis studiis fuerit, mox de eisdem studiis in quibus quiescendo se exercet; de ipsis virtutibus, quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit, inde elevatur. Unde pro rectoris nostri moderamine impulsu tentationis efficitur, ut in eo ipsa profectus sui elatio comprimatur. Quapropter postquam dixit: *Inrepat quoque per dolorem in lectulo*; aperte subjunxit: *Et omnia ossa ejus marcescere facit*, quia cum in ea requie quam nobis in hoc sæculo præparamus flagello tentationis afficimur, qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognito infirmitatis nostræ tædio extenuamur. Cum enim, sicut cupimus, ad Deum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esset crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur ut infirmitatis nostræ, quia proficientes obliviscimur tentari recolamus; et in profectu nostro quid **287** de divino munere, et in tentatione cognoscamus, quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profecto tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsatur, nec frangitur; pellitur, nec movetur; quatitur, nec dejicit, ut nostra infirmitate sentiamus esse quod quatimur, et de divino munere quod stamus. Et quia sæpe anima alicujus boni sibi conscia, cum virtutes suas ad memoriam revocat, quadam delectatione pascitur et quasi gratulatione propriæ plonitudinis impinguatur, benedicitur quod tentatione pulsante marcescunt ossa, quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoscitur, omnis illa nostrarum virium videlicet pinguis viridisque gratulatio subito anxietatis mœrore siccat. Et qui nos alicujus esse momenti bona nostra pensando credidimus, pulsati paulo amplius perituros nos jamjamque formidamus. Tunc omne bonorum nostrorum gaudium vertitur in pavorem pœnarum. Tunc iniquos nos esse deprehendimus qui sanctos paulo ante credebamus. Tabescit mens, stupent oculi, omne quod prius prosperum arridebat evanescit. Lux ipsa fastidio est, et solæ se in animo tenebræ mœroris infundunt.

(340) Ossium nomine nequiores Antichristi, et

(340) Ex lib. xxxii in Job, c. xiv.

(341) Ex lib. xxxii in Job, cap. xvii.

callidiores servi signantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de ipsis dicitur: *Ossa ejus videlicet fistulæ æris* (Job xl, 13). In corpore ossa sunt, quæ continent membra, et quæ continentur. Habet ergo carnes Antichristus, habet et ossa: quia et iniqui sunt alii, qui tamen ab aliis in errore retinentur, et nequiores alii in errore alios retinent. Quid itaque aliud ossa Antichristi quam quoslibet in corpore ejus valentiores accipimus? In quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota ejus corporis compago subsistit. Multi namque in hoc mundo divites videntur, qui dum rebus operibusque subnixi sunt quasi ex fortitudine solidantur. Sed largiendo hæc ipsa quibus stulti sunt, ad alios ad suum errorem trahunt. Modo nonnullos ut pravi fiant donis **B** illiciant; modo nonnullos ut pravi permaneant, muneribus astringunt. Quid itaque isti nisi Antichristi ossa sunt, qui dum malos continendo **288** multiplicant, in cujus corpore carnes portant? Hi nonnunquam decipiendis auditoribus exhibent lingue dulcedines, quia et spinæ proferunt flores, et apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amarum dulcia, noxiis blanda permiscunt, humiliter substernuntur, et per sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negant. Unde et recte ossa illius æreis fistulis comparantur, quia nimirum more metalli insensibilis, sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt quod elate vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans aut cymbalum tinniens* (I Cor. xiii, 1). Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse sentit verba quæ ipse non facit.

(341) Ossium nomine, duritia fortitudinis designatur, sicut per Jeremiam de quibusdam, de viribus suis nimirum præsumptibus dicitur: *Adhæsit cutis eorum ossibus* (Thren. iv, 8). Quid enim in ossibus, nisi duritia fortitudinis, et quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii, duritia virtutis putatur; **D** infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti fortibus ea suspicionibus jungunt. Et quod de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt.

(342) Ossium nomine carnis fortitudo designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea* (Job vii, 15). Quid per animam nisi mentis intentio? quid per ossa, nisi carnis fortitudo signatur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certis-

(342) Ex lib. viii in Job, cap. xiv.

sime sciunt quia habere in hac vita requiem non possunt, et idcirco suspendium eligunt; quia nimirum terrena desideria deserentes **289** ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti hi qui fortes prius in mundo fuerant, viuculo humilitatis insequuntur.

Ossium nomine fortitudo sæcularium dignitatum designatur, sicut per beatum Job de superbo divite dicitur: *Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur (Job xxi, 24)*. Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur quæ impingat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde iis, qui ex abundantia peccata perpetrant, Propheta **B** dicit: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (Psal. lxxii, 7)*. Amatores autem hujus sæculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si in exteriori dignitate desint terrenæ et domesticæ divitiæ quantum ad iudicium suum, ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus sæculi exteriori potestate fulcitur, ut etiam interiori terrenæ domus abundantia saginetur, dicitur: et medullis ossa illius irrigantur. Vel certe ossa sunt hujus pravi divitis, pravæ et duræ consuetudines: Medullæ vero in ossibus, sunt ipsa desideria male vivendi, quæ neque ex pravitate satisfactione satiantur. Quam medullæ quasi ossa irrigant, cum prava desideria perversas consuetudines suas in voluntatum delectatione conservant.

#### CAPUT XL.

##### DE CARTILAGINE.

*In Scriptura sacra cartilaginis nomine, aliquando inferiores in corpore Antichristi, aliquando simulatio intelligitur.*

(343) Cartilaginis nomine inferiores in corpore Antichristi, qui quales non sunt, videri appetunt, **290** designantur, sicut in voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ*. Cartilago ossis quidem speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet. Et sunt nonnulli in Antichristi corpore non honoribus clari, non divitiis fulti, non virtutum specie decorati, non scientia calliditatis periti, sed tamen videri, quales non sunt, ambiunt; et idcirco contra bonorum vitam nequiores fiunt. Bene ergo cartilago ejus laminis ferreis comparatur, quia hi qui Antichristo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt. Ferro quippe cætera metalla conciduntur; et cartilago Antichristi ferro similis dicitur quia hi qui in ejus corpore ad ostensionem virtutum non sufficiunt, contra necs infidelium acrius accenduntur. Quia enim cum eo se facere signa et prodigia non posse considerant, fideles se illi per crudelitatem probant. Et pro eo quod innocentium corda corrumpere persuadendo

non possunt, multiplicibus ceteris bonorum corpora se extinguere gloriantur. Bene ergo dicitur: *cartilago ejus ut laminæ ferreæ*, quia in ejus corpore quo infirmus quisque creditur, eo nequius incidit. Qui recte non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur, quia dum se circumquaque incredulitate dilatari ambiunt, quasi in ferri se laminas extendunt.

(344) Cartilaginis nomine simulatio potest designari. Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet infirmitatem. Et sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitate prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tanta arte se palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi exspectet præmia, unde æterna dignus est invenire tormenta.

Plerumque enim in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et justitia putatur, atque immoderata ira intus zeli meritum creditur: et cum a distortis moribus peccantes dirigi caute debeant, violenta inflexione franguntur.

Plerumque dissoluta remissio, quasi mansuetudo **291** ac pietas habetur; et dum, plusquam decet, delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservatur. Nonnunquam effusio, mesericordia creditur; et dum male servare culpa sit, pejus spargi quod acceptum est, non timetur.

Nonnunquam tenacia, parcitas putatur; et cum grave sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere.

Sæpe malorum pertinacia, constantia dicitur; et dum mens a pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur.

Sæpe inconstantia quasi tractabilitas habetur, et quo quisque fidem integram nulli servat, eo se amicis omnibus æstimat. Aliquando timor incompetens humilitas creditur; et cum temporali formidine pressus quisque a defensione veritatis tacet, arbitratis quod juxta Dei ordinem hominem se potioribus exhibeat.

Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur; et cum per elationem veritate contradicitur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur.

**D** Plerumque pigritia quasi continentia quietis attenditur, et cum gravis culpæ sit recta studiose non agere, magnæ virtutis meritum creditur a prava tantum actione cessare.

Plerumque inquietudo spiritus, vigilans sollicitudo nominatur, et cum quietem quisque non tolerat, agendo quæ appetit, virtutis debitæ implere se exercitium putat.

Quia error cum virtus creditur, difficilior emendatur, recte dicitur: *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ (Job xl, 3)*. Diabolus enim, quo sub prætextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, eo in culpa mentem durius tenet. Hinc est quod nonnun-

(343) Ex fine cap. xiv, lib. xxxii, in Job.

(344) Ex ejusdem lib. c. xvii, paulo post med.

quam hi qui quasi viam sanctitatis appetunt, in errore lapsi, tardius emendantur. Rectum quippe æstinant esse quod agitur, et sicut excolendæ virtuti, sic vitio perseverantiam jungunt. Rectum æstimant esse quod agunt, et idcirco suo iudicio enixius serviunt.

## 292 CAPUT XLI.

### DE MEDULLIS

*In Scriptura sacra medullarum nomine aliquando nobilitas regia, aliquando subtilitas ingenii, aliquando divitiæ, aliquando intentiones cordis intelliguntur.*

Medullæ nomine nobilitas regia designatur, sicut per Ezechielem prophetam de Nabuchodonosor dicitur: *Aquila grandis magnarum ularum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate venit ad Libanum, et tulit medullam cedri et summitatem frondium ejus evulsit (Ezech. xvii, 4).* Vide titulum De aquila, lib. II, c. 2.

Medullæ quoque nomine subtilitas ingenii potest non inconvenienter designari: *Ossa quippe medullæ irrigando confrant (Job xxi, 24).* Per ossa autem, fraudulenta diaboli consilia intelliguntur. Quia sicut in ossibus positio corporis, roburque consistit, ita in fraudulentis diaboli consiliis, tota se ejus malitia erigit; et sicut ossa quia irrigant medullæ confortant, ita ejus consilia per spiritualis naturæ potentiam infusa ingenii subtilitas consilium roborant.

Medullarum nomine divitiæ designantur, sicut per beatum Job de pravo divite dicitur: *Medullis ossa illius irrigantur (Job xxi, 24).* Consule lib. III, c. 33.

(345) Medullarum nomine intentiones cordis designantur: unde prædicator egregius cum loquens subtiliter diceret: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti, et pertigens usque ad divisionem animæ ac spiritus (Hebr. iv, 12),* illico adjunxit: *Compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum 293 cordis (ibid.).* Distinguit enim sermo Dei compages et medullas: quia discernit cogitationes, et intentiones cordis. Per compages quoque ossibus ossa junguntur. Et sæpe dum quid recta cogitatione agimus, sed subito in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus, quod facere prius, pro veritate cœperamus: quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quædam compages fiunt. Sed habent ossa, quæ in compage juncta sunt, etiam medullas. Quod prædicator sanctus apertius intulit, cum subjungit: *Discretor cogitationum, et intentionum cordis.* Compages enim, nostræ cogitationes sunt: medullæ autem intentiones. Et sæpe aliud cogitamus, atque aliud est, quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum præmio, pupilli vel viduæ causam defendit, et fortasse ecclesiam ingrediens in suis precibus Deo dicat: Tu vides quia causam pupilli et viduæ defendo, iste procul dubio quod cogitat, scit: sed quod intendit ejus cogitatio, igno-

rat. Aliud quippe cogitat, atque alio intendit. Non enim defensionem pupilli, vel viduæ, sed mercedem nummorum quærit. Nam tollere temporale præmium, et non pupillum ac viduam intendit defendere. Sermo itaque Dei discretor est cogitationum et intentionum cordis: quia non aspicit quid apud temetipsum cogitas, sed per medullam compagis, id est per intentionem cogitationis quid accipere requiris. Restat ergo ut doctor cum loquitur sollicite attendat, ne aut mala intentione loqui inchoet: aut cum bene cœperit, seductus favoribus in appetitum alium declinet. Sic enim cogitationi bonæ cogitatio sinistra subjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat, animus cognoscat.

## 294 CAPUT XLII.

### DE NERVIS.

(346) Nervi nomine, sententia fortis districtiois designatur, sicut per beatum Job Domino dicitur: *Posuisti in nervo pedem meum: et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti (Job xiii, 27).* In nervo autem Deus pedem hominis posuit, quia privatam illius forti districtiois sæpe sententia ligavit. Cujus omnes semitas observat, quia subtiliter singula quæque dijudicat. Semita etenim angustior solet esse quam via. Quia autem vias, actiones, non immerito semitas ipsas, actionum cogitationes accipimus. Deus itaque omnes semitas observat, quia in singulis quibusque actionibus nostris etiam cogitationes pensat. Et vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum quam recte ponantur, examinat, ne et hoc, quod bonum agitur, non recto desiderio agatur.

## CAPUT XLIII.

### DE PECTORE.

*In Scriptura sacra pectoris nomine aliquando cogitatio luxuriæ, aliquando cor intelligitur.*

(347) Pectoris nomine cogitatio luxuriæ designatur, sicut voce Dominica serpenti dicitur: *Pectore et ventre repes (348) (Gen. iii, 14).* Malum namque luxuriæ, aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque adversarius noster, cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere cogitationis molitur. Bene ergo a Domino serpenti dicitur: *Pectore et ventre repes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra, sibimet subdita usque ad expletionem 295 operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetranda versat in mente, huic sibi serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera implenda pervenitur, recte serpens prius pectore, et postmodum repere ventre describitur.

(349) Pectoris nomine, cor designatur. Unde divina voce præcipitur ut in Aaron pectore rationale

(345) Ex hom. XXI in Ezech. post medium.

(346) Ex c. XXV, l. XI, in Job.

(347) Ex c. II, lib. XXI, in Job, ante finem.

(348) Sed nostra et omnes edit. aliter habent.

(349) Ex II part. Pastor., c. I.

judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere, quantam in peccatore rationem portet.

## CAPUT XLIV.

## DE UBERIBUS.

*In Scriptura sacra uberum nomine aliquando Judæi et gentiles designantur, aliquando verba sacri eloquii, aliquando argumenta cassæ spei, aliquando sancti prædicatores intelliguntur.*

(350) Uberum nomine Judæi et gentiles designantur, sicut Ecclesiæ in Canticis dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbra* (Cant. iv, 5). Quid enim sunt duo ubera, nisi ex Judæa et gentilitate veniens uterque populus, in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ, arcano est cordis influxus? Ex quo populo, hi qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis **296** comparantur, quia per humilitatem quidem se peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt, et datis contemplationis saltibus, ad superna conscendunt. Qui, ut hæc agant, præcedentium sanctorum exempla conspiciunt: Unde et in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus Deo* (II Cor. ii). Electi ergo, ut assequi summa prævaleant, conspecta odorifera et candida justorum vita satiantur. Jam quidem videre Dominum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari charitatis æstibus inardescunt. Sed quia in hac vita positi nondum valent, per præcedentium interim patrum exempla pascuntur. Unde et apte illic tempus de ipso liliorum pastu diffinitur, cum dicitur: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbra*. Tandiu quidem refici justorum exemplis indigemus, donec peccantis mortalitatis umbras æterno die aspirante transeamus. Cum autem hujus temporalitatis umbra transacta hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem, quia nondum eum intueri possumus, summopere necesse est ut eorum qui illum perfecte secuti sunt conspectis actionibus incitemur.

Uberum nomine verba sacri eloquii designantur, sicut per Salomonem dicitur: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Et qui vehementer emulget, elicit sanguinem* (Prov. xxx, 33). Require in capit. De sanguine, supra, cap. 35.

(351) Uberum nomine argumenta cassæ spei, vel fiduciæ, sive miseræ fomenta desperationis designantur, sicut per beatum Job ex persona humani generis, vel cujuslibet penitentis dicitur: *Quare non*

*in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?* (Job iii, 12.) Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, **297** delectatione, consensu, et defensionis audacia per elationem perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere debuit, mentem extollit et dejiciendo elevat; sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suavit, Eva delectata est, Adam consensus. Qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suavit quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Consensum vero Adam mulieri præpositus præbuit quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri noluit culpam, quia videlicet spiritus, quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur; dehinc et in consuetudinem ducitur. Ad extremum vero vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

Hos itaque peccati modos qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter in opere perpetrantur, beatus Job considerat, et humanum genus in quot peccatorum gradibus sit lapsum, deplorat dicens: *Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus?* Prima enim vulva conceptionis fuit lingua malæ suggestionis. Sed peccator in vulva moreretur, si moriturum se homo in ipsa suggestione cognosceret. Qui tamen ex utero egressus est, quia postquam eum in peccato suggerens lingua concepit, mox etiam foras delectatio rapuit. Post egressionem vero exceptus est genibus, quia cum ad delectationem carnis prodit, nimirum culpam per consensionem spiritus subjectis cunctis sensibus, quasi suppositis genibus consummavit. Sed **298** genibus exceptus etiam uberibus est lactatus. In consensu enim culpæ additis spiritus sensibus multa cassæ fiduciæ argumenta subsecuta sunt, quæ natam in peccato animam virulento lacte nutrierunt; et ne aspera mortis supplicia metueret, hanc blandis excusationibus foverunt. Unde et primus homo post culpam audacior exstitit dicens: *Mulier quam dedisti mihi sociam insa mihi dedit de ligno, et comedi* (Gen.

(350) Ex c. vi, lib. xxiv in Job, 10.

(351) Ex c. xxv, l. iv, in Job, 27.



11, 12). Qui quidem per timorem semetipsum ab-  
sconsurus fugerat; sed tamen requisitus innotuit  
quantum etiam timens timebat. Cum enim ex pec-  
cato præsens pœna metuitur, et amissa Dei facies  
non amatur, timor ex timore est, non ex humi-  
litate. Superbit quippe, qui peccatum si liceat non  
puniri, non deserit. Sed his sicut dictum est mo-  
dis quatuor culpa, ut in corde agitur, etiam in  
opere perpetratur. Ait enim: *Quare non in vulva  
mortuus sum?* Vulva quippe est peccantis hominis  
culpa latens quæ occulte peccatorem concipit, et  
reatum suum adhuc in tenebris abscondit. *Egressus  
ex utero non statim perii?* A vulva de utero exitur,  
cum peccator, quæ in occulto commiserit, hæc  
etiam in aperto committere non erubescit. Quasi  
enim ab occultationis suæ vulva processerant, de  
quibus propheta dicebat: *Et peccatum suum quasi  
Sodoma prædicaverunt* (Isa. 11, 9). *Cur exceptus ge-  
nibus?* Nimirum peccator, cum jam de iniquitate  
sua non confunditur, in iniquitate eadem etiam ad-  
miniculis pessimæ consuetudinis roboratur. Quasi  
enim genibus peccator foditur, ut crescat, dum  
culpa consuetudinibus firmatur ut vigeat. *Cur lac-  
tatus uberibus?* Quia dum prodire culpa in usum  
cœperit, nimirum se vel falsa spe divinæ miseri-  
cordiæ, vel aperta miseria desperationis pascit, ut  
eo nequaquam ad correctionem redeat, quo vel  
factorem suum pium sibi simulat, vel hoc quod fe-  
cit inordinate formidat. Bæstus igitur vir huma-  
ni generis lapsus aspicit, et quibus præcipitiis  
mersum sit in foveam iniquitatis, intendit dicens:  
*Quare non in vulva mortuus sum?* Id est in ipsa oc-  
cultâ perpetratione peccati, cur a carnis vita mor-  
tificare me nolui? *Et egressus ex utero non statim  
perii?* Id est postquam ad apertam iniquitatem  
exiit, cur me tunc saltem perditum non cognovi?

**299** Perisset quippe in suo iudicio, si se perdi-  
tum cognovisset. *Cur exceptus genibus?* Id est etiam  
post apertam culpam, cur me adhuc in illa etiam  
consuetudo suscepit, ut valentior ad nequitias  
redderet, et pravis me visibus sustinens foveret?  
*Cur lactatus uberibus?* Id est postquam in culpæ  
consuetudinem veni, cur me ad atrocioram nequi-  
tiam, vel falsæ spei fiducia, vel lacte miseræ des-  
perationis enutrivit?

(352) Uberum nomine sancti prædicatores de-  
signantur, sicut in Canticis canticorum sponso de  
ipsis dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino* (Cant. 1,  
4). Ista enim sunt ubera, quæ in arca Dominici  
pectoris fixa, lacte nos potant: quia ipsi arcanis  
summæ contemplationis inhærentes, subtili nos  
prædicatione nutriunt.

#### CAPUT XLV.

##### DE MAMMIS.

(353) Mammarum nomine erroris prædicatione de-  
signatur, sicut testatur qui pravorum prædicatorum  
sub Antichristo licentiam locutionis long ante in-

(352) Ex c. x, l. xxx, in Job, 22.

(353) Ex c. 11, lib. xix, in Job, 15.

tuens ait: *Sed et lamie nudaverunt mammam, lac-  
taverunt catulos suos* (Thren. iv, 3). Quid namque  
lamias visis hæreticos appellat, humanam quidem  
faciem, sed belluina per impietatem corda gestan-  
tes? Quia ergo illo tempore, vel quando sancta  
Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque  
prædicatoribus licentia locutionis datur, bene di-  
citur: *Lamie mammam nudaverunt*, quia errorem  
suum pravi prædicatores libere prædicant. Tunc ca-  
tulos lactant, quia male sequaces parvulorum ani-  
mas, dum perversa insinuant, ad impietatem nu-  
triendo confirmant.

#### 300 CAPUT XLVI.

##### DE COSTIS.

(354) Costarum nomine animi sensus designan-  
tur, sicut in libro beati Job per Eliphaz de iniquo  
dicitur: *Attenuetur fame robur ejus, et inedia inva-  
dat costas illius* (Job xviii, 12). Scripturæ sacræ  
more optare videtur, quod prævidet futurum, sci-  
licet non maledicentis animo, sed prædicentis. Om-  
nis itaque homo qui ex anima et carne consistit,  
quasi ex robore et infirmitate compositus est. Ex  
ea enim parte, qua spiritus rationalis est conditus  
non incongrue dicitur robustus; ex ea vero, qua  
carnalis est, infirmus est. Robur ergo hominis est  
anima rationalis, quæ impugnantibus vitiis resis-  
tere per rationem valet, hujus autem iniqui robur  
fame attenuatur, quia ejus anima, nulla interni ci-  
bi refectio pascitur. De qua scilicet fame Deus  
per prophetam loquitur: *Immittam famem in ter-  
ram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed au-  
diendi verbum Dei*. Bene autem subditur: *Inedia  
invadat costas illius*. Costæ enim uniuscujusque  
sunt sensus animæ, qui latentes cogitationes mu-  
niant. Inedia igitur invadit costas, quando omni  
spirituali refectioe subtracta sensus mentis defi-  
ciunt, et cogitationes suas regere, vel tueri non  
possunt. Inedia invadit iniqui costas, quia fames  
interna sensus mentis extenuat, ut cogitationes  
suas nullatenus regat. Nam dum sensus mentis  
obtusi fuerint, cogitationes ad exteriora prodeunt,  
et quasi costis infirmantibus ea, quæ in occulto  
sana latere poterant, foras viscera funduntur. Unde  
fit ut, cogitationibus exterius sparsis, exterioris  
D gloriæ specie deceptus appetat animus, nihilque  
diligit, nisi quod pulchrum foris viderit.

#### 301 CAPUT XLVII.

##### DE UTERO.

(355) Uteri nomine secretus gratiæ Dei sinus de-  
signatur, sicut voce Dominica ad beatum Job sub  
interrogatione dicitur: *De cujus utero egressa est  
glacies* (Job xxxviii, 29). Quid enim in utero, nisi  
sinus gratiæ accipitur? Quid in glacie nisi frigida,  
et perfidiæ torpore constricta intelligimus corda Ju-  
dæorum? Qui quondam per acceptionem legis,  
per custodiam mandatorum, per ministeria prophe-  
tiæ sic intra sinum gratiæ quasi intra uterum

(354) Ex c. vii, l. xiv, in Job.

(355) Ex c. xv, l. xxxix, in Job, 20.

Creatoris habebantur. Sed quia veniente Domino A  
 constricti frigore perfidiae fervorem fidei et charita-  
 tis amiserunt, a secreto gratia Dei sinu projecti,  
 quasi glacies de utero Creatoris egressi sunt. Quasi  
 enim glacies de Dei utero egreditur, quando hi qui  
 intus incaluerant ex virtutum dono, frigescent.  
 (356) Mentis namque hominum omnipotens Deus  
 dum in suo timore format, quasi concipit; easque  
 ad apertas virtutes dum provehit, gignit. Sed si de  
 acceptis virtutibus extolluntur, relinquit. Et saepe  
 quosdam cognovimus malorum suorum considera-  
 tione compungi, divini terroris savorum fervere,  
 et per pavoris exordia usque ad summa virtutum  
 pervenire; sed dum de eisdem virtutibus, quas ac-  
 cipiunt, extolluntur; inanis gloriae laqueo astricti,  
 ad antiquum torporem redeunt. Et inde exteriorum  
 gloriam torpentes appetunt, unde ad interna dili-  
 genda ardentius flagrare debuerunt. Dumque iste  
 signis, ille scientia, iste prophetia, ille magnis ope-  
 ribus pollet, atque per haec dona placere homini-  
 bus appetunt, omne quod prius intimum caluerat,  
 exteriorum laudem diligentes in torporem vertunt.  
 Quasi ergo glacies, de utero egreditur, dum post  
 donorum beneficia a visceribus supernae pietatis se-  
 parantur.

(357) Uteri nomine, Dei consilium intelligitur, ut  
 testatur ipse, qui per beatum Job loquitur dicens: *Et*  
*orabam filios uteri mei* (Job xix, 17). In Deo, qui forma  
 non **302** circumscribitur, membra corporis, id est  
 manus, oculus, uterus ita nominantur, ut ex membro C  
 rum vocabulis effectus ejus potentiae designatur.  
 Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt;  
 manus quippe habere describitur, quia cuncta ope-  
 rat; in utero autem proles concipitur quae in hac  
 vita profertur. Quid ergo uterum Dei nisi ejus con-  
 silium debemus accipere, in quo ante saecula per  
 praedestinationem concepti sumus, ita ut creati per  
 saecula perducamur? Dominus ergo qui manet ante  
 saecula, uteri sui filios oravit, quia eos, quos poten-  
 ter per divinitatem condidit, incarnatus veniens  
 humiliter rogavit.

(358) Uteri nomine, mens designatur, sicut per Eli-  
 phaz de hypocrita dicitur: *Concepit dolorem, et pepe-*  
*rit iniquitatem; et uterus etiam praeparat dolos* (Job  
 xv, 35). Mens hypocritae dolorem concipit, cum per-  
 versa cogitat; iniquitatem parit, cum explere coeperit,  
 quod cogitavit; invidendo dolorem concipit, dero-  
 gando iniquitatem parit: gravis quippe est iniqui-  
 tas, quando is qui perversus est ostendere alios per-  
 versos molitur, ut inde ipse, quasi sanctus appa-  
 reat, quod alios sanctos non esse docuerit. Uteri  
 vero nomine recte mens accipitur, quia sicut pro-  
 les in utero concipitur, sic cogitatio in mente ge-  
 neratur, et sicut in ventre cibi, ita continentur in  
 mente cogitationes. Uterus itaque hypocritae praepa-  
 rat dolos, quia tanto super majorem malitiam contra  
 proximos in mente concipit, quanto solus praem-

nibus videri innocentior quaerit. Mens namque hy-  
 pocritae nunquam vacat a malitiae cogitatione. Nam  
 sive terrena quaeque, seu laudem appetat, haec aliis  
 invidet, quae sibi retribuere anhelat. Et tanto caeteros  
 ostendere perversos molitur, quanto videri sanctorum  
 hominibus appetit, ut ex eo quod alii despicibiles  
 fiunt, ipse reverentior semper appareat. Unde fit ut  
 de opinione proximi ante humana judicium linguae  
 suae laqueos praetendat, ut eorum quibus placere  
 appetit, solus aestimationem capiat.

### 303 CAPUT XLVIII.

DE VENTRE.

*In Scriptura sacra ventris nomine aliquando mens,*  
*aliquando avaritia, aliquando opus luxuriae, ali-*  
*quando infirmitas nostra intelligitur.*

(359) Ventris nomine mens designatur, sicut voce  
 Dominica ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis,*  
*venter tuus comedit, et viscera tua replebuntur volu-*  
*mine isto, quod ego do tibi* (Ezech. iii, 3). Quid  
 enim ventris nomine, nisi mens accipitur? Unde et  
 per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum, ventrem*  
*meum doleo* (Jer. iv, 19). Quod, quia de spirituali,  
 et non de corporeo ventre dixerat, adjunxit: *Sensus*  
*cordis mei conturbati sunt* (ibid.). Neque enim ad  
 salutem populi pertinebat, si propheta ventrem  
 corporeum se dolere predicaret. Sed ventrem do-  
 luit, qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exem-  
 plum prophetae proferimus, cum testimonium Do-  
 mini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per  
 semetipsam veritas loquitur, propheta taceat, quia  
 lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim:  
*Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de*  
*ventre ejus fluent aquae vitae* (Joan. vii, 38). Quia de  
 mente fidelium sanctae praedicationis verba defluunt,  
 quasi de ventre credentium aquae vitae flumina  
 decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud  
 nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum  
 desiderium, humilis ad Dominum, pia ad proxi-  
 mum voluntas? Unde recte nunc dicitur: *Venter*  
*tuus comedit, et viscera tua replebuntur*; quia cum  
 mens nostra pabulum veritatis accipit, interna no-  
 stra non jam vacua remanent, sed alimento vitae sa-  
 tiata. Multi autem legunt, et ab ipsa lectione je-  
 juni sunt. Multi vocem praedicationis audiunt, sed  
 post vocem vacui recedunt. Quorum etsi venter co-  
 medit, viscera non replentur, quia etsi mente in-  
 tellectum sacri **304** verbi percipiunt, obliviscendo  
 et non servando quae audierint, haec in cordis visce-  
 ribus non reponunt. Hinc est quod per prophe-  
 tam alium quosdam Dominus increpat dicens: *Po-*  
*nite corda vestra super vias vestras. Seminastis*  
*multum, et intulistis parum. Comedistis, et non estis*  
*satiati. Bibistis, et non estis inebriati* (Agg. i, 6).  
 Multum quippe cordi seminat, sed parum infert, qui  
 de mandatis caelestibus vel legendo, vel etiam au-  
 diendo multa cognoscit; sed negligenter operando  
 pauca fructificat. Comedit, et non satiatur, qui

(356) Haec sunt circiter medium.

(357) Haec ex c. xxii, l. xiv in Job.

(358) Ex c. xxv lib. in Job, 28.

(359) Ex hom. 40 in Ez., longiuscule a principio.

verba Dei audiens, lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Et bene non satiari dicitur, quia aliud mandit, et aliud esurit; bibit, et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt hujus sæculi adipisci desiderat, bibit, et inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, ut jam terrena non quæreret, jam vana et transitoria quæ amaverit non amaret. De electis namque per Psalmistam dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ (Psal. xxxv, 9)*, quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibi metipsis extranei esse videantur implentes quod scriptum est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum (Matth. xvi, 24)*. Semetipsum namque abnegat, qui mutatur ad meliora, et incipit esse, quod non erat, et desinit esse quod erat.

(360) Ventris nomine avaritia designatur, sicut in libro beati Job per Sophar de iniquo dicitur: *Confringens nudavit pauperis domum: Rapuit, et non ædificavit eam, nec est satiatus venter ejus (Job xx, 19)*. Domum pauperis confringit, et nudat, qui eum quem per potentiam conterit, exspoliare quoque per avaritiam non erubescit. Rapit eam, et non ædificat. Ac si aperte diceretur: *Qui hanc ædificare debuit insuper rapit. Venturus in iudicium Dominus dicturus est reprobis: Esurivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me, etc. (Matth. xxv, 41)*. Ex culpa subjungitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus (ibid.)*. Si igitur tanta pœna multatur, qui non dedisse **305** convincitur, qua pœna feriendus est, qui redarguitur abstulisse. Rapuit ergo, non ædificavit eam, quia non solum de suo nihil tribuit, sed etiam quod erat alienum tulit. Bene autem subditur: *Nec est satiatus venter ejus*. Venter quippe iniqui avaritia est, quia in ipsa colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liqueat vero quia avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari.

Ventris nomine opus luxuriæ designatur, sicut serpenti voce Dominica dicitur: *Pectore et ventre repes (Gen. iii, 14, juxta LXX)*. Require in capite supra 43, De pectore.

(361) Ventris nomine infirmitas nostra designatur sicut sponsæ voce Canticis canticorum dicitur: *Dilectus meus misit manum suam per foramen et venter meus intremuit ad tactum ejus (Cant. iii, 4)*. Dilectus meus etenim manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus animum nostrum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius

contremiscit, quia infirmitas nostra, per hoc quod in cœlestis gaudii intellectu frangitur, ipsa sua exultatione turbatur. Et sit in mente pavor cum lætitia, quia etsi jam sentit quid de cœlesti gaudio diligat, adhuc tamen metuit, ne non percat, quod vix tenuiter sentit.

## CAPUT XLIX.

## DE INTESTINIS.

(362) Intestinorum nomine occulta et mystica Dei mandata designantur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur: *Caput cum pedibus, et intestinis vorabitis (Exod. xii, 9)*. Quid enim per agnum nisi Redemptor? Redemptor noster est Deus videlicet ante sæcula, et homo in fine sæculorum. Caput ergo agni vorare est divinitatem illius fide percipere. Pedes vero agni vorare est vestigia humilitatis amando, et imitando perquirere. **306** Quid vero sunt ejus intestina, nisi verborum ejus occulta et mystica mandata? Quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus.

## CAPUT L.

## DE VISCERIBUS.

(363) Viscerum nomine hi qui spiritualibus sacramentis in Ecclesia deserviunt designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur: *Et effudit in terram viscera mea (Job xvi, 14)*. Quid enim aliud sanctæ Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes, qui ejus quædam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deserviunt? Sed antiquus adversarius, cum fideles quosdam, qui interioribus sacramentis deservire videbantur, ad sæcularia negotia pertrahit, ejus procul dubio viscera in terram fundit, quia illos in rebus infimis conculcat, qui prius in occultis et spiritualibus latebant.

## CAPUT LI.

## DE UMBILICO.

(364) Umbilici nomine luxuria designatur, sicut propheta testatur, qui sub specie feminæ prostitutæ Judææ petulantiam increpans ait: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus (Ezech. xvi, 4)*. In die quippe ortus umbilicum præcidere est conversionis tempore carnis luxuriam rescare. Quia enim difficile est male inchoata corrigere, et semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur, quæ dum Judæo nata est, imprecisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuriæ non abscidit. Hinc iterum voce Dominica ad beatum Job de diabolo dicitur: *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus ejus in umbilico ventris ejus (Job xl, 11)*. Seminaria quippe coitus viris in lumbis esse, inesse autem feminis in umbilico perhibetur. Quia igitur potestate diaboli utriusque generis sexus valde **307** ex luxuriæ infirmitate subster-nitur; fortitudo ejus in lumbis contra masculos, et

(360) Ex c. xii, lib. xv, in Job.

(361) Ex hom. 19, in Ezech., med. circiter.

(362) Ex hom. 22, in Evang.

(363) Ex l. xiiii, in Job, c. vi, 10.

(364) Ex c. xi, l. xxxii, in Job.

virtus illius, contra feminas in umbilico esse perhibetur.

## CAPUT LIH.

## DE LUMBIS.

*In Scriptura sacra lumborum nomine aliquando propago mortalitatis, aliquando luxuria, aliquando laudis appetitus intelligitur.*

(365) Lumborum nomine propago mortalitatis designatur, sicut per Ezechielem de Redemptore nostro dicitur: *Velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum, a lumbis ejus et desuper; et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu (Ezech. 1, 27).* Quid est enim quod mediator Dei et hominum homo Christus Jesus a lumbis, et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis et deorsum speciem ignis splendentis per circuitum? Investigandum namque quare a lumbis, et desuper ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur; a lumbis vero, et deorsum habere ignis speciem dicitur, non tamen hunc habere intrinsecus memoratur, quia splendentem et in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam et Levi dicitur quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abraham: De lumbis vero Abraham: Virgo Maria exiit, in cujus utero unigenitus Patris per Spiritum sanctam incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus sicut per Psalmistam dicitur: *Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime (Psal. XLIV, 4).* Gladium etenim circa femur potentissimus sumpsit, quia sermo ejus prædicationis illius ex ipsius incarnatione convaluit. Quid **308** vero iste ignis designat nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda quæ repleverit, incendit? De quo ipsa Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur?* Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis, qui prophetæ apparuit, a lumbis superius, intrinsecus per circuitum ignis ardet; a lumbis vero inferius non ignis intrinsecus, sed in circuitu resplendet, nisi quod ante incarnationem Unigeniti, Redemptoris nostri, sola intra se Judæa ardorem amoris ejus habuit, post incarnationem vero illius in circuitu ejus ignis resplenduit, quia in universo mundo gentibus claritatem sancti Spiritus effudit? Prius ergo intrinsecus ignis erat, sed splendor non erat, quia Spiritus sanctus in multis quidem partibus Judæam replebat, sed ad notitiam gentium nondum ejus lumen emicuerat. A lumbis vero ejus, et deorsum ignis in circuitu splendet, quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona dilatavit. Et notandum quod ignis iste a lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus, sed intrinsecus, quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis atque spiritualibus viris ubique

in suis finibus Judæam replevit. Nec tamen exhibit extrinsecus, quia sese in multitudinem gentium non dilatabat. Quæ ardoris flamma visa est postmodum in circuitu splendere, quia per mundi cardines in universis gentibus omnipotentis Dei amor coepit excrescere. Erat ergo prius ignis intrinsecus, cum Jacob diceret: *Salutare tuum exspectabo, Domine (Gen. XLIX, 8).* Quod enim salutare dicimus Latine, verbo Hebraico Jesus dicitur. In quo verbo beati Jacob mens ostenditur, quomodo Jesu desiderio ardebat, quem se moriens exspectare perhibebat. Ardebat ignis, cum Moyses diceret: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, ut videam te (Exod. xxxiv, 9).* Ardebat ignis in mente, cum David diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum. Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? (Psal. xli, 5.)* Qui incarnationem Verbi desiderans, ait: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (Psal. LXXXIV, 8).* Ardebat ignis cum Simeon de corruptione vitæ præsentis exire desiderans, audivit *non prius se visurum mortem, nisi **309** videret christum Domini (Luc. 11, 26).* Sed ecce jam ignis iste quasi sub lumbis exterius resplendet, quia universa gentilitas incarnati Dei est amore succensa. Et quia ejus membra sunt electi angeli in cælo, ejus membra sunt conversi homines in terra. Unus homo est qui, et super lumbos ardet intrinsecus, et sub lumbis inferius ignis exi splendorem in circuitu emittit, quia et angelos ad amorem suum per divinitatem tenuit, et homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate revocavit.

(366) Lumborum nomine luxuria designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ sanctæ dicitur: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos (Job xvi, 14).* Sancta quippe Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum jaculis impetitur. Bene autem lanceis circumdari dicitur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. Et quia omne peccatum hostis quidem callidus suadet, sed nos ejus suasionibus consentiendo perpetramus, aperte subjungitur: *Convulneravit lumbos meos.* In lumbis quippe luxuria est: Cum ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc procul dubio in lumbis ferit. Ubi quoque notandum est quod non ait: *Vulneravit;* sed *convulneravit lumbos meos.* Sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui duorum vel fortasse multorum, sic antiquus hostis nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit; nequam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus: et quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.

Lumborum nomine laudis appetitus designatur,

(365) Ex hom. 8, in Ezech. longe post meum.

(366) Ex l. XIII, in Job. c. xvi in medio, 19.

sicut ad beatum Job dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos (Job xxxviii, 5)*, consule lib. iv, cap. 2, supra.

### 310 CAPUT LIH.

#### DE RENIBUS.

(367) Renum nomine voluptas carnis designatur, sicut per Moysen de commestione agni dicitur : *Re-nes vestros accingetis (Exod. xii, 11)*. Quid enim in renibus nisi delectatio carnis accipitur? Unde et Psalmista postulat dicens : *Ure renes meos (Psal. xxv, 2)*. Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos viri minime petisset. Qui igitur Pascha comedit, habere renes accinctos debet, ut qui solemnitate resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subiaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Neque enim cognovit, quæ sit solemnitas incorruptionis qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet.

### CAPUT LIV.

#### DE FEMORE.

(368) Femoris nomine voluptas carnis designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Postquam convertisti me, egi penitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum (Jer. xxxi, 19)*. Quid enim in femore nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait, *postquam ostendisti mihi percussi femur meum*, nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, exstinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima, quæ tenuerat, non liberent? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto et iuchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis omnis caro simul Pauli interierat, cum dicebat : *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus (Gal. ii, 20)*. Hinc per Salomonem dicitur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos (Cant. i, 8) (369)*. Nocturni quippe timores sunt insidiæ temptationis occultæ. Ensis autem super femur est custodia **311** vigilans, carnis illecebram premens. Ne ergo nocturnus timor, id est occulta et repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat. Hinc est enim quod angelus cum quo Jacob luctabatur nervum femoris ejus tenuit, eumque marcescere statim fecit. Designat autem angelus Domini et Jacob, qui cum angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri et in contemplatione positi animam. Quæ videlicet anima contemplari Dominum nititur, velut in quodam certamine posita modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo de incircumscripso lumine aliud degustat : modo succumbit, quia et degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus angelus nervum femo-

ris Jacob tenuit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede, quia scilicet omnipotens Deus, cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, et Deum videbamur quærere et sæculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei unus in nobis pes sanus remanet, et alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore sæculi convalescat ad amorem Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet, quia, et cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris tota virtute se sustinet. Et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat.

Femoris nomine propagatio carnis designatur, sicut de Domino dicitur : *Habebat in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium (Apoc. xix, 16)*. Quid enim vestimentum ejus est, nisi corpus quod assumpsit ex Virgine? Nec tamen aliud ejus vestimentum est atque aliud ipse. Nam nostrum quoque **312** vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur. Per femur vero propagatio carnis intelligitur. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Mattheo vel Luca narrantibus describuntur (*Matth. i; Luc. iii*), in hunc mundum venit ex Virgine, et per incarnationis suæ mysterium, quia rex esset et Dominus cunctis gentibus indicavit, in vestimento et in femore scriptum habuit, *Rex regum et Dominus dominantium*. Unde enim in mundo innotuit, ibi selectionis scientiam infixit.

### CAPUT LV.

#### DE GENIBUS.

*In Scriptura sacra genuum nomine aliquando opera designantur, aliquando sensus spiritus.*

(370) Genuum nomine opera designantur, sicut per Paulum quibusdam dissolute viventibus dicitur : *Remissas manus, et dissoluta genua erigite; et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. xii, 12)*. Hinc iterum Gedeoni divina admonitione præceptum est ut ad fluvium veniens omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret a bellorum conflictu removeret. Ducti ergo sunt ad fluvium, ut aquas biberent, et qui aquas flexis genibus hauserunt, a bellica intentione remoti sunt (*Judic. vii*). Gedeon namque ad prælium veniens Redemptoris nostri signat adventum. De quo scriptum est : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (Psal.*

(367) Ex hom. 22 in Evang. post med.

(368) Ex l. xxiv in Job, c. xii.

(369) Ex l. xx, in Job, c. v.

(370) Ex c. xvii, l. xxx in Job.

xxiii, 9). Gedeon namque interpretatur *circuiens in utero*, Dominus enim noster per majestatis potentiam, omnia circumplectitur, et tamen per dispensationis gratiam, intra uterum Virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circuiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, **313** et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero incarnatus est, et clausus non est, quia intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur *de judicio*. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit. Et idcirco de judicio vocatur, quia alieni a gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon pergit ad prælium. Aquis namque doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recesserunt, quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluentia hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquas, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt. Reprobati que sunt, qui genua dum aquas biberent, inflexerunt, quia attestante Paulo : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (Rom. ii, 13). Hi igitur Christo duce ad bellum prodeunt qui hoc quod ore annuntiant, opere ostendunt; qui fluentia doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter inflectuntur, quia sicut scriptum est : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (Eccli. xv, 9).

Genuum nomine sensus spiritus, vel peccandi consuetudines designantur, sicut beatus Job in persona pœnitentis convertitur dicens : *Quare non in vulva mortuus sum : egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus?* (Job iii, 12.) Relege cap. 4 supra.

### 314 CAPUT LVI.

#### DE PEDIBUS.

In Scriptura sacra cum pes singulariter ponitur, aliquando is qui opitulando sustentat, aliquando sancti apostoli, aliquando is qui ad injuncta currit, designatur; cum vero pluraliter pedes dicuntur, aliquando extrema sanctæ Ecclesiæ membra, aliquando sancti prædicatores, vel infirmorum operum ministri, aliquando gressus actuum, aliquando vestigia Christi, aliquando duo amores, Dei videlicet et sæculi, aliquando cogitationes intelliguntur.

Pedis nomine, is qui opitulando sustentat, designatur : sicut per beatum Job dicitur : *Oculus sui cæco, et pes claudo* (Job xxix, 15). Require in cap. De oculo, supra cap. 10.

(371) Pedis nomine sancti apostoli designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante,*

(371) Ex l. xviii in Job, c. xix, longiuscule a principio.

*A eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et invius* (Job xxviii, 3). Quis enim hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur : *Qui propter nos egenus factus est cum dives esset* (II Cor. viii, 9). Cujus videlicet egentis hominis pedes sancti apostoli fuerunt, per quorum præsentiam gentilitatem circumiens mundum perambulavit universum. De quibus per Prophetam : *Et inambulabo in eis* (Levit. xxvi, 12). **315** An pes ejus non erat, qui in compedibus tentus dicebat : *Pro quo legatione fungor in catena* (Ephes. vi, 20). Sed eorum qui umbra mortis et lapis caliginis exstiterunt, pes hominis egentis oblitus est, quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti apostoli celorum regnum Judææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluerunt, sicut ipsi in suis Actibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (Act. xiii, 46). De quibus per Psalmistam dicitur : *Transferentur montes in cor maris* (Psal. xlv, 3). Quia repulsi a Judæa apostoli in hoc gentilitatis salum translati sunt. Qui sunt ergo qui immensa duritia pro obscuritate cordis quasi quidam lapis caliginis, et umbra mortis, a peregrinante sanctorum populo dividuntur, nisi hi quos oblitus est pes egentis hominis, id est quos prædicatores Domini videlicet per humilitatem pauperis pro superbix suæ timore reliquerunt, eorumque omnino obliti sunt, dum prædicationis suæ semina ad solam fructificationem gentium transtulerunt? Quos recte quoque et invios vocat : quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt.

(372) Pedis nomine is, qui ad injuncta currit, designatur, sicut per Paulum dicitur : *Corpus membrum unum non est, sed multum. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore : non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi est auditus? Si totum auditus : ubi odoratus?* (I Cor. xii, 14-17.) Et paulo post : *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus* (ibid. xix, 20). Quid enim sancta Ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo, oculus; alius recta operando, manus; alius ad injuncta currendo, pes; alius præceptorum vocem intelligendo, auris; alius malorum fetorem honorumque fragrantiam discernendo, naris est. Qui corporalium more membrorum dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et cum diversa in charitate **316** peragunt, diversum esse perhibent, ubi continentur. Si autem unum quid omnes agerent, corpus utique quod ex multis

(372) Ex l. xxx in Job, c. vi.

continetur, non essent : quia videlicet multipliciter A compactum non existeret, si hoc concurs membrorum diversitas non teneret.

(373) Pedum nomine extrema sanctæ Ecclesiæ membra designantur, sicut per beatum Job sancta Ecclesia de infirmorum subversione conqueritur dicens : *Pedes meos subverterunt, et oppræsserunt quasi fluctibus, semitis suis (Job xxx, 12)*. Quid enim per pedes Ecclesiæ, nisi extrema illius membra signantur? Quæ dum ad opera terrena deserviunt, tanto celerius ab adversariis falli possunt, quanto sublimia minus intelligunt. Hos itaque pedes adversarii subvertunt, quia videlicet extrema Ecclesiæ membra ad sui dogmatis errorem trahunt, subversi autem pedes viam tenere nequeunt, quia infirmi quique persecutorum suorum vel promissionibus persuasi, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, ab itinere recto deviantur. Bene autem adversariorum semita fluctibus comparatur, cum dicitur : *Et oppræsserunt quasi fluctibus semitis suis* : Quia scilicet vita pravorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendam, ut ita dixerim, navem cordis quasi tempestas illabatur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur : *Quasi tempestas transiens non erit impius (Prov. x, 25)*. Cumque infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus, unda miseræ imitationis mergit.

(374) Pedum nomine vel sancti prædicatores, vel inferiorum operum ministri designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Quando lavabam pedes meos butyro (Job xxix, 6)*. Quia Christum et Ecclesiam unam esse personam crebro jam diximus, illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitæ corpus : aliter hæc verba juxta vocem capitæ accipi, atque aliter juxta vocem corporis debent. Quos ergo pedes Domini nisi prædicatores accipimus? De quibus dicit : *Et inambulabo in eis (II Cor. vi, 16)*. Butyro ergo pedes lavantur, quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. **317** Etenim vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admissio. Nam quilibet prædicans, aut ad quantalameunque indignationem trahitur, si contemnitur; aut ad quantalameunque gloriam, si ab audientibus veneratur. Unde et apostolis pedes loti sunt, ut a quolibet parvo contagio in ipsa prædicatione contracto quasi quodam in itinere collecto pulvere mundarentur. Et beatus Jacobus dicit : *Nolite plures magistri fieri fratres mei (Jac. iii, 1)*. Et paulo post : *In multis enim offendimus omnes (ibid., 2)*. Pedes ergo lavantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur, atque mundatur pulvis collectus de gloria prædicationis. Si autem sentire ista ex voce solius corporis debemus, nimirum pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri. Qui dum ad usus necessarios ea quæ sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terræ inhaerent. Sed debent hi qui præsent, qui doctrinæ studio in-

(373) Ex c. xix, lib. xx in Job, 21.

(374) Ex l. xix in Job, c. x.

vigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam vocando percipiunt crebræ admonitionis voce infusionem pinguedinis ministrare. Nam quia in uno corpore invicem pro se membra sollicita sunt, sicut illorum ministeriis nostra fulciuntur, ita necesse est ut nostris studiis illorum interiora repleantur. Quando igitur sancti doctores quibusdam ad extrema ministeria deditis unctionem Dominicæ Incarnationis prædicant, butyro eloquii pedes lavant. Solent etiam pedes ipsa itineris asperitate lacerari. Unde et omnino difficile est in terrenis actionibus hujus vitæ iter agere, et nulla ex labore itineris vulnera sustinere. Cum ergo vigilantes præpositi auditores suos curis exterioribus intentos ad cor revocant, ut quæ inter ipsa licita opera admiserunt, mala cognoscant, et quæ cognoverint desceant, pedes butyro lavant, quia eorum vulneribus penitentiam unguenta subministrant.

(375) Pedum nomine gressus actuum designantur, sicut per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur : *Pedes eorum pedes recti (Ezech. i, 7)*. Quid enim per pedes, nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes Christi esso describuntur, quia sanctorum evangelistarum **318** atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta; hi autem pedes rectos non habent qui ad mala mundi quæ reliquerunt, reflectuntur. De quibus scriptum est : *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti (II Petr. ii, 22)*. Dolebat de quibusdam doctor egregius quod pedum rectitudinem retro retorserant, quibus per increpationem dicebat : *Quomodo convertimini iterum, ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et annos et tempora, et timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis (Gal. iv, 9)*. Qui alios admonet dicens : *Remissus manus, et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. xii, 12)*.

(376) Pedum nomine vestigia Christi designantur, sicut de muliere illa peccatrice in Evangelio dicitur quod retro secus pedes Domini stetit (*Luc. vii, 38*). Contra pedes enim Domini stamus cum in peccatis positi, ejus itineribus renitimur. Sed si ad veram pœnitentiam post peccata convertimur, jam retro secus pedes Domini stamus, quia ejus vestigia sequimur quem impugnabamus.

Pedum nomine duo amores, Dei scilicet amor et sæculi designantur, sicut sacra historia testatur, quæ beatum Jacob cum Evangelio luctatum narrat: qui et nervum femoris ejus tenuit, eumque statim marcescere fecit, atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede? (*Gen. xxxii*). Quasi enim duo pedes sunt amor Dei et amor sæculi : et quasi duobus pedibus imitatur, cum Deum videmur quærere, et sæculum tenere. Sed omnipotens Deus, cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur omnem in nobis voluptatem carnis arefacit, et sic post agui-

(375) Ex hom. 3 in Ezech.

(376) In medio hom. 58 in Evang.



tionem suavitatis ejus unus in nobis pes sanus remanet, et alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore sæculi convalescamus ad amorem Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum arescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli pedi innititur quem sanum habet, quia cum terrenum desiderium **319** jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat jam a terra suspensum portat.

(377) Pedum nomine cogitationes designantur, sicut in Evangelio legitur, quod sanctis apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit (*Joan. xiii*). Per pedes enim cogitationes accipiuntur, quia plerumque et in bono opere peccati pulvis contrahitur, et inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Recte Dominus apostolis post prædicationem pedes lavit, ne quo peccati contagio ex ipsa prædicationis gratia mens in occulto pollueretur, ne sibi quæ ageret tribueret, ne sibi tribuendo quæ agebat amitteret. Nam sæpe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamlibet tenuiter sese intrinsecus, quia per eos prædicationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi post prædicationis gloriam cogitationum pulverem tergere, **C** gressusque cordis ab interna elatione mundare?

#### CAPUT LVII.

DE TALO.

(378) Talorum nomine prima boni operis vestigia designantur, sicut Ezechiel figurata narratione denuntiat, qui de eo viro quem in excelso monte videt narrat, dicens: *Mensus est cubitis mille; et traduxit me per aquam usque ad talos. Rursusque mensus est mille, et traduxit me usque ad genua, et mensus est mille, et traduxit me per aquas usque ad renes; et mensus est mille, et traduxit me per torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari* (*Ezech. xlvi*). Quid namque millenario numero, nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque, qui apparuit, mille cubitis metitur, et propheta per **320** aquas usque ad talos ducitur, quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritualis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire est jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursus mille metitur, et propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in pravis

(377) Hæc ex principio cap. xix in Job, quæ etiam retulit rapsodiæ suæ in Joannem, cap. xxxi, sed in codicibus Gregor. qui exstant, non habetur sententia tam integra.

A jam actibus minime flectatur. Hinc namque per Paulum dicitur: *Remissas manus, et dissoluta genua erigite: et gressus rectos facite* (*Hebr. xii, 12*). Aqua ergo usque ad genu pervenit, cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, et propheta usque ad renes per aquam ducitur, quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit, quando in nobis percepta sapientia omnem, quantum possibile est, delectationem carnis exstinxit. Nisi enim delectatio carnis esset in renibus Psalmista non diceret: *Urenes meos et cor meum* (*Psal. xv, 2*). Aqua usque ad renes venit, cum dulcedo sapientiæ etiam incentiva carnis interimit, ut ea quæ urere mentem poterant, dilectionis incendia frigescant. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicit. *Quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari*. Percepta namque perfectione operis ad contemplationem pervenitur. In qua scilicet contemplatione dum mens in altum ducitur: sublevata videt in Deo quia non potest penetrare quod videt, et quasi tangit aquam torrentis quam pertransire non potest, quia et intuetur spectando quæ libeat, et tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quodlibet. Propheta ergo ad aquam, quandoque pervenit, quam non pertransit, quia ad contemplationem sapientiæ cum ad extremum ducimur ipsa ejus immensitas, quæ ex se hominem sublevat, ad se, humano animo plenam agnitionem, negat, ut hanc et tangendo amet, et nequaquam pertranseundo penetret.

(379) Tali nomine vitæ terminus designatur: unde Joseph qui inter fratres usque ad finem justus perseverasse **321** describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur (*Gen. xxxvii, 3*). Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis tegit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum regit.

#### CAPUT LVIII.

DE CALCNEO.

Calcanei nomine finis actionis nostræ designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Ipsi calcaneum observabunt* (*Psal. lv, 7*). Relege cap. 4, supra.

#### CAPUT LIX.

DE PLANTA.

*In Scriptura sacra plantæ nomine aliquando primus justus, id est Abel, aliquando actio vitæ, aliquando finis vitæ intelligitur.*

(380) Plantæ nomine primus justus, id est Abel designatur, sicut de beato Job in persona Domini dicitur: *Egressus Satan a facie Domini percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem* (*Job. ii, 7*). Nullus in hanc vitam electorum venit, qui non hujus adversa sustinuit, membra autem

(378) Ex cap. xiv, l. xxii, in Job, post medium **22**.

(379) Ex c. xlii, l. i in Job.

(380) Ex c. ii, l. iii in Job, post med.



nostri Redemptoris exstiterunt, etiam qui ab ipso mundi exordio dum pie vivunt, crudelia passi sunt. An non hujus membrum Abel esse perhibuit, qui ejus mortem, de quo scriptum est : *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (Isa. LIII, 7), non solum placens in sacrificio, sed etiam moriens tacendo significavit? Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit.

**322** (381) Plantæ nomine actio vitæ designatur, sicut de sanctis animalibus, per Ezechielem dicitur : *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli* (Ezech. I, 7). Quia enim prædicatores sancti boum nomine designentur, docet apostolus sanctus Paulus legis testimonium exponens : *Non alligabis os bovi trituranti* (I Tim. V, 18). In sanctis ergo prædicatoribus, planta pedis, est planta vituli scilicet mature incedens, fortis et divisa, quia unusquisque prædicator sanctus, et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et in divisione unguulæ discretionem. Non enim facile ejus prædicatio accipitur, si levis in moribus esse videatur, et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis admittit, si discreta in intellectu non fuerit.

(382) Plantæ nomine finis vitæ designatur, sicut de iniquo per Baldath dicitur : *Tenebitur planta ejus laqueo* (Job. XVIII, 9). Nam cum perversa mens in peccatum se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie evadere peccati laqueos quærit. Sed vel terrores, vel opprobria hominum timens, eligit in æternum mori, quam ad temporis aliquid adversitatis perpeti. Unde totam se vitis inserit, quibus jam semel se obligatam sentit. Cujus ergo usque ad

finem vita in culpa constringitur, ejus planta laqueo tenetur.

## CAPUT LX.

## DE UNGUE.

(383) Unguis nomine, finis rei cujuslibet designatur sicut per prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino* (Jer. XVII, 1). In ungue quippe finis est corporis. Ita vero lapis fortis est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum autem ferreum fortis sententia, et per unguem adamantinum signatur finis æternus. Peccatum ergo Judæ stylo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum, per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

**323** CAPUT LXI.

## DE UNGULA

(384) Ungulæ nomine virtutum perfectionem designat, sicut voce Dominica, ad beatum Job de sancto prædicatore, sub equi nomine dicitur : *Terram ungula fodit. Solet in equi ungula laboris fortitudo cognosci* (Job. XXXI, 1). Quid ergo per unguam, nisi in prædicatore sancto, virtutum perfectio demonstratur? Terram ergo ungula fodit, cum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes ejicit. Ungula terram fodit, quia auditorum corda a sæcularibus curis evacuat, cum doctor bonus contemni sæculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audientium, qua ostensæ virtutis ungula fodiat. Ipse discipulis dicit : *Hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me : Hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum* (Phil. IV) : Et rursum : *Imitatores mei estote, sicut et ego Jesu Christi* (I Cor. XI). Qui igitur exemplo sui operis alios corrigit, nimirum ungula terram fodit. Qui etiam districta carnem domat abstinentia, terram fodit ungula.

## INCIPIT LIBER SEXTUS.

**324** CAPUT PRIMUM.

## DE TERRA.

In Scriptura sacra terræ nomine, aliquando soliditas patriæ cælestis intelligitur, aliquando sancta Ecclesia, aliquando Synagoga, aliquando gentilitas, aliquando anima justi, aliquando anima peccatrix, aliquando caro, aliquando humana anima, aliquando peccator quilibet, aliquando subjecta plebs, aliquando humanitas Christi, aliquando infernus, aliquando Christi caro, aliquando in qui terrenis actibus occupati sunt, aliquando terrena actio.

(385) Terræ nomine soliditas patriæ cælestis accipitur, sicut per Psalmistam dicitur : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Psal. XXVI, 13) : Et

(381) Ex hom. 3 in Ezech.

(382) Ex I. XIV in Job, c. 1, 5.

(383) Ex I. XIV c. XV, 26.

D rursus : *Portio mea in terra viventium* (Psal. CXLII, 6). Hinc iterum in libro beati Job, de reprobo quolibet scriptum est : *Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam* (Job XV, 29). Ille virtutibus ditatur, **325** cujus mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab auctoris suæ gratia non inhabitatur, profecto per hoc virtutibus non ditatur. Propter hoc quod interius est vanis dicitur : *Non ditabitur*. Propter hoc vero quod transitorium foris timet, recte subjungitur : *Non perseverabit substantia ejus*; ac si aperte dicatur : Hoc quod habere videtur exterius,

(384) Ex c. XIII, l. XXXI in Job.

(385) Ex lib. XII in Job, cap. XXII.

transit, et illud, quod transire non poterat, interiorius non habet. Unde apte subditur : *Nec mittet in terra radicem suam*. Quid enim per terram nisi vitæ æternæ retributionem accipimus? Radix vero cogitatio intelligitur. Superbus ergo in terra radicem suam non mittit, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat.

(386) Terræ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut scriptum est : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen : et lignum fructiferum, faciens fructum juxta genus suum (Gen. 1)*. Quod sic veraciter est factum, ut significans faciendum. Per terram quippe figuratur Ecclesia, quæ et verbi pabulo nos reficit, et patrocini umbraculo custodit. Quæ et loquendo pascit, et opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis. Hinc item in libro beati Job de Domino dicitur : *Qui extendit aquilonem super vacuum : qui apprehendit terram super nihilum (Job xxvi)*. Aquilonis enim nomine diabolus appellari solet, qui ut torporis frigore gentium corda consuringeret, dixit : *Testamenti in latere aquilonis (Isa. xiv) (387)*. Qui supervacuum extenditur, quia illa corda possidet, quæ divini amoris gratia non replentur. Sed tamen omnipotenti Domino suppetit, etiam vasa diaboli, cunctis virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere, et in eis divini timoris soliditatem ponere, quos nulla conspicit rectitudinis actione roborari. Unde et apte subditur : *Et appendit terram super nihilum*. Quid enim terræ nomine, nisi sancta Ecclesia designatur, quæ dum verba prædicationis suscipit, fructum boni operis reddit? De qua per Moysen dicitur : *Audiat terra verba oris mei, expectetur sicut pluvia eloquium meum (Deut. xxxii)*. Et quid per nihilum nisi gentiles **326** populi designantur? De quibus per prophetam dicitur : *Omnes gentes velut nihilum, et inane reputatæ sunt (Isai. xl, 17)*. In eo ergo nihilo terra suspenditur, quod prius vacuum ab aquilone tenebatur, quia illa corda gentilium repleta sunt charitate Dei, quæ pressa prius fuerant torpore diaboli.

(388) Terræ nomine Synagoga intelligitur, sicut in libro beati Job scriptum est : *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est (Job xxviii, 5)*. Quid enim terræ nomine nisi Judæa accipitur : Hæc terra, id est Judæa panem dare consueverat, quæ legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere jam reprobi atque explanare non poterant, propheta Jeremias in lamentationibus deplorat dicens : *Parvuli petierunt panem, et qui frangeret eis non erat (Thren. iv, 4)*. Sed hæc terra in loco suo igne subversa est, quia fidelium signa conspiciens invidiæ face se concremavit. Quia enim de superbia semper invidia nasci solet, in loco suo igne periit : quæ idcirco arsit invidia, quia superbiam non reliquit. Terra ergo quæ prius panem

A habuit, post igne subversa est, quoniam Synagoga quæ mandata Dei per legem protulit, nascentem Ecclesiam persequens, invidiæ se face consumpsit. An non evigilationis suæ facibus ardebat, cum Redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos diceret : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? (Joan. xi, 47)*. Vel certe : *Videtis quia non proficimus, ecce totus mundus post eum vadit (Joan. xii, 19)*. Videbant unde converti debuerant, atque inde perversiores fiebant. Quærebant extinguere quem videbat mortuos vivificare. In ore tenebant legem, sed legis persequabantur auctorem. Terra ergo, de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est, quia Judæa in semetipsa prius habuit legem, quæ reficeret, et post invidiam qua se concremaret.

(389) Terræ nomine gentilitas designatur, sicut in libro beati Job interrogante Domino dicitur : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitru, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus hominum commoratur : ut impleret inviam et desolatam, **327** et produceret herbas virentes (Job xxxviii, 25-27)*. Quid enim est imber vehementissimus, nisi vis immensa prædicationis? Vehemens imber est, cum prædicatores sancti credere gaudia æterna suadent. Imber vero vehementissimus cum propter spem rem deseri, cuncta visibilia propter invisibilia contemni, et propter audita gaudia, præsentis sæculi pœnas, cruciatuque tolerari admonent. Quid vero per tonituum nisi prædicatio superni terroris accipitur? Quem terrorem dum percipiunt, humana corda quatuntur. Sed quia quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda vero aperire non potest, se Dominus et imbris cursum, et viam sonantis tonitru dare assertit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Accepta vero via, quid iste imber ac tonitruus agat, subditur : *Ut plueret super terram absque homine in deserto*. Quid namque terram nisi gentilitatem accipimus? (390) Quæ dum nullum cultum Divinitatis tenuit, nullamque in se speciem boni operis ostendit, videlicet desertum fuit. In qua quia legislator non fuit, et qui rationabiliter Deum quæreret non fuit, quasi hominum nullus fuit, et sicut solis bestiis occupata, vacua a mortalibus exstitit. Super terram autem in deserto plueret, est verbum Dei gentilitati prædicare. De hac deserti terra alias dicitur : *Posuit in deserto viam (Isai. xliiii, 19)*. De hac prædicatione gentilitati concessa Psalmista testatur, dicens : *Posuit flumina in deserto (Psal. cvi, 35)*. Dedit ergo Dominus vehementissimo imbri cursum et viam sonantis tonitru, ut super terram in deserto plueret, et impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes, id est exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, ut corda

(386) Ex l. xix in Job, c. xii.

(387) Ex l. xvii in Job, c. xiii.

(388) Ex l. xviii in Job, c. xix

(389) Ex l. xxix in Job, c. xiii 16.

(390) Ex cap. xiv.

gentilium arentia virescerent, clausa patescerent, A inania completerentur, infecunda germinarent.

(391) Terræ nomine anima justi accipitur, sicut in beato Job Domino ipsum interrogante scriptum est : *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* (Job xxxviii, 4.) Quid per terram nisi anima justi intelligitur? Si enim peccatoris animus pulvis est, quia in superficie attolitur, et tentationis aura raptatur. Unde scriptum est : *Non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (Psal. 1, 4). Nil terra animam justi intelligi obstat, de qua scriptum est : *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem* (Hebr. vi, 7). Sed hujus terræ fundamentum est fides. Hujus terræ fundamentum jacitur, quando in occultis cordis prima soliditatis causa, divinus timor inspiratur. Iste nec dum credit æterna quæ audit; huic cum fides datur, ad ædificium subsequentis operis jam fundamentum ponitur. Ille æterna jam credit, nec tamen metuit, venturi iudicii terrorem despicit, peccatis se carnis et spiritus audenter involvit. Hic, cum repente futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur. Posito itaque prosperæ formidinis fundamento, cum virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est ut unusquisque proficiens vires suas cæute metiatur, ut, cum divina constructione magnus esse jam cœperit, semetipsum respiciat sine cessatione quod fuit, quatenus attendens humiliter quod per meritum inventus est, nequaquam sibi arroget quod per gratiam factus est. Unde et nunc beatus Job per supernam vocem ad semetipsum reducit, et ne de virtutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eique dicitur : *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Ac si justificato peccatori aperte veritas dicat : Virtutes a me acceptas tibi non tribuas. Noli contra me de meo munere extolli. Recole ubi te inveni, quando meo timore te solidavi.

(392) Terræ nomine anima peccatrix designatur, unde in Evangelio Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (Luc xii, 49.) Ignis quippe nomine Spiritus sanctus figurari solet : terræ vero nomine, peccatoris anima intelligitur. Ignem ergo Dominus venit mittere in terram, ut accendatur, quia nisi ab igne veritatis calorem susciperet, nunquam in amorem Dei corda peccatorum arderent. Sed cum mens carnalis Spiritum sanctum accepit, spiritali amore succensa malum plangit, quod fecit; et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris **329** uritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur.

(393) Terræ nomine caro designatur, sicut Dominus ad beatum Job loquens et fortem prædicatorem

(391) Ex l. xxx in Job, c. vi, 9.

(392) Ex hom. 5 in Ezech.

(393) Ex l. xxxi, in Job, c. xiii.

sub equi figura describens dicit : *Terram ungula fodit* (Job xxxix, 21). Vide caput 11, lib. v.

Terræ nomine cogitatio terrena exprimitur in eodem Job loco; terram enim ungula fodit, cum prædicator quisque forti inquisitione terrenas in se cogitationes discutit.

(394) Terræ nomine anima humana designatur, sicut in lib. Job de sapientia dicitur : *Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium* (Job xxviii, 15). Quam namque sapientiam vir sanctus contemplatur, nisi eam de qua Paulus dicit : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam?* (I Cor. 1, 24). De qua per Salomonem scriptum est : *Sapientia ædificavit sibi domum* (Prov. ix, 1); et de qua Psalmista ait : *Omnia in sapientia fecisti* (Psal. cmi, 24). Hujus nimirum sapientiæ homo pretium nescit : quia nihil æstimatione illius dignum invenit. Non autem hoc pretium sapientiæ esse dicitur, et nesciri; sed idcirco nesciri, quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustiis quisque deprehensus, cum remedium subventionis non invenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Hujus ergo sapientiæ pretium nescire, est digni operis meritum, quo illam percipiat, non invenire. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice, rem quam petimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, ut hanc sapientiam quæ Christus est accipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Illa namque sola opera male vivendo dedimus, quibus si justa retributio servaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Quia ergo veniente sapientia impii inventi sumus, quid boni operis dedimus, quo accipere eandem sapientiam mereremur? Hujus itaque sapientiæ homo pretium nescit, quia quisquis a brutis animalibus rationis intellectus discretus est, quoniam, suis meritis non sit salvatus intelligit, nihil se dedisse boni operis, ut ad fidem veniret, agnoscit. Quasi enim ad percipiendam sapientiam pretium **330** dare, est cognoscendum Deum actionis suæ mercede prævenire. Non esse hujus sapientiæ pretium cognoverat, qui dicebat : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* (Rom. xi, 9.) Hinc iterum scriptum est : *Gratia salvi facti estis per fidem : et hoc non ex vobis, sed donum est : non ex operibus, ut ne quis gloriatur* (Ephes. ii, 9). Hinc iterum dicit : *Gratia Dei sum, id quod sum* (I Cor. xv, 10). Quia ergo nihil boni operis dedimus, quo hanc sapientiam accipere mereremur, dicatur recte : *Nescit homo pretium ejus* (Job xxviii, 15) (395). Quoniam quisquis jam ratione utitur, tanto altius sub hujus sapientiæ intellectu se despicit, quanto ejusdem sapientiæ verius interna cognoscit, ut indignum se ad hanc pervenisse videat, per quam gratuito agitur, ut dignus fiat : De qua bene mox subditur : *Non invenitur in terra suaviter viventium* (396). Quid enī hoc in loco terræ signatur nomine, nisi anima humana?

(394) Ex l. xviii, in Job, c. xxii, ante med.

(395) Hæc ex Ilnc c. xxiii, dicti l. in Job.

(396) Ex c. xxiv, ibid.

De qua per Psalmistam dicitur: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi (Psal. cxlii, 6)*. Hæc autem sapientia inveniri in terra suaviter viventium, non valet: quia quisquis adhuc hujus vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Inveniri itaque sapientia atque prudentia in eorum terra non potest qui suaviter vivunt: quia tanto verius stulti sunt, quanto majora perdentes in minimis lætantur (397). Inveniri sapientia in terra suaviter viventium non potest: quia qui in hoc mundo vivunt suaviter, ita adhuc stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciat, unde ceciderunt.

(398) Terræ nomine peccator quilibet designatur, sicut in libro beati Job de sancto prædicatore dicitur: *Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem (Job xxxix, 24)*. Quid namque terra nisi peccator vocatur? Primo namque homini peccanti dictum est: *Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 14; just. LXX)*. Tuba vero, quæ discrimen belli denuntiat, quid est aliud quam vox sæcularium potestatum: quæ contempta resistens tubæ mortis certamen parat? Tubæ namque clangunt, cum hujus sæculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Sed quia prædicator sanctus zelo sancti Spiritus inflammatus, vel inter supplicia positus, quoslibet peccatores ad se trahere non desistit: fervens procul dubio terram sorbet: **331** quia vero persecutorum minas minime formidat, clangore tubæ sonare non reputat. Hæc a principibus sacerdotum tuba sonerat, cum flagellatos apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est: *Denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu (Act. iv, 18)*. Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat. Ait Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus (Act. v, 29)*. Quid aliis quoque persequentibus dicit? *Non enim possumus quæ audivimus, et etiam vidimus, non loqui (Act. ii, 20)*. Equus ergo clangorem tubæ non metuit, quia prædicator egregius, despectis potestatibus sæculi, nullos minarum sonitus pertimescit.

(399) Terræ nomine subjecta plebs et familia designatur. Unde beatus Job dicit: *Si adversum me terra mea clamat (Job iii, 38)*. Omnis qui privato jure domesticam familiam regit, et pro utilitate communi fidelibus plebibus præest in hoc quod jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram incolendam tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione cæteris unusquisque præponitur, ut subjectorum animus quasi substrata terra prædicationis illius semine fecundetur. Sed terra contra possessorem clamat, si contra eum, qui sibi præest, aliquid injustum et privata domus et sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram, est contra regentis injustitiam rationabiliter subditos dolere.

(397) Ex sine cap.

(398) Ex l. xxxi, in Job, c. xv, post medium,

25.

(399) Ex l. xxii, in Job cap. xv.

(400) Terræ nomine humanitas Christi designatur, unde ad Israel dicitur: *Altare de terra facietis mihi (Exod. xx)*. Altare enim de terra Deo facere, est in incarnatione Domini sperare. Tunc quippe a Deo nostrum munus accipitur, quando in hoc altari, id est super Dominicæ incarnationis fidem nostra humilitas posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus.

(401) Terræ nomine infernus intelligitur. Unde beatus Job deprecatur dicens: *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, et non revertar **332** ad terram tenebrosam et opertum mortis caligine (Job x, 21)*. Quid enim terræ tenebræ nomine nisi tetra Tartari claustra signantur? Quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitæ luce disjungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicumque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est: *Generatio præterit, et generatio advenit: terra vero in æternum stat (Eccl. i, 4)*. Recte igitur inferni claustra, tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam transitoria vel phantastica imaginatione cruciant: Sed ultione solita perpetuæ damnationi servant. Jure ergo infernus terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet. Sanctus autem vir, sive sua, sive humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam, qui culpam deflet, iturus est; sed quia ad hanc procul dubio, qui plangere negligit, vadit: sicut debitori suo creditor dicit: *Solve debitum priusquam pro debito constringaris*. Qui tamen non constringitur, si quod debet solvere, non moratur. Unde recte subditur: *Non revertar*. Quia nequaquam ultra misericordia parentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. Quæ adhuc loca subtilius describuntur, cum dicitur: *Terram miseriæ et tenebrarum*. Miseriæ ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ a conspectu districti Judæis expulsos tenet, miseriæ et tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat.

(402) Terræ nomine caro Christi intelligitur, sicut per beatum Job dicitur: *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit (Job ix, 21)*. Quid terræ nomine nisi Redemptoris nostri caro exprimitur? Quid appellatione impii nisi diabolus designatur? Hujus impii manus fuerunt, qui in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impii, quia antiquus hostis Redemptoris mentem per se tentando corrumpere non valuit, sed ejus carnem per suos satellites ad triduum permissus exstinxit, et dispensationem supernæ pictatis nesciens, ex hac ipsa permissione **333** ser-

(400) Ex l. iii, in Job, c. xv.

(401) Ex l. ix, in Job, c. xxx.

(402) Ex l. ix, in Job, c. xv, 21.

vivit. Tribus enim Redemptorem nostrum tentationibus pulsans cor Dei tentare non valuit. Sed cum Judæ mentem ad mortem ejus excitavit, cumque ei cohortem atque a pontificibus et Pharisæis ministros tradidit, nimirum iste impius manus ad terram tetendit, hujus autem terræ iudices, sacerdotes et principes Pilatus atque illusores milites fuerunt. Iste itaque impius vultum iudicium ejus operuit, quia corda persequentium ne auctorem suum cognoscerent, malitiæ nubilo velavit. Unde per Paulum dicitur : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est expositum super cor eorum* (II Cor. III, 15). Qui rursus ait : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I Cor. II, 8). Vultus ergo iudicium opertus expertus : quia mens persequentium, eum quem carne tenere potuit, Deum nec per miraculum agnovit.

(403) Terræ nomine, hi qui terrenis actibus occupati eleemosynarum et lacrymarum ope ad æternam vitam perveniunt, designantur, sicut per Psalmistam dicitur, *cum venire ad iudicium Dominus nuntiaretur, advocavit cælos sursum, et terram, ut discernat populum suum* (Psal. XLIX, 4). Cælos quippe sursum advocat, cum hi, qui sua omnia relinquentes conversationem cælestis vitæ tenuerunt, ad consedendum in iudicio vocantur, atque cum eo iudices veniunt. Terra etiam sursum vocatur, cum hi qui in terrenis actibus obligati fuerant, in eis tamen plus cælestia quam terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur : *Hospes eram, et collegistis me : Nudus, et operuistis me* (Matth. XXV, 35). Hinc iterum in libro beati Job de hypocritæ cuiuslibet sive spiritualiter Antichristi damnatione scriptum est : *Revelabunt cæli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum* (Job XX, 27) (404). Quid enim per cælos, nisi justos? et quid per terram accipimus, nisi eos qui in terrenis actibus occupati, plus cælestia quam terrena lucra requirunt? Hypocritæ itaque hujus cæli iniquitatem revelant, atque adversus eum terra consurgit : dum et hi, qui cum Deo iudices veniunt, et hi qui per iudicium liberantur, pravitatis ejus testes exigunt. Nihil ergo de his quæ egit in tempore damnationis absconditur, et si quidem acta illius modo 334 hominibus per dupliciter multa celantur, sed in damnationis die quidquid in eo intrinsecus latebat, ostendetur.

(405) Terræ nomine terrena actio designatur : Unde ad unamquamque mentem sub nomine filiæ Babylonis per prophetam dicitur : *Descende, sede in pulvere filia Babylonis, sede in terra*. Cum enim pulvis semper terra sit, non tamen terra semper pulvis est. Quid enim per pulverem nisi cogitationes debemus accipere, quæ dum importune ac silenter in mente voluntur [at. evolant], ejus oculos excæcant? Et quid per terram, nisi terrena cogitatio designatur? Sed quia reproborum mens ad

prava cogitanda dejicitur, et postmodum ad faciendam, recte filiæ Babylonis qui a terrenæ rectitudinis iudicio descendit, per ferientem sententiam dicitur, ut prius in pulvere, et postea in terra sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset.

## CAPUT II.

## DE HUMO.

(406) Humi nomine electorum mens designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Super humum populi mei, spinæ et vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis?* (Isa. XXXII, 13.) Humum quippe populi sui, Dominus electorum suorum omnium mentem vocat. Domus vero gaudii civitatis exsultantis, est mens pravorum, quem, dum ventura supplicia conspiceret negligit, in carnis voluptate se deserens inaniter hilarescit. Ait ergo : *Super humum populi mei, spinæ et vepres ascendent, etc.* Ac si aperte dicat : Si illorum mentem vitia depriment, qui se pro cælestis patriæ desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine se in carni voluptate derelinquunt?

## 335 CAPUT III.

## DE GLEBIS.

*In Scriptura sacra glebarum nomine aliquando collectiones singulorum in Judæa, aliquando per charitatem uniti, vel diversi ordines electorum in Ecclesia designantur.*

(407) Glebarum nomine collectiones singulorum ordinum in Judæa designantur, sicut per beatum Job de Judæa dicitur : *Gleba illius aurum* (Job XXVIII, 6). Quid enim per glebas nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ namque ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se pulverem esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ glebæ in illa jacuerant. Glebas hæc terra, id est Judæa, habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis et operis unanimitate tenuerunt. Dicit ergo : *Glebæ illius aurum*, quia in ea multitudo spiritualium tanto majore virtute claruit, quanto se in Deum ac proximum majore unanimitate constringit.

(408) Glebarum nomine per charitatem uniti designantur. Unde Dominus beatum Job interrogat dicens : *Quando fundabatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur?* (Job XXXVIII, 38.) Glebæ quippe ex humore coagulantur et pulvere. In hac itaque terra, id est Ecclesia glebæ compactæ sunt, quia vocati peccatores, et per sancti Spiritus gratiam infusi, in collectione sunt charitatis uniti.

Istæ glebæ compactæ sunt, quando populi, qui prius quasi dispersione pulveris diversa sentiebant, 336 postmodum sancti Spiritus gratia accepta in illa pacatissima unanimatis concordia conven-

(403) Ex lib. xv, in Job, c. xix.

(404) Hæc sequentia carptim ex principio medio.

(405) Ex lib. xiv, in Job, c. ix.

(406) Ex lib. xvii, in Job, c. x, 9.

(407) Ex lib. xviii in Job, c. xix, ante finem.

(408) Ex lib. xxx, in Job, c. vi.

ruat, ut cum essent tria millia, vel rursum quique A millia Scriptura teste diceretur : *Quia erat eis cor unum et anima una* (Act. iv, 32). Has glebas ex uno quidem pulvere, sed quasi diversa mole distinctas quotidie Dominus in terra compingit, quia servata unitate sacramenti, juxta varietatem viro- rum atque linguarum fideles in Ecclesia populos colligit. Has glebas jam tunc Dominus designavit quando ad esum panis et piscium quinquagenos discumbere vel centenos jussit (*Matth. xiv*).

(409) Possunt autem per glebas, si in Ecclesia diversitatem meritorum attendimus, distincti ordines fidelium designari. Nam dum aliusest ordo prædican- tum, alius audientium, alius atque alius subditorum, alius conjugum, alius continentium, alius pœnitentium, alius virginum, quasi ex una terra est diversa B glebarum forma distincta, dum in una fide, in una charitate disparia demonstrantur bene operantium merita (410). Sed hæ glebæ nequaquam concretæ ex pulvere surgerent, nisi aquam prius pulvis acciperet, et concepto se humore solidaret, quia nisi peccatores, sancti Spiritus gratia infunderet, con- strictos eos ad fidei opera charitatis unitas non teneret.

#### CAPUT IV.

##### DE SULCIS

(411) Sulcorum nomine designantur vomere lin- guæ bene exculti, sicut per beatum Job dicitur : *Si adversum me terra mea clamat, et cum ea sulci ejus deflent* (*Job xxxi, 38*). Omnis enim qui vel privato jure domesticam familiam regit, vel pro utilitate com- muni fidelibus pluribus præest, in hoc quo jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram colendam tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione cæteris unusquisque præpo- nitur, ut subjectorum animus quasi substantia terra prædicationis semine secundet. Terra autem 337 nullis operibus exulta plerumque ad usum hominum aliquod alimentum profert. Exarata vero fruges ad satietatem parit. Ita sunt nonnulli qui nullo locutionis, nullo exhortationis vomere proscissi quædam dona quamvis minima, tamen ex semetipsis proferunt, quasi terra necdum exarata. Sunt vero nonnulli ad audiendum semper atque retinendum sanctis prædicationibus intenti, a priore mentis duri- tia, quasi quodam linguæ vomere scissi semina ex- hortationis accipiunt, et fruges boni operis per sulcos voluntariæ afflictionis reddunt. Sæpe vero con- tingit ut hi qui præsent, injusta aliqua faciant sitque, ut ipsi subjectis noceant, qui prodesse debuerant. Quæ dum rudes quique conspiciunt, commoti contra rectorem murmurant, nec tamen valde proximis per compassionem dolent. Cum vero hi, qui jam aratro lectionis attriti sunt, atque ad frugem boni operis exculti, gravari vel in minimis inno- centes aspiciunt, per compassionem protinus ad la-

menta vertuntur, quia velut sua plangunt ea quæ proximi injuste patiuntur. Perfecti namque cum semper de spiritualibus moneantur tanto sciunt de corporalibus alienis damnis ingemiscere, quan- to jam edocti sunt non dolere de suis. Omnis ergo, qui præest, si perversa in subditis exercet, con- tra hunc, et terra clamat, et sulci deflent, quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in mur- murationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro parvo ejus opere sese in stertibus affligunt : quod- que imperiti clamant et dolent, hoc probationis vitæ subjecti deflent et tacent.

#### 338 CAPUT V.

##### DE PULVERE.

In Scriptura sacra pulveris nomine aliquando ter- rena intelligentia, aliquando terrenum negotium vel desiderium, aliquando subtilis operum nostro- rum retractatio, aliquando peccatorum incon- stantia, aliquando caligo terrenæ cogitationis, aliquando infirmitas humanæ conditionis designa- tur.

(412) Pulveris nomine terrena intelligentia de- signatur sicut de amicis beati Job scriptum est : *Quia venientes ad eum sparserunt pulverem super capita sua* (*Job 11, 12*). Amici namque beati Job, et si bona intentione ad eum convenerint; hæretico- rum tamen vel idcirco speciem tenent, quia ad culpam indiscrete loquendo dilabuntur. Unde et il- lis a beato Job dicitur : *Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum* (*Job. xii, 3*) (413). Hæretici autem quia sanctam Ecclesiam sua docere de- siderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Quid vero per pulverem nisi terrena intelligentia? Quid per caput nisi hoc quod nostrum principale est mens videlicet designatur? Quid per cælum, nisi præceptum supernæ locutionis exprimitur? Pulverem ergo super caput in cælum spargere, est sæculari intellectu mentem corrumpere, et de ver- bis cœlestibus terrena sentire. Divina autem verba plus discutiunt plerumque quam capiunt. Super ca- pita igitur pulverem spargunt quia in præceptis Dei per terrenam intelligentiam ultra suarum mentium vires enituntur.

339 (414) Pulveris nomine terrenum negotium, D vel desiderium designatur, sicut de superbis ad beatum Job a Domino dicitur : *Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam* (*Job xi*). Ac si dicat, ut ego : Superbos enim atque impios justo judicio Dominus in pulvere abscon- dit : quia eorum corda ipsis, quæ despecto amore creatoris eligunt, opprimi terrenis negotiis perimit- tit. Unde et illorum vitam cum in extremo discu- tit, tanquam sibi absconditam non agnoscit dicens : *Nescio qui estis* (*Luc. xii*). Vita pravorum sub pulvere absconditur, quia abjectis et infimis deside- riis gravatur. Quisquis etiam adhuc, ea quæ mundi

(409) Ex lib. et c. citatis.

(410) Hæc ex fine cap.

(411) Ex lib. xii, in Job, c. xv.

(412) Hæc ex fine c. xii, l. iii, in Job, 17.

(413) Ex cap. xiv, ibid.

(414) Ex l. xxxii, in Job, cap. vii, post med.

sunt, appetit : quasi ante faciem veri luminis non A apparet, quia nimirum sub pulvere terrenæ cogitationis latet.

(415) Pulveris nomine subtilis operum nostrorum retractatio designatur. Unde ad Moysem dicitur : *Sume tibi aromata stacten, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum; æqualis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama compositum opere unguentarii mistum diligenter et purum. Cumque in tenuissimum pulverem universa concuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii (Exod. xxx, 30). Thymiama ex aromatis compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolamus. Quod mistum et purum sit, quia quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. In tenuissimum ergo pulverem aromata universa conterimus, cum bona nostra quasi in pila, cordis occulta discussione tundimus : et si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando tractare, et usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum quod de eodem publice dicitur : *Pones ex eo coram testimonii tabernaculi*, quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu iudicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, et quasi de aromatis pulverem reddit, ne grossum durumque sit bonum quod agitur, ne si hoc arcta retractatione animus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat.*

**340** (416) Pulveris nomine peccatoris inconstantia designatur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur : *Quando fundabatur pulvis in terra (Job xxxviii, 4)*. Quid enim in pulvere nisi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere solidati cujuslibet tentationis flatu rapiuntur, de quibus scriptum est : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem proficit ventus a facie terræ (Psalm. i, 4)*. Pulvis autem in terra fundatus est, cum peccatores vocati in Ecclesia traditæ fidei sunt ratione solidati, ut qui prius inconstantia mobiles tentationis aura levabantur, immobiles postmodum contra tentamenta consistenter, et Deo perseveranter inhaerentes fixum bene vivendi pondus tenerent.

(417) Pulveris nomine caligo terrenæ cogitationis exprimitur, sicut per beatum Job dicitur : *Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris (Job. vii, 5)*. Quia enim soliditatem ingenitam voluntarie homo deseruit et sese voragine corruptionis mersit justo nunc vel pro immunda opera laudatur. Ut enim ita dixerim culpæ suæ pœnaliter subdita ipsa jam natura nostra facta est extra naturam; et remissa usque ad perversa opera ducitur; restricta autem operum perversorum importunitate fuscatur, explicatione ergo actionis illicitæ carnem putredo

afficit : levitatem vero cogitationis improbæ quasi ante oculos pulvis surgit consentiendo vitii, putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulveris sedamur. Ait ergo : *Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris*. Ac si aperte diceret : Carnalem vitam quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis præmit. Quod tamen si ex voce Ecclesiæ universalis accipimus, aliquando hanc procul dubio carnis putredine, aliquando autem gravari sordibus pulveris invenimus. Multi quippe in ea sunt, qui dum amoris carnis inserviunt, fetore luxuriæ computrescunt. Et sunt nonnulli qui a voluptate carnis se abstinere, sed tamen tota mente in terrenis actibus jacent. Dicat ergo sancta Ecclesia unius membri sui vocibus, dicat **341** quid de utroque genere tolerat hominum. *Induta est. Caro mea putredine et sordibus pulveris*. Ac si aperte insinuet dicens : Sunt plerique, qui mihi per fidem membra sunt, sed tamen sana vel munda per actionem non sunt quia aut viri turpibus desideriis ad corruptionis putredinem defluunt, aut terrenis actibus dediti pulvere terrenæ cupiditatis consperguntur : In illis enim quos lubricos tolero, carnem videlicet putrescentem gemo : in istis autem quos terrena quærentes patior, quid aliud quam sœdeta pulvere membra porto?

(418) Pulveris nomine infirmitas humanæ conditionis designatur. Sicut per prophetam dicitur : *Memento (419), Domine, quoniam pulvis sumus*. Abraham quoque ait : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis (Psalm. cii, 14)*. Et si viventem carnem nondum in terra mors solverat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione prævidebant. Hinc alias dicitur : *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur (Psalm. ciii, 29)*. Quid enim eorum spiritus, nisi spiritus superbæ nominatur. Tollatur ergo spiritus eorum, ut deficient, id est subducto spiritu superbæ nihil se de se esse cognoscant : et revertantur in pulverem, id est humiliantur ex infirma conditione. In peccato namque quisque positus mortalitatis suæ obliviscitur, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid se esse aliud quam pulverem recordatur?

### 342 CAPUT VI.

DE MONTE.

(420) *In Scriptura sacra cum mons singulari numero ponitur, aliquando incarnatus Dominus, aliquando sancta Ecclesia, aliquando apostata angelus, aliquando hæreticus quilibet, aliquando Judaicus populus, aliquando altitudo bonæ vitæ, aliquando mens sancta, aliquando altitudo contemplationis intelligitur; cum vero pluraliter montes dicuntur,*

(415) Ex l. i in Job, c. xix, sub fin., 59.

(416) Ex l. xxx in Job, c. vi, 10.

(417) Ex l. viii in Job, c. vi, post medium, 11.

(418) Ex l. xxv in Job, c. xii, 27.

(419) Ibi pro memento habemus recordatus est.

(420) Hæc designatio varia significans est pene eadem in principio lib. xxxiii in Job, cap. i.



*aliquando sancti apostoli, aliquando ecclesiasticarum potestatum tumor, aliquando altæ contemplationes, aliquando virtutes angelorum, aliquando altæ sive sacræ Scripturæ, aliquando antiqui Patres intelliguntur.*

(421) Montis nomine incarnatus Dominus intelligitur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et dimisit me super montem excelsum nimis (Ezech. xl, 2).* Quem enim significat mons excelsus nisi mediatorem Dei et hominum Christum Jesum? Et de terra quidem, sed ultra terram est: quia caro ejusdem Redemptoris nostri de imis habet materiam, sed in summis præeminet ex potestate. Quem minus erat, ut excelsum diceret, nisi adderet nimis: quia non solum homo, sed ejusdem humanitatis conceptione, quæ ab eo assumpta est Deus et homo: non solum homo super homines, sed homo etiam super angelos factus. Mons ergo iste excelsus **343** est, et nimis; quia et si de terra est per substantiam humanitatis, incomprehensibilis tamen est, ex altitudine Divinitatis. Hinc est quod eundem Dominum cum Isaias propheta prospiceret in carne esse venturum prophetiæ spiritu sublevatus ait: *Et erit novissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium (Isai. ii, 2).* Domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est, qui in Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri, qui montes jure vocarentur, quia per vitæ meritum ad cælestia propinquaverunt. Sed incarnatus Unigenitus istis montibus æqualis fuit, quia naturam vitam merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde et recte mons super verticem montium dicitur, quia excelsus ex divinitate sua inventus est etiam super cacumina sanctorum, ut hi qui multum in Deo profecerant ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. Qui ergo apud Isaiam mons super verticem montium dicitur, ipse apud Ezechielem mons excelsus nimis perhibetur.

(422) Montis nomine sancta Ecclesia designatur, sicut scriptum est: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion (Psal. cxxiv, 1).* Sion namque speculum dicitur, per quam secundum speculationem contemplans Dominum Ecclesia figuratur.

(423) Montis nomine testamentum Dei exprimitur, sicut Habacuc ait: *Dominus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso.* Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spondit quasi vime venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia spissis allegiarum obscuritatibus opacatur.

(424) Montis nomine apostata angelus designatur, sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste prædicatoribus dicitur: *Super montem caliginosum levate signum (Isa. xlii, 2).* Prædicator

quippe sancti super caliginosum **344** montem signum elevant, quando contra Satanæ superbiam, quæ sæpe sub nebula simulationis absconditur veritatem crucis exaltant.

(425) Montis nomine hæreticus quilibet exprimitur, sicut ex voce Ecclesiæ Psalmista ait: *In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ? Transmigra in montem sicut passer (Psal. x, 2).* Cum enim fidei animæ unitate derelicta, intumentum doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, quasi deserto Domino in montem transmigraare suadetur.

Montis nomine Judaicus populus designatur, sicut Isaias propheta testatur, qui dixisse diabolum denuntiat dicens: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis (Isa. xiv, 13).* Repete cap. xv, lib. i, distinct. 1.

(426) Montis nomine altitudo bonæ vitæ designatur, sicut per Isaiam prædicatori dicitur: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion (Isa. xl, 9).* Quid etiam montis nomine nisi alta vitæ intelligitur? Super montem igitur excelsum, qui evangelizat ascendere jubetur, ut videlicet, qui prædicationis locum suspicit, ad altitudinem bonæ ascendat actionis. Ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto terrenis et rebus, quas despicit animum non supponit. Hinc est quod Ezechiel, qui ad prædicandum mittitur, speculator a Domino nominatur: *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel (Ezech. iii, 17).* Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur: ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahit. Non enim est speculator qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam.

Montis nomine mens sancta accipitur, sicut per beatum Job dicitur: *Mons cadens defluit (Job xiv, 18).* Unum **345** in mente etiam justi hominis per repentinum eventum agit quatenus sic subito tentetur ut hunc inopinato proventus concutiat, et prosternat casumque suum non nisi postquam ceciderit, videat. Mons cadens defluit, cum justo Dei judicio tentatio ejus menti qui in alta stare cernitur, repente dominari permittitur: Et saxum transfertur de loco suo, cum mens fortis, cujus locus justitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam.

(427) Montis nomine altitudo contemplationis designatur quod bene legis acceptione: signatur cum dicitur: *Quia Moyses ascendit et Dominus in montem descendit (Exod. xix, 11).* Mons quippe est ipsa nostra contemplatio in quam nos ascendimus ut ad ea quæ ultra infirmitatem nostram sunt videnda,

(421) Ex hom. 15 in Ezech.

(422) Ex l. xxxiii in Job, cap. 1

(423) Ex eodem lib. et cap.

(424) Ex l. xxxiii, in Job, c. 1.

(425) Ex eodem lib.

(426) Ex hom. 11 in Ezech. post principium.

(427) Ex lib. v in Job, cap. xxvi.



sublevemur. Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum profligentibus parum de se aliquid sensibus nostris aperit. Contemplatoribus autem suis in hac adhuc vita positis nequaquam se divinitas, sicut est insinuat, sed lippientibus mentis nostræ oculis claritatem suam tenuiter demonstrat. Si tamen dici in illo, vel parum, vel aliquid potest quia unus semper et idem permanens, intelligi pariter non potest, et tamen a suis fidelibus participari dicitur, cum in ejus substantia pars nullatenus admittatur.

(428) Montium nomine sancti apostoli designantur, sicut per Psalmistam dicitur: *Transferentur montes in cor maris* (Psal. XLV, 3). In corde enim maris montes translati sunt, cum prædicatores apostoli a Judææ perfidia repulsi ad intellectum gentium venerunt. Unde ipsi in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui regnum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (Act. XIII, 26). De his montibus in libro beati Job dicitur: *Qui transtulit montes, et nescierunt* (Job IX, 5). Hi quos subvertit in furore suo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito montes vocantur: quia per vitæ suæ celsitudinem, ima terrarum deserunt, et cælo propinqui fiunt: Sed montes veritas transtulit, cum prædicatores sanctos a Judææ **346** obduratione subtraxit. Sed hanc eandem translationem montium hi ipsi nescierunt, qui in Domini furore subversi sunt: quia cum de suis finibus Hebræi apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quia prædicationis lumen amiserunt. Ex gentibus quippe justa mentis animadversione percussit, tanto intelligentiæ errore excæcati sunt, ut quod lumen perderent hoc gaudium esse putarent.

(429) Montium nomine sæcularium potestatum timor exprimitur. De quibus Psalmista ait: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (Psal. xcvi, 5). Quia multi qui prius alta rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente magno sunt per poenitentiam timore liquefacti, vel sicut idem Propheta iterum dicit: *Ascendant montes, et descendunt campi* (Psal. ciii, 8). Plerique enim persecutores Domini superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur: quia montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt plani videlicet facti per cognitionem culpæ.

(430) Montium nomine altæ contemplationes designantur, sicut de quolibet secretam vitam diligente sub onagri specie nomine beati Job scriptum est. *Circumspicit montes pascuæ suæ* (Job xxxix, 8). Montes namque pascuæ sunt, altæ contemplationes internæ reflectionis. Sancti enim viri quanto magis

(428) Ex l. xviii in Job, c. xix, et l. ix, c. ii post medium.

(429) Ex l. xxxiii in Job, c. i.

(430) Ex l. xxx in Job, c. xv.

(431) Ex eodem lib. et cap. sed juxta veterem

A se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Unde scriptum est: *Ascensus in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (Psal. lxxxiii, 7). Quia quos exterius in fletu continet convallis humilitatis, eos interius sublevat ascensus contemplationis.

(431) Possunt etiam montes pascuæ sublimes intelligi virtutes angelorum: quæ idcirco hic nos ministrando et adjuvando reficiunt, quia illic interno contemplationis rore pinguescunt. Quæ quia largiente Domino in omni nos certamine protegunt, recte circumspici dicuntur. Undique enim nobis adesse circumspicimus, quorum defensione contra adversarios ex omni latere munimur.

**347** (432) Montium nomine altæ sententiæ sacræ Scripturæ intelliguntur. De quibus per Psalmistam dicitur: *Montes excelsi cervis* (Psal. ciii, 18). Quia videlicet ii qui jam dare contemplationis saltus noverunt altos sententiarum divinarum vertices quasi cacumina montium ascendunt. Ad quæ profecto cacumina, quia infirmi pervenire non valent, recte subditur: *Petra refugium herinacis* (ibid.), quia nimirum invalidos non sublimiter intelligentia exercet, sed sola Christo fides humiliter continet.

(433) Montium nomine antiqui Patres designantur, sicut per Psalmistam Domino dicitur: *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis* (Psal. lxxv, 5). Quid enim montes nisi peccatores præcedentes accipimus? Qui enim orientem solem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, et quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Dominus illuminat, quia per admiratam vitam Patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat.

## CAPUT VII.

### DE COLLIBUS.

(434) Collium nomine, cum comparatione vallis ponuntur, superbi designantur sicut in Evangelio per Joannem dicitur: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (Luc. iii, 5). Quid enim vallium nomine nisi humiles, quid montium et collium nomine nisi superbi intelliguntur? In adventu igitur Redemptoris nostri valles impleti, montes vero et colles humiliati sunt: quia juxta ejus vocem: *Omnis qui se exaltat humiliabitur; qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11). Vallis enim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit: quia nimirum in fide mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu et gentilitas plenitudinem gratiæ accepit et Judæa per errorem perfidiæ hoc unde tumebat perdidit.

## 348 CAPUT VIII.

### DE AGRO.

In Scriptura sacra agri nomine, aliquando gentili-

divisionem est c. xxviii.

(432) Ex l. xxx in Job, c. xv.

(433) Ex l. xxvii in Job, c. v, 6.

(434) Ex hom. 20 in Evang.

tas, aliquando præsens sæculum, aliquando corpus nostrum, aliquando Scriptura sacra, aliquando universa Ecclesia designatur.

Agri nomine gentilitas designatur, sicut in Psalmo sub persona Domini scriptum est: *Species agri mecum est* (Psal. XLIX). Quia incarnatus enim Dominus gentilitati magis quam Judææ profuit; animale corpus assumens quasi non in domum, sed potius in agrum venit.

(435) Agri nomine præsens sæculum designatur, sicut Dominus per Evangelium testatur, qui ait: *Ager autem est mundus.*

(436) Agri nomine corpus nostrum designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (Prov. xxiv, 27).

Quid enim per agrum nisi corpus accipitur? Ille ergo bene domum mentis ædificat, qui prius agrum corporis a spinis vitiorum purgat, ne si desideriorum sentes in carnis agro proficiant intus tota virtutum fabrica fame boni crescente destruat.

(437) Agri nomine Scriptura sacra designatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur: *Agrum non suum demetunt* (Job xxiv, 6). Quid enim per agrum nisi Scripturæ sacræ latitudo signatur? Agrum ergo non suum hæretici demetunt, quia ex Scriptura sacra sententias longe a suis sensibus diversas tollunt.

(438) **349** Potest quoque agri nomine universa Ecclesia designari quam perversi prædicatores demetunt, quia Creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa qui recti videbantur rapiunt, quid aliud quam spicas vel botros animarum tollunt.

## CAPUT IX.

### DE CAMPO.

*In Scriptura sacra camporum nomine, aliquando gentilitas, aliquando a tumore superbix humiliati intelliguntur.*

(439) Campi nomine gentilitas designatur sicut ad Ezechielem prophetam a Domino dicitur: *Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum* (Ezech. iii, 22). Quid est hoc quod prius Dominus in medio Israelitarum locutus ad prophetam suum fuerat, et tamen postmodum dicitur, egredere in campum, et ibi loquar tecum nisi quod prophetix suæ gratia et prius Judææ infundam, et hanc postmodum dignatus est in latitudine gentium demonstrare? Neque enim immerito per campum gentilitas designatur, quæ longe lateque, id est in universo mundo distenditur.

Ubi et subditur: *Et surgens egressus sum in campum, et ecce gloria Dei stabat quasi in gloria quam vidi juxta flumen Chobar.* In campo propheta gloriam Dei vidit, quam juxta flumen Chobar in medio

(435) Ex l. xxxiii in Job, c. xii.

(436) Non ipsissimis verbis sed eodem prorsus sensu hæc dicit Greg. l. x in Job, c. ii, 16.

(437) Ex l. xvi in Job, c. xxii, 25.

(438) Ex lib., etc. proximis.

A Israelitarum viderat, quia ipsa ejus majestas gentibus apparuit, quæ prius se electis in Judaico populo revelante Spiritu declaravit.

## 350 CAPUT X.

### DE VALLIBUS.

*In Scriptura sacra vallium nomine, aliquando humiles, aliquando humilia dicta Patrum, aliquando terrena ista, aliquando ima pœnarum loca intelliguntur.*

Vallium nomine humiles designantur, sicut in Evangelio per Joannem dicitur: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (Luc. iii, 5). Unde supra, cap. 7, De collibus.

(440) Convallium nomine humilia dicta Patrum designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur: *Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant* (Job xxx, 5). Convalles namque sunt humilia dicta Patrum. Hæretici ergo si quando in sacro eloquio quædam quasi prudenter inveniunt, quæ dum non intelligunt pro suis esse assertionibus suspicantur, mox miseris auditoribus suis, quorum non animas sed substantias appetunt, hæc vociferantes aspergunt. De convallibus illa siquidem rapiunt: quia hæc de humilibus dictis Patrum superbò spiritu colligunt. Quæ dum pro suis se partibus inventisse gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet omne quod sentiunt, appetitu laudis ad aures hominum diffamare conantur.

(441) Possunt etiam per convalles terrena ista infirma designari: hi enim qui sublima montium, id est fortia æta sanctorum, contemplari nesciunt: semper in infimis quasi in convallibus conversantur. Et dum quodlibet lucri vel parvi stipendii inveiunt, cum clamore currunt: quia hoc abstrahere etiam jurgando **351** moliantur. In convalle enim reperitis singulis cum clamore currere est subortis causarum occasionibus etiam pro parva stipe litigare. Plerumque autem quem sanctum bona actio ostendit, oborta terreni commodi occasio examinat. Videas namque nonnullos jam sublimia agere, jam in abstinentiæ, jam in doctrinæ opere patrum præcedentium exempla sectari: sed cum repente præsentis vitæ lucrum, quasi fructum, convallis invennerunt, ad hoc cum clamore currunt, quasi disrupta ad illud superductæ sanctitatis tranquillitate pro-siliunt.

(442) Convallium nomine ima pœnarum loca designantur, sicut per beatum Job de iniquis dicitur: *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui transit raptim in convallibus* (Job vi, 15). Sæpe reprobi eandem fidem, qua vivimus, retinent, eadem fidei sacramenta percipiunt ejusdem religionis unitate continentur, sed tamen compassionis viscera nesciunt. Charitatis vim qua in Deum et proximum

(439) Ex hom. 12 in Ezech. statim in initio.

(440) Ex lib. xx in Job, c. xii, 13.

(441) Ex l. sup., c. xv, post me 14.

(442) Ex l. vii, in Job, c. x.

flagramus, non agnoscunt. Recte ergo isti, ei fratres et prætereuntes vocantur, quia ex uno nobiscum matris gremio per fidem prodeunt sed in uno charitatis studio erga Deum et proximum non figuntur. Quia autem in hac vita, quam totis desideriis appetunt, diu stare nequaquam possunt, bene dicitur: sicut torrens raptim ad convalles transeunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt (443). Augeri sibi optant tempora, sed quia concessa subsistere nequeunt, quot augmenta vivendi percipiunt diu vivendi spatia quotidie perdunt. Momenta ergo temporum, quo sequuntur, fugiunt, quo accipiunt, amittunt. Raptim itaque ad convalles transeunt, quia in longum quidem voluptatum desideria pro pertrahunt, sed ad inferni claustra repente perducuntur. Quia etenim hoc tempus quod qualibet longævitate extensum est, si fine clauditur, longum non est: ex fine miseri colligunt breve fuisse quod amittendo tenuerunt. Ude bene per Salomonem dicitur: *Si multis annis vixerit homo, et his omnibus lectus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum inultorum qui, cum venerint, vanitatis* 352 *arguuntur præterita* (Eccl. xi, 8). Stulta etenim mens cum malum repente invenerit, quia nequaquam præterit, æternitatem ejus tolerando intelligit quia quod præterire potuit, vanum fuit.

## CAPUT XI.

## DE PLATEA.

*In Scriptura sacra plateæ nomine aliquando auctoritatis latitudo, aliquando libertas propriæ voluntatis, aliquando latitudo vitæ præsentis.*

(444) Plateæ nomine latitudo intelligitur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea ponebatur cathedra mihi* (Job xxix, 7). Quid enim per portam civitatis nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conventum regni cælestis ingreditur? Quid vero per cathedram nisi magisterii auctoritas intelligitur? Græca autem voce, platea pro latitudine dicitur. Hunc ergo sancta Ecclesia ad civitatis portam procedit, quia ut aditum cælestis regni percipiat, in sanctis se actionibus exerit. Cui in platea paratur cathedra quia in magnæ auctoritatis latitudine, sui magisterii exhibet libertatem. Qui D enim, recta quæ sentit, publica voce prædicat, quasi in platea super cathedram sedet, cum nullum de sua prædicatione metuit, nullius pressus terroribus se sub silentio abscondit.

Plateæ nomine libertas propriæ voluntatis intelligitur, sicut de quibusdam miræ abstinentiæ, et continentiæ ad pravitatem reversus per Jeremiam dicitur. *Non sunt cogniti in plateis* (Thren. iv, 8). Vide cap. 33, lib. v, distinct. 4, in medio.

(445) 353 Platearum nomine latitudo vitæ præsentis designatur, sicut per Jeremiam dicitur: *Quo-*

(443) Hæc sunt ante finem cap.

(444) Ex l. xix in Job. c. xi.

(445) Ex II part. Pastor., c. 7.

*A modo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (Thren. iv, 1). Quid namque auro quod cæteris metallis præeminet nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Et enim Græco eloquio *πλάτος* latitudo dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundam qui degere religiose credebantur, æstimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se B actibus inserit, quasi colore permutato, ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides, in plateas disperguntur, cum causarum sæcularium foras lata itinera expectant, hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii vacare debuerunt. Ad hoc quippe sanctuarii lapides fiebant, ut intra Sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ exigunt, sanctuarii lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditæ terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit, quia et cum terrena agunt, summi videri appetunt, ut lata itinera teneant ex voluptate delectationis, et tamen sicut in platearum sint capite, ex honore sanctitatis.

## 354 CAPUT XII.

## DE VIA.

*In Scriptura sacra cum via singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando transitus humanitatis ipsius Christi, aliquando specialis adventus ejus, ad cor nostrum, aliquando tunc rectitudinis, aliquando latitudinis propriæ libertatis conversatio; cum vero viæ pluraliter dicuntur, aliquando actiones nostræ, aliquando actiones Dei, aliquando vivendi exprimentur.*

(446) Viæ nomine Christus intelligitur, sicut vocem Dominica ad beatum Job dicitur sub interrogatione: *Per quam viam spargitur lux?* (Job. xxxviii, 24.) Ipse quippe est via, qui ait: *Ego sum via, veritas et vita* (Joan. xiv, 6). Lux vero fulgor prædicationis accipitur. Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per Redemptoris nostri præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata aut coarctata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit.

(447) Viæ nomine transitus humanitatis Christi intelligitur, sicut de sapientia per beatum Job dicitur:

(446) Ex l. xxix in Job, c. xii.

(447) Ex l. xix in Job, c. iiii, 2.

citur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum ejus* (Job. xxviii, 23). Coaeterna enim Deo sapientia, aliter habet viam, atque aliter locum : locum vero, si quis intelligat, non localem. Nam teneri corporaliter non potest Deus **355** sed, sicut dictum est, locus intelligitur, non localis. Locus enim sapientiae, Pater est. Locus Patris, Sapientia, sicut ipsa Sapientia attestante dicitur : *Ego in Patre et Pater in me* (Joan. xiv). Aliter ergo sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam enim habet per humanitatis transitum, locum vero per statum divinitatis. Inde namque non transit, unde aeterna est, sed unde transit unde propter nos apparuit temporalis. Sic quippe in Evangelio scriptum est quia egrediens ab Jericho Dominus transibat ; duo autem caeci sedentes juxta viam clamaverunt dicentes : *Domine, miserere nostri, fili David* (Matth. xx, 30). Ad quorum vocem, sicut illic scriptum est, Stetit Jesus, et lumen reddidit (*ibid.*). Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod nobis per humanitatem suam misertus est, qui per divinitatis potentiam, a nobis mentis nostrae tenebras exclusit ? Qui enim propter nos natus et passus est, qui resurrexit et ascendit in caelum, quasi transit Jesus, quia hoc nimirum actio temporalis est. Sed stans eos tetigit et illuminavit, quia non sicut illa dispensatio spiritalis, ita ubi aeternitas transit quae in se manens innovat omnia. Stare enim Dei est incommutabili cogitatione mutabilia concta disponere. Qui ergo voces petentium audivit transiens, stans lumen reddidit, quia et si propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit. Quia igitur quando per carnem appareret hominibus, incertum fuit, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*.

(448) Quamvis et hoc aliter intelligi potest ; nam via ejus non inconvenienter accipitur, hoc ipsum quod venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus vero ejus fit ad cor quod veniens permanet de hac quippe via illius dicitur : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domino* (Matth. iii, 3), id est in corde vestro venienti sapientiae aditum reserate, sicut et alias dicitur : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (Psal. lxxvii, 5). Super occasum quippe fuit ascendere ipsam mortem quam pertulerat resurgendo superasse ; ait ergo ei qui ascendit super **356** occasum : *Iter facite*, id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem viam praebete, hinc Joanni per Spiritum dicitur : *Praebis ante faciem Domini parare vias ejus* (Luc. i, 76). Quisquis enim praedicando a sordibus vitiorum corda emundat audientium, venienti sapientiae viam praeparat habet ergo viam ista sapientia habet locum ; viam qua venit locum quo manet. *Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*

(448) Ex cod. lib. et cap.

(449) Ex l. xxi in Job, c. v, 17.

(Joan. xiv). Sed quando venit quae ubique est, venire sapientiae est per illuminationem mentis nostrae, judicare praesentiam majestatis suae, et quia hominibus incertum vel in cujus cor veniat, vel in quo postquam venerit permanendo requiescat, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*, quia solius divinae visionis est cernere, vel quibus modis intellectus sapientiae ad cor hominis veniat, vel cujus mens intellectum vitae quem perceperit, mortiferis cogitationibus non amittat.

(449) Viae nomine iter rectitudinis intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Si declinaverit gressus meus de via!* (Job. xxxi, 7.) Quid est via ubi iter rectitudinis ? toties autem de via gressus declinat quoties cogitatio nostra iter rectitudinis per consensusm relinquit erroris, quasi enim tot gressus extra viam ponimus, quot perversis desideris a caelestis vitae delectatione separamur.

Viae nomine latitudo propriae libertatis designatur sicut voce Veritatis in Evangelio dicitur : *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spaciiosa est via, quae ducit ad perditionem : et multi sunt qui intrant per eam* (Matth. vii, 13). Hinc per Jacob dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (Gen. xlix, 17). Lege lib. iii, cap. 2, dist. 5.

Viae nomine sancta conversatio intelligitur, sicut iterum voce Veritatis in Evangelio dicitur : *Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniunt eam* (Matth. vii, 14).

**357** (450) Viarum nomine actiones nostrae designantur sicut per Job de divino dicitur : *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus dinumerat?* (Job xxi, 4.) Quid enim viarum nomine nisi actiones denuntiat ? hinc per Jeremiam dicitur : *Bonas facite vias vestras, et studia vestra* (Jer. vii). Quid vero gressuum appellatione, nisi vel mentium, vel propectus accepimus meritum ? quibus gressibus veritas nos ad se vocat dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (Matth. xi, 28). Ad se quippe nos Dominus venire praecipit nimirum non gressibus corporis, sed propectibus cordis : ipse namque ait : *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem* (Joan. iv, 21). Et paulo post : *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate ; nam et Pater tales quaerit qui adorent eum* (*ibid.*, 23). In corde vero gressus esse insinuat, quando et ut veniamus vocat, et tamen motu corporis nequaquam ad alias nos transire denuntiat ; sic autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sic numerat gressus, ut ne minutissimae quidem cogitationes ejus judicio ac verba tenuissima quae apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant, hinc etenim dicit : *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio ; qui dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio : qui dixerit fatue, reus erit gehennae* (Matth. v, 22). Raca quippe in He-

(450) Lib. xx in Job, c. iv, 5.

bræ eloquio vox interjectionis est, quæ quidem animam irascentis ostendit, nec tamen plene verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata; ad extremum vero cum dicitur fatuus ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur. Et notandum quod ira perhibet reum esse iudicio in voce iræ, quæ est raca, reum consilio in verbo quod est fatuus reum gehennæ ignis. Per gradus enim culpæ currit ordo sententiæ: quia in iudicio adhuc causa discutitur. In consilio autem jam causæ sententia definitur. In gehenna vero ignis, ea quæ egreditur de consilio sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce, iudicio, ira in voce, consilio. Ira vero in voce atque sermone gehennæ ignis mancipatur: hanc subtilitatem considerationis **358** propheta aspexerat, cum dicebat: *Fortissimus, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi; magnum consilio, et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum factum adinventivum manuum ejus (Jer. xxxii, 19, 20).*

(451) Viarum Dei nomine actiones ejus intelliguntur, sicut ipsius voce ad beatum Job dicitur: *Ipse est principium viarum Dei (Job xl, 14).* Quid enim vias Domini nisi actiones ejus accipimus? de quibus ipse Dominus iterum per prophetam dicit: *Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ (Isa. lv, 8).* Et principium viarum Dei diabolus dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit, idcirco ergo ad tam multa fortiter, sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam Conditor primum fecit.

(452) Viarum Dei nomine vivendi ordines intelliguntur sicut in libro beati Job, de perversis et superbis per Eliam dicitur: *Qui quasi de industria recesserunt a Deo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt (Job xxxiv, 27).* Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebatur: *Qui prius sui blasphemus, et persecutor et contumeliosus: sed minam consecutus sum, quia ignorans feci incredulitate (I Tim. i, 13).* Petrus vero infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quam Dominus perhibuit, una vox puellæ concussit, et Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantia eo facilius tegitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit, sciendo correxit, et Petrus montem et quasi arentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit.

Ex industria vero peccaverunt hi de quibus ipse

(451) Lib. xxxii, in Job, c. xviii, 24.

(452) Ex lib. xxv in Job, cap. xi, 16.

per se magister dicebat: *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non **359** habent de peccato suo (Joan. xv).* Et paulo post: *Et viderunt et oderunt me et Patrem meum (ibid.).* Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem, sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim præcipitatione committitur quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plurimum solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio vero peccare est bonum nec facere nec amare. Sicut non unquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare; ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum non ex infirmitate, vel ignorantia, sed solo studio perpetratur, quia videlicet, si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appetere, facta ab aliis non odissent. Sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, recte dicitur: *Qui ex industria a Deo recesserunt.* Unde apte subjungitur: *Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Non enim ait infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt*: qui sæpe quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Etenim scriptum est: *Servus sciens voluntatem domini, et faciens digna plagis vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis (Luc. xii, 48);* impunitatem peccandi æstimat remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse superbia. Et tanto magis excusationem habere non possunt, quia nesciunt, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant.

### 360 CAPUT XIII.

DE SEMITA.

*In Scriptura sacra cum semita singulari numero ponitur, aliquando intentio Dominicæ incarnationis, aliquando operatio, aliquando angustia vitæ regularis intelligitur; dum vero pluraliter semitæ dicuntur, aliquando arctiora Domini præcepta, aliquando subtiles sanctorum doctorum prædicationes, aliquando cogitationes designantur.*

Semitæ nomine humilitas seu intentio Dominicæ incarnationis intelligitur, sicut per beatum Job de perfido Judæorum populo dicitur: *Semitam ignoravit avis (Job xxviii).* Vide cap. i, lib. 2, distinct. 1.

(453) Semitæ nomine operatio intelligitur, sicut voce Dominica de Antichristo ad beatum Job dicitur: *Post eum lucebit semita.* Post Antichristum quippe semita. Lucere dicitur, quia quæqua trans-

(453) Ex lib. xxxiv in Job, c. xv, 44.

sit, admirationem nimiam ex miraculorum suorum claritate dereliquit, et sive per se, seu per ministros suos quolibet prodeat, mendacibus signis coruscet. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Surgent pseudochristi et pseudoprophete, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si feri potest, etiam electi* (Matth. xxiv, 24). Semita igitur post Antichristum lucet, quia quorum corda penetrat eorum opera prodigiis illustrat ut nimirum tanto altius eorum merces in erroris tenebris teneat, quanto per eos foris quasi potentius lucem de miraculis ostentat.

**361** Semitæ nomine angustia vitæ regularis intelligitur, sicut per Jacob in filiorum suorum benedictione dicitur: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (Gen. xlix). Vide cap. 2, lib. II, distinct. 3.

Semitarum nomine arctiora præcepta Domini intelliguntur sicut per Psalmistam Domino dicitur: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas lucis edoce me* (Psal. xxiv, 4). Per vias enim communia quam et leviora præcepta quibus ad Dominum itur, designantur. Per semitas vero quæ strictiores sunt quæ viæ et rectius ducunt arctiora et graviora Dei præcepta exprimuntur et bene dicitur: Viæ demonstrantur, et semitæ edoceantur quæ in cognoscendis communibus præceptis quæ ampla sunt, ut viæ non est multum laborandum, sed in cognoscendis et tenendis strictioribus mandatis quæ stricta sunt et occulta sicut semitæ maxima est adhibenda diligentia doctrinæ.

(454) Semitarum nomine subtiles sanctorum doctorum prædicationes intelliguntur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?* (Job xxxvii, 16.) Nubes quippe sunt sancti prædicatores. Habent istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet sanctæ prædicationis vias. *Angusta quippe porta est, quæ ducit ad vitam* (Math. vii, 14). Eos ergo sancti prædicatores per semitas astringunt qui ab intentionis eorum tramite per lata mundi desideria vagando non exeunt. Arcta etenim bene vivendi censura non est ampla via, sed semita in qua prædicator quisque studiosè constringitur: quæ sub præceptoris custodia sollicitè coangustatur. An non quasi quædam angustia est itineris in hoc mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despiciere, despicientes honorare, adulantes despiciere, despectum sequi, et pro Deo opprobria amare et gloriam fugere, mala nocentium ex corde dimittere et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quæ videlicet omnia semitæ sunt, sed magnæ **362** quæ quanto in præsentî vita pro ipsa vivendi custodia angustæ sunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur. Unde et bene subditur perfecta scientia: perfecta quippe scientia est cuncta hæc sollicitè agere, et de suis meritis scire nihil esse. Un-

A de et ipsæ nubes de hac perfecta scientia docentur, cum eis voce Veritatis dicitur: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Inutiles servi sumus* (Luc xvii, 10). Perfecta scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientiæ se esse nescire; quia etsi jam Dei præcepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita consideratione ponderamus, etsi jam quæ intellexisse nos credimus, agimus adhuc tamen acta eadem, quæ distractione examinis sint discutienda, nescimus. Necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus.

Semitarum nomine cogitationes designantur, sicut per beatum Job Domino dicitur: *Posuisti in nervo pedem meum et observasti omnes semitas meas* (Job xiii, 29). Vide cap. 42, lib. v

(455) Gressuum nomine operationes, vel cogitationum motu designantur, sicut per Eliu de Domino dicitur: *Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat* (Job xxxiv, 21). Sæpe evenit, ut dum peccatores superna clementia expectat, in majorem cæcitatem cordis prosiliant, unde scriptum est: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit; tu autem secundum duritiam tuam et cor impænitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (Rom. ii, 5). Et ecce dum violentus quisque quod valuerit rapit, dum invalidos opprimit et dum diu omne quod nequiter concupiscit exercet, quia non subito percutitur, sed ejus in finem pœna differtur, nequissima ejus actio a Deo videri non creditur. Sed non ita esse testatur nunc Eliu qui dicit: *Oculi ejus super vias hominum et omnes gressus eorum considerat*. Tunc nequaquam considerare credebat quando pravus quilibet omne malum quod poterat inulte perpetrabat, æstimabat Deus justa acta non cernere, quia differebat juste damnare **363** et magna ejus patientia quasi quædam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri adeo credidit, quoties inulte peccavit, cui per quemdam sapientem dicitur: *Ne dicas, peccavi, et quid accidit mihi triste?* (Eccle. v, 3.) Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit pœnam. Qui quo pie expectatus est, eo est ad peccandum nequiter instigatus, et patientiam supernæ longanimitatis despiciens, unde corrigere culpam suam debuit inde cumulavit, sicut per eundem Job dicitur: *Dedit ei Deus locum penitentiae; et ille abiit in superbiam* (Job xxiv, 23). Sæpe etiam quia pœnam, quam meretur, repente non suscipit, hoc Deo non æstimat displicere quod facit. Dat itaque nunc ut ad quamlibet blasphemiam præsumendo prorumpat, voluptatum suarum nequitas impleat, aliena rapiat, innocentem oppressione satietur, et quia necdum percutitur, vias suas a Domino aut non videri æstimet, aut (quod pejus est) approbari. Veniet profecto, veniet æterna et repentina percussio, et tunc

(454) Ex l. xxvii in Job c. xxii.

(455) Ex l. xxviii in Job c. vii. by Google

cognosceret. a Deo cuncta conspici, quando se impro- A  
 viso exitu viderit pro cunctorum retributione dam-  
 nari. Tunc in pœna sua oculos aperiet, quos diu te-  
 nuit clausos in culpa. Tunc considerasse omnia ve-  
 rum iudicem sentit et quando malorum suorum  
 meritum jam evadere sentiendo non possit. Iniquus  
 igitur qui diu exspectatus est, idcirco est repente sub-  
 blatus, quia *oculi Domini super vias hominum, et om-  
 nes gressus eorum considerat*. Ac si diceret: Quia ea  
 quæ diu patienter conspiciat, quandoque inulta non  
 deserit. Nam ecce subito violentum rapit et mala  
 ejus quæ exspectando protulit, animadvertendo re-  
 secavit. Nemo igitur dicat humana facta Dominum  
 non cognoscere, cum iniquum quempiam iniquita-  
 tes suas libere prospicit cumulare. Subito enim tolli-  
 tur, qui diu toleratur. Gressus vero hominum vocat B  
 vel singulas operationes quibus innititur, vel alter-  
 nantes motus intimæ cogitationis, quibus quasi passi-  
 bus vel longe à Domino recedimus, vel pie Domi-  
 no propinquamus. Ad Deum enim quasi tot gressibus  
 mens accedit, quot bonis motibus proficit, et rur-  
 sum, tot gressibus longe fit quot malis cogitationi-  
 bus decrescit.

### 364 CAPUT XV.

DE INVIA.

(456) Invia dicitur gentilitas, sicut voce Domini-  
 ca ad beatum Job dicitur: *Quis dedit vehementissi-  
 mo imbri cursum, ut impleret inviam et desolatam,  
 et produceret herbas virentes?* (Job xxxviii, 27.) Invia  
 namque dudum gentilitas fuit ad quam via Dei verbo C  
 non patuit. Redemptore quippe nostro veniente,  
 sic accepit vocationem gratiæ ut non in ea prius fuerit  
 via prophetiæ. Qui desolata etiam recte vocata  
 est vel ratione, videlicet consilium, vel operis fructu  
 destituta. Dedit ergo Dominus vehementissimo im-  
 bri cursum, ut impleret inviam et desolatam et produ-  
 ceret herbas virentes, id est, exteriori prædicationi  
 internam aspirationem contulit, ut corda  
 gentilium inania implerentur, infecunda germina-  
 rent.

(457) Potest etiam quælibet fidelium mens invia  
 dici, quæ et verba vitæ audiat, ea tamen transire  
 usque ad interna cordis minime permittat. Prava enim  
 desideria in corde tali sedem inveniunt, recta vero si  
 quando invenerint, ac impellantur, decurrunt. Sed D  
 cum misericors Deus imbri suo cursum dare digna-  
 tur, compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures  
 cordis aperiunt; et impletur terra invia, quæ  
 dum præbet aditum verbo, cumulat mysterio. Et  
 producit herbas virentes: quia per gratiam com-  
 punctionis infusa prædicationis verba non solum li-  
 benter recipit; sed etiam ubertim fundit, ut quod  
 audire non poterat, jam loqui concupiscat, et quæ nos  
 audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquen-  
 do quæ sancta sunt, viriditate sua quoslibet esurientes  
 pascat.

(456) Ex l. xxix in Job c. xiv.

(457) Ex sine c. 2. l. super.

(458) Ex hom. 7 in Evang.

### 365 CAPUT XVI.

DE DESERTO.

In Scriptura sacra cum desertum singulariter poni-  
 tur, aliquando Judæa, gentilitas, aliquando cælum,  
 aliquando cor infidelium, vel multitudo immundo-  
 rum spirituum designatur; cum vero deserta dicuntur,  
 hæreticorum dogmata designantur.

(458) Deserti nomine Judæa intelligitur, sicut per  
 Joannem Baptistam dicitur: *Ego vox clamantis in  
 deserto* (Luc. iii, 4). Scimus quia unigenitus Dei  
 Filius Verbum Patris vocatur, Joanne evangelista  
 attestante, qui ait: *In principio erat Verbum, et Ver-  
 bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i, 1).  
 Et ex ipsa nostra locutione cognoscimus quia vox  
 prius sonat verbum postmodum possit audiri. Joannes  
 ergo vocem esse se assertit, quia verbum præ-  
 cedit. Adventum itaque Dominicum percurrens vox  
 dicitur, quia per ejus ministerium Patris Verbum  
 ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat,  
 quia derelictæ ac destitutæ Judææ solatium Redem-  
 ptoris annuntiat.

Deserti nomine gentilitas designatur, sicut voce  
 Dominica ad beatum Job dicitur: *Quis dedit vehe-  
 mentissimo imbri cursum, et viam sonanti tonitruui ut  
 plueret super terram absque homine in deserto* (Job  
 xxxviii, 25). Vide cap. 4 hujus lib., dist. 4.

(459) Deserti nomine cælum intelligitur, sicut  
 evangelica voce Veritatis dicitur: *Quis ex vobis  
 homo qui habeat centum oves, et si perdidit unam  
 ex illis, nonne 366 dimittit nonaginta novem in de-  
 serto, et vadit ad illam quæ perierat* (Luc. xv, 4).  
 Ecce mira pietatis dispensatione similitudinem Ve-  
 ritatis dedit quam et in se ipse homo recognosceret,  
 tamen hæc specialiter ad ipsam auctorem hominum  
 pertineret. Quia enim centenarius perfectus est nu-  
 merus, ipse centum oves habuit, cum sanctorum  
 angelorum substantiam et hominum possedit. Sed  
 ovis una tunc perit, quando peccando homo pascua  
 vitæ reliquit. Dimisit autem nonaginta novem oves  
 in deserto, quia illos summos angelorum choros re-  
 liquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocatur,  
 nisi quod desertum dicitur derelictum. Tunc enim  
 cælum homo deseruit, cum peccavit. In deserto au-  
 tem nonaginta novem oves remanserant; quando in  
 terra Dominus unam quærebat quia rationalia crea-  
 turæ numerus angelorum videlicet et hominum, quæ  
 ad videndum Dominum, condita fuerat, pereunte  
 homine erat imminutus. Et ut perfecta summa  
 ovium redintegraretur in cælo, homo perditus quæ-  
 rebatur in terra. Nam quod hic evangelista dicit in  
 deserto, alius dicit in montibus (Matth. xviii, 12),  
 ut significet in excelsis, quia nimirum oves, quæ  
 non perierant, in sublimibus stabant.

(460) Deserti nomine vel cor fidelium, vel multi-  
 tudo immundorum spirituum designatur, sicut ad  
 beatum Job de filiorum suorum ac filiarum morte  
 per nuntium dicitur: *Filiis tuis, et filiabus vesce-*

(459) Ex hom. 34 in Evang.

(460) Ex l. ii in Job c. xx.

tibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti : repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus quæ corruens oppressit liberos tuos : et mortui sunt (Job 1, 18, 19), et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. Per Job quippe Redemptorem nostrum, per filios et filias ejus prædicatores apostolos ac plebes subditas sentimus. Qui in domo fratris sui primogeniti convivare referuntur : quia in habitatione adhuc Judæici populi sacræ prædicationis deliciis vescebantur. Religio deserti est cor infidelium, quod dum Creator deserit, nullus inhabitator colit. Ventus autem vehemens, quid aliud quam tentatio fortis accipitur? Ventus ergo vehemens a regione irruit : quia in **367** passione Redemptoris nostri contra fideles ejus fortis tentatio a cordibus Judæorum venit.

(461) Deserti homine potest derelicta immundorum spirituum multitudo convenienter intelligi a qua ventus venit, et domum concutit, quia ab eis tentatio prodiit, et persecutorum corda commovit. Sed hæc domus in qua convivabantur filii in quatuor angulis stabat. Tres enim regentium ordines in Synagoga cognovimus, sacerdotum scilicet, scribarum atque seniorum populi. Quibus si Phariseos jungimus, quatuor in hac domo angulos invenimus. A regione igitur deserti ventus venit et quatuor domus angulos concutit : quia ab immundis spiritibus tentatio irruit, et mentes quatuor ordinum in malitiam persecutionis excitavit. Quæ domus corruens oppressit liberos : quia dum Judæa in crudelitatem Dominicæ persecutionis cadit, apostolorum fidem desperationis formidine obruit.

Desertorum nomine hæreticorum dogmata, vel vitæ temporalis commoda intelliguntur : sicut per beatum Job de ipsorum hæreticorum sequacibus quibuslibet, mundi amatoribus, dicitur : *In desertis habitant terrenum* (Job xxx, 6). Vide lib. vii, cap. 8, dist. 6.

#### CAPUT XVII.

##### DE SOLITUDINE.

*In Scriptura sacra solitudinis nomine, aliquando secreta quies mentis, aliquando gentilitas, aliquando separatio ab Ecclesia designatur.*

(462) Solitudinis nomine secreta quies mentis intelligitur, sicut ad beatum Job voce Dominica de solitario viro, sub onagri figura dicitur : *Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula* **368** *in terra salsuginis* (Job xxxix, 6). Hoc loco solitudinem debemus intelligere corporis, aut solitudinem cordis? Sed quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationi se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiat, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur ut

A exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo exteriore cessante strepitu per interna desideria silenter loquatur. De hoc secreto cordis aliàs dicitur : *Factum est silentium in celo quasi dimidia hora* (Apoc. viii, 1). Quære in capite De celo.

(463) Sciendum vero nobis est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessemus. Nequaquam nosmetipsos intuemur, ut sciamus aliud in nobis rationale esse, quod regit ; aliud animale quod regitur, nisi ad secretum hujus silentii recurrentes omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene etiam Adam dormiens figuravit, de cujus latere mox mulier processit : Quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur a rebus visibilibus oculos claudit, et tunc in se ipso vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possunt infirma distinguit, ut aliud in illo sit quod regere valeat tanquam vir, aliud tanquam femina quod regatur. In hoc itaque silentio cordis dum per contemplationem interius vigilamus, exterius quasi obdormiscimus. Quia ergo remoti viri, id est a desideriiis carnalibus alieni, hoc silentium mentis inhabitant, huic onagro Dominus in solitudine domum dedit, ut turba desideriorum temporalium non prematur.

De hac iterum solitudine per beatum Job dicitur : *Qui ædificant sibi solitudines* (Job iii, 14). **368 bis** (464) Solitudines quippe ædificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere : et una intentione æternæ patriæ in amore intinæ quietis anhelare. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat qui dicebat : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Psal. xxvi, 4). Frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat et ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat, ubi et tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret. Hinc iterum dicit : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (Psal. lrv, 8). Fugiens quippe elongat qui a turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se subleat. Manet in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione.

(465) Solitudinis nomine gentilitas designatur. Unde et hoc quod in persona solitarii supra posuimus, videlicet, cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis etiam in persona nostri Redemptoris potest intelligi. In gentilitate enim in qua patriarcha non fuit, propheta non fuit, quia ad intelligendum Deum, qui ratione uteretur

(461) Ex iisdem lib. et cap.

(462) Ex l. xxx in Job c. xii, xxiii, xxiv

(463) Lib. i, c. 3, dist. 2.

(464) Ex l. iv in Job c. xxviii.

(465) Ex l. xxx in Job, c. xv, 3<sup>1</sup>.



non fuit, homo pene non fuit. De hac solitudine per A  
Isaiam dicitur : *Lætabitur deserta et in via exsul-  
tabit solitudo, et florebit quasi lilius (Isa. xxxv, 1).*  
Et rursus de Ecclesia dicitur : *Ponet desertum ejus  
quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Do-  
mini (Isa. li, 3).* Terra vero salsuginis hæc eadem  
solitudo repetita est, quæ priusquam veram Dei sa-  
pientiam cognosceret, salsuginem protulerat : quia  
nullam viriditatem boni intellectus proferens per-  
versa sapiebat. Domum ergo in solitudine, taberna-  
culum in terra salsuginis accepit Dominus : quia  
incarnatus pro hominibus derelicta gentilitatis  
corda possedit. Unde ei Patris voce per Psalmistam  
dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæredita-  
tem tuam, et possessionem tuam terminos terræ  
(Psal. ii, 8).* Qui juxta hoc quod Deus est, cum Pa-  
tre dat omnia : juxta vero hoc quod homo est, a  
Patre accipit omnia, sicut scriptum est : *Potesta-  
tem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est  
(Joan. v, 27).* Et rursus scriptum est : *Sciens quia  
omnia dedit ei Pater in manus (Joan. xiii, 3), 369*  
vel sicut ipse dicit : *Omne quod dat mihi Pater, ad  
me veniet (Joan. vi).*

(466) Solitudinis nomine separatio ab Ecclesia  
intelligitur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur :  
*Qui rodebant in solitudine, squalentes calamita-  
te et miseria (Job xxx, 3).* Rodi quippe solent  
quod comedi non potest. Hæretici autem, quia Scri-  
pturam sacram intelligere sua virtute moliuntur,  
eam procul dubio apprehendere nequaquam pos-  
sunt. Quam dum non intelligunt, quasi non edunt.  
Et quia superna gratia non adjuti hanc edere ne-  
queunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Ex-  
terius quippe illam contrectant cum quiddam con-  
nantur, sed non ad ejus interiora perveniunt. Qui  
quia ab universalis Ecclesiæ societate disjuncti sunt,  
non quolibet rodere, sed in solitudine memorantur.  
Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores  
falsi sequentes suos traherent, longe ante Veritas  
præmonuit dicens : *Si dixerint vobis, ecce in deserto  
est, nolite exire (Math. xxiv, 26).* Qui recte perhi-  
bentur calamitate et miseria squalidi, quia et morum  
sunt perniciæ et sensuum pravitate despecti.

## CAPUT XVIII.

## DE AGGERE.

(467) Aggeris nomine moles tentationum desi-  
gnantur, sicut ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis,  
sume tibi laterem, et ponas eum coram te, et descri-  
bes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus  
eam obsidionem et edificabis munitiones, et compor-  
tabis aggerem et dabis contra eam castra, et ponas  
arietes in gyro (Ezech. iv, 1, 2).* Ubi nobis prius in-  
quirendum est, cum Ezechiel propheta quoties sub-  
limia conspiciat, vel quoties agere aliqua mystica  
jubetur, prius filius hominis appellatur. Sæpe enim  
sublevatur ad cælestia, et occultis ac invisibilibus

rebus ejus mens pascitur. Necesse est ergo ut inter  
occulta quæ penetrat, filius hominis vocetur ut sem-  
per agnoscat quod est, et nunquam extollatur de  
his ad quæ ducitur. Quid est enim prophetæ ad spi-  
ritualia sublevato semper *fili hominis 369* bis di-  
cere, nisi eum infirmitatis propriæ memorem facere ?  
Ut conscius conditionis infirmæ elevari in cognitione  
non debeat de magnitudine contemplationis suæ.  
Quia ergo idem propheta typum prædicantium vel  
doctorum tenet, recte ei nunc dicitur : *Sume tibi  
laterem, et pone eum coram te.* Omnis enim doctor  
cum terrenum quempiam auditorem ad cælestis  
verbi doctrinam suscipit, laterem assumit. Cui dum  
loqui cœperit quæ sit retributio cælestis patriæ, quæ  
visio pacis supernæ, civitatem Jerusalem describit in  
latere. Quem coram se ponit cum intenta mente  
qualitatem audientis considerat, id est profectum,  
vel defectum conspiciat, et juxta ejusdem intelligen-  
tiam, prædicationis suæ verba moderatur ut describi  
in audientis mente civitas Jerusalem, id est *visio  
pacis* possit. Dicitur ergo : *Sume tibi laterem,* id est  
proximi cor tenerum, *pones eum coram te,* scilicet  
ut vitam atque intellectum illius intenta mente cu-  
stodias, *et describes in eo civitatem Jerusalem,* ut ei  
quæ sint superna gaudia de visione supernæ pacis  
innotescas. Quasi enim jam Jerusalem descripta est  
in latere, cum terrena mens cœperit quæ sint illa  
internæ pacis gaudia vera cognoscere, et ad conspi-  
ciendam gloriam patriæ cælestis anhelare. Quasi  
internæ pacis visio describitur, quando mens quæ  
terrena prius sapuerat per amorem, jam ad con-  
templandam gloriam regni cælestis elevatur. Sed  
mox ut animus amare cælestia cœperit, mox ut ad  
visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit,  
antiquus ille adversarius, qui de cælo lapsus est, in-  
videt, et insidiari amplius incipit, et acriores, quam  
consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque  
sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam  
tentaverat, quando possidebat. Unde scriptum est :  
*Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et ti-  
more, et præpara animam tuam ad tentationem (Ec-  
cli. ii, 4).* Unde et dæmoniacus qui a Domino sana-  
tur ab exeunte dæmone discerpitur, sicut scriptum  
est : *Et clamans, et multum discerpens eum exiit ab  
eo (Marc. v, 5).* Quid est enim quod obsessum homi-  
nem antiquus hostis quem possessum non discer-  
pserat, deserens discerpit, nisi quod plerumque,  
dum de corde expellitur, acriores in **370** eo tenta-  
tiones generat quam prius excitaverat quando hoc  
quietus possidebat. Unde Israelitæ quoque ad Moy-  
sen et Aaron dicunt : *Videatur Dominus, et judi-  
cet quia fetere fecistis odorem nostrum coram Pha-  
raone et servis ejus, et præbuitis ei gladium ut occi-  
deret nos (Exod. v, 21).* In Moysen enim et Aaron  
lex et prophetæ figurati sunt. Et sæpe apud se ani-  
mus infirmus quasi contra sacra eloquia murmurat,  
quia postquam verba cælestia audire, et sequi cœ-

(466) Ex l. xi in Job c. xi.

(467) Ex hom. 12 in Ezech.

perit, regis Ægyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio excrescit. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ quæ illam sequatur tentationes inuotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare. Unde bene nunc post descriptam civitatem Jerusalem in latere dicitur : *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones et comportabis aggerem.* In qua enim jam visio pacis describitur, ei necesse est ut tentationum bella nuntientur. Nam ut valeat ad illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum tentamenta multa sustinere. De qua bene dicitur : *Ordinabis adversus eam obsidionem.* Prædicatores quippe contra erudiendam animam obsidionem ordinant, cum præmovendo indicant quibus se modis vitia virtutibus opponant, quomodo luxuria castitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta lætitiæ vigorem mentis resolvat, qualiter multiloquium munitionem cordis destruat, quomodo invidia charitatem interficiat, quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia cum veritatem in sermone corruperit, hanc etiam in cogitatione corrumpat, ut qui verum dicere noluit quod intellexit, jam nec intelligat quod dicere valeat. Ordinatur ergo a prædicatore obsidio, cum per sanctæ admonitionis verba singulis quibus virtutibus, quæ vel quibus modis vitia insidentur ostenditur.

Adhuc quoque subditur : *Et comportabis aggerem.* Quo enim mens desiderare cœlestia cœperit, coia illam maligni spiritus tentationibus suis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta autem aggerem comportat, cum prædicator sanctus bonis mentibus qualiter **371** terrena desideria subripere solent, denuntiat : *Et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Quasi dat prædicator contra animam castra quando malignorum spirituum contra eam collectas atque adunatas insidias indicat, ut aliquando non solummodo ex uno, sed ex conjunctis vitiis tentent. Nam sunt quædam vitia quasi per quamdam sibi cognationem propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ et immunditia luxuriæ ; sicut multiloquium, fallacia et perjurium. Ex dissolutione quippe spiritus meus ad ingluviem ventris rapitur, et dum cibus venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur superbiendo captiva. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur, quia valde difficile est ut qui multa loquitur, non etiam mentiat. Et sæpe mendacium perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur. Superbia quoque esse sine invidia et inani gloria non esse potest. Superbus etenim quisque honorem quem ipse ambit, aliis invidet, et cum hunc fortasse obtinuerit, in elationem temporalis gloriæ attollitur, atque quod alios conspicit minime percipere potuisse, hoc se per inane gloriæ gaudet præ cæteris habere. Sciendum

A quoque quia nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt, sed supponuntur, ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem venit, aliud vero in tentatione se ex latere subjicit : quatenus, dum alteri resistitur, ab altero mens decepta capiatur. Ipsa enim quæ superius diximus vitia plerumque se alia pro aliis furtive supponunt, sicut nonnunquam, dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plusquam necesse est lenitas mentem occupat ut asperitatem peccantibus quam oportet minime proponat. Sæpe vero dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in fervorem trahit, atque extra patientiæ litem animum captivum rapit. Quia ergo pernista vitii atque adunata contra mentem veniunt, recte in prædicatoris ore contra descriptam Jerusalem castra proponuntur ; quia aliquando singula hinc inde sensum feriunt, in gyro arietes ordinantur. Poni ergo prædicator arietes in gyro dum caute denuntiat quam blande luxuria percussit, quam aspere impatientia occidit, **372** quam laboriose avaritia accendit, interimit, quam tumide superbia extinguit. In gyro arietes ponere est prædicando ostendere qui undique solcant animam mucrones vitiorum ferire.

## CAPUT XIX.

## DE FOVEA.

*In Scriptura sacra foveæ nomine aliquando terrenarum rerum abjectio, vel barathrum inferni, aliquando latebra defensionis intelliguntur.*

(468) Foveæ nomine vel terrenarum rerum abjectio vel barathrum inferni designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job de superbis dicitur : *Absconde eos pulvere simul et facies eorum demerge in foveam (Job xl, 8).* Hunc pravaram cogitationum pulverem oppressa mens tolerat quem ventus nequissimæ tentationis apportat. Hinc est enim quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie per prophetam dicitur : *Cur factus est Ephraim subcinericius panis qui non reversatur? (Ose. vii, 8.)* Aptè autem subjungitur : *Simul et facies eorum demerge in foveam.* Ac si dicat : ut ego. Justo namque judicio superbiorum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum se ultra homines erigentem inferius dejicit. Imā enim respicit, cujus facies foveam attendit, et bene de superbis dicitur quod eorum facies in foveam demerguntur, quia imā petunt, dum superbiendo altiora appetunt, et quo magis extollendo se erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Terrenam quippe gloriam quærunt, et infima sunt quæ prospiciunt, dum superbiendo alta sectantur. Recte ergo eorum facies in foveam mergi perhibentur, quia sequentes infima, ad inferni barathrum tendunt. **373** Justo enim judicio agitur, ut quos hic voluntaria aversio excæcat, illic ab intuitu veri luminis digna supplicii fovea abscondat.

(469) Foveæ nomine latebræ defensionis desi-

(468) Ex l. xxxii in Job c. vii remotius a fine.

(469) Ex l. xxxiii in Job xix, 32. Google

quantur, sicut, per Prophetam contra Judæam dicitur : *Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem, ibi habuit foveam ericius* (Isa. xxxiv, 11).

## CAPUT XX.

## DE FOSSA.

(470) Fossæ nomine humilitas designatur, sicut ad Isaiam voce Dominica dicitur : *Ingrederi in petram, abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini, et gloria majestatis ejus* (Isa. ii, 20). Petram quippe ingredimur cum in cordis nostri duritiam penetramus, atque a facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes ege-  
rentes ab ira districti iudicis in humilitate nostræ mentis celamur. Quo enim plus terra fodiendo projicitur, eo pavementum semper inferius demonstratur : unde et nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nosmetipsos abscondamur, humiliter invenimus. Ecce enim quia divini iudicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet tantoque magis necesse est ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quoque fugiendum? Quomodo enim quis latere potest eum, qui ubique est? Sed ecce peccatum ingredi, fossa humo occultari præcipimur, ut videlicet cordis nostri duritiam disrum-  
pentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore rerum visibilibus apud nosmetipsos in corde subtrahimur : ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud semetipsam tanto tutius quanto et humiliter abscondatur.

(471) Fossæ nomine patientia designatur. Unde apud Ezechielem esse in altari fossa dicitur : *Ut in ea superposita holocausta serventur* (Ezech. xliii, 27). Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi? Quæ quot bona egerit, tot super se autem Dei oculos sacrificia imponit. Quid autem est altaris fossa, nisi honorum patientia? Quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more foveæ, hanc in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat, id est electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ etiam hoc quod bene operata est, amittat. Bene autem unius cubiti hæc eadem fossa esse memoratur, quia nimirum, si patientia non deseruit, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (Gal. vi, 2). Lex quippe Christi est unitatis charitas quam scli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt.

## CAPUT XXI.

## DE CAVERNA.

Cavernæ nomine cor pravum intelligitur, sicut per prophetam de Redemptore nostro dicitur : *De-*

(470) Ex l. xxxi in Job cap. xiiii, 22.

(471) Ex iii part. Pastor., admonit. 10.

(472) Ex l. xviii in Job c. xvii 3.

*A lectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* Vide cap. 29, lib. iii, dist. 1.

## CAPUT XXII.

## DE ANTRO.

*In Scriptura sacra antri nomine, aliquando cogitatio, vel cor bonorum designatur.*

(472) Antri nomine cor pravum intelligitur : sicut per Eliu de diabolo dicitur : *Ingreditur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur* (Job. xxxvii, 8). Quis alius nomine bestię nisi diabolus accipitur? Quia omnium reproborum corda nunc priusquam apertus appareat, possidet, eaque per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet atque ad omne quod nocere bonis appetit, in eorum obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda antrum hujus bestię non fuerunt in quorum diu consiliis latuit; sed repente vocibus erupit clamantium : *Crucifige, crucifige* (Luc. xxiii, 21). Et quia ad lacerationem mentis pertingere non potuit tentando, in Redemptoris nostri mortem carnis anhelavit.

(473) Antrorum vel specuum nomine cogitationes seu corda bonorum intelliguntur, sicut voce Dominica ad Job de apostolis dicitur : *Nunquid capies lænæ prædam, aut animam catulorum ejus implebis quando cubant in antris, et in specubus insidiantur?* (Job xxxviii, 39.)

## CAPUT XXIII.

## DE LUTO.

*In Scriptura sacra luti nomine aliquando Judæa, aliquando infirmitas conditionis nostræ, aliquando terrenarum rerum multiplicitas, aliquando doctrina sordidum sapiens, aliquando desiderii carnalis illecebra, aliquando mens Spiritus sancti gratia perfusa designatur.*

(474) Luti nomine Judæa intelligitur, sicut voce Dominica de ipsa ad Job dicitur : *Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum* (Job. xxxviii, 14). Quid enim aliud Dominus plebem Israeliticam reperit, nisi lutum, quantum obsequiis gentium deditam in Ægypto servientem lateribus invenit. Quam dum tot miraculis ad terram repromissionis duxit, dum perductam cognitionis suæ scientia replevit, dum tot arcana secretorum per prophetam contulit, quid eam aliud quam servandi mysterii signaculum fecit : ipsa quoque in divina prophetia clausum continuit quidquid severitas in fine revelavit. Sed dum post tot divina secreta, post tot percepta miracula in Redemptoris sui adventu plus terram quam veritatem dilexit, per sacerdotes dicens : *Si dimittamus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (Joan. xi, 48). Quasi ad eos quos in Ægypto reliquerat, lateres rediit, et quæ facta jam Dei signaculum fuerat, ad hoc se iterum quod deseruerat inflexit, lutumque se post

(473) Ex l. xxx in Job c. xi.

(474) Ex l. xxix in Job cap. iii.

signaculum in oculis Veritatis exhibuit, cum per impietatis malitiam accepti verbi mysteria perdidit, et sola terrena sapere quæ inquinant elegit. Ubi apte subjungitur : *Et stabit sicut vestimentum.* Impolita namque et grossiora vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induentis membris bene applicata non hærent, stare referuntur. Judæa ergo circa veritatis notitiam cum servire videtur, sicut vestimentum sterit, quia per exteriora mandata servire se Deo ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit; et dum solam in præceptis Dei literam tenuit, et nequaquam se per spiritum sensibus intimis junxit, quasi ei qui se induerat, non adhæsit.

(475) Luti nomine infirmitas conditionis nostræ designatur. Unde et hoc, quod jam exposuimus, aliter intelligi potest. Hominem quippe Dominus, quia ad similitudinem suam condidit, quasi quoddam potentæ suæ fecit signaculum.

Quod tamen ut lutum restituetur, quia licet æterna supplicia, per conversionem fugiat, in ultionem tamen perpetratæ superbix carnis morte damnatur. Ex luto quippe homo conditus, et mentis accepta ratione, similitudine divinæ imaginis decoratus, elatione cordis intumescens, quam de infimis formatus esset, oblitus est. Unde mira Conditoris justitia actum **377** est, ut quia per consensum intumuit quem rationalem accepit, rursus terra per mortem fieret quam esse se considerare humiliter noluit; et quia peccando Dei similitudinem perdidit, moriendo vero ad limi sui materiam rediit, recte nunc dicitur : *Restituetur ut lutum signaculum.* Et quia de corpore, cum spiritus vocatur, quodam quasi luto suæ carnis exiit, apte de eodem subjungitur : *Et stabit sicut vestimentum.* Lutum namque nostrum sicut vestimentum stare, est usque ad resurrectionis tempus iuane exutumque perdurare. Hanc conditionis nostræ infirmitatem beatus Job pietati iudicis obiciens supplicat; cum dicit : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me (Job. x, 9)* (476). Angelorum quippe spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant quanto eos carnis admistio non tenebat. Homo vero post culpam veniam meruit, quia per corpus carnale, aliquid quo semetipso minor esset accepit. Unde et apud respectum iudicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis, sicut per Psalmistam dicitur : *Ipse autem est misericors et propitiuss flet peccatis eorum, et multiplicavit, ut averteret iram suam et non accendit omnem iram suam et recordatus est quia caro sunt (Psal. lxxvii, 39).* Ut lutum ergo factus est homo, quia de limo est ad conditionem assumptus. Lutum quippe fit, cum se aqua terræ conspergit. Sicut lutum itaque conditus est homo, quia quasi aqua infundit pulverem, cum anima rigat carnem. Quod sanctus vir bene pietati Ju-

A dicis obijcit, cum postulans dicit : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Ac si aperte dicat : *Infirmitatem carnis considera, et reatum iniquitatis laxa.* Ubi apte quoque mors ejusdem carnis adingitur [f. attingitur], cum protinus subinfertur : *Et in pulverem deduces me.* Ac si patenter postulet, dicens : *Memento, quæso, quod per carnem a terra venio, et per ejus interitum ad terram tendo.* Materiam itaque originis et pœnam finis aspice, et culpam citius transeuntis dele.

(477) Luti nomine terrenarum rerum multiplicitas designatur, sicut per Habacuc prophetam dicitur : *Væ ei qui multiplicat non sua ! usquequo aggravat contra se 378 densum lutum ? (Habac. ii, 6.)* Densum enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui oppressionem se coangustat.

(478) Luti nomine doctrina sordidum sapiens signatur, sicut per eundem prophetam Domino dicitur : *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum (Habac. iii, 15).* Ac si diceret : *Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas hujus sæculi sordida et terrena sapientes.*

(479) Luti quoque nomine desiderii carnalis illecebra designatur, sicut Psalmista deprecans ait : *Eripe me de luto, ut non infigar. (Psal. lxxviii, 15).* Luto quippe inhærere est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.

(480) Luti nomine potest etiam significari mens superflua spiritus divini gratia, quia quod de exteriori homine explicatum est, hic de interiori valet intelligi : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me (Job x, 9).* Sicut lutum quippe homo noster interior existit, quia sancti Spiritus gratia terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum Conditoris sui erigatur. Humana namque cogitatio, quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim Spiritus sancti, quasi irrigata terra, viridescit, sed sæpe dum perceptis doni superni virtutibus sine corruptione utimur, ad privatam fiduciam usu continuæ prosperitatis elevamur. Unde fit plurimum ut idem, qui sublevaverat, parumper spiritus deserat, quatenus ipsum sibi hominem ostendat : quod sanctus vir exprimit cum subjungit : *Et in pulverem reduces me.* Quia enim per subtractionem spiritus, mens aliquantum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur, ut infirmitatem suam derelictus sentiat, et sine infusione supernæ gratiæ, quantum homo aruit, agnoscat. Qui apte quoque ad pulverem reduci dicitur, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura rapitur.

### 379 CAPUT XXXIV.

DE STERCORE.

*In Scriptura sacra stercoris nomine aliquando res transitoria designatur, aliquando fetor luxuriæ, aliquando peccatum quodlibet.*

Stercoris nomine rem transitoriam designat Sa-

(475) Ex l. xxix in Job c. vi, in fine, 5.

(476) Ex l. xlix in Job c. xxviii, 36.

(477) Ex l. xxxiv in Job. c. xiii, 9.

(478) Ex eod. lib. et cap.

(479) Ex eod. lib. et cap.

(480) Ex l. ix in Job cap. xxxix, 37.

lomon dicens : *De stercore boum lapidabitur piger* A (Eccli. xxii, 2). Vide lib. I, c. 3, dist. 8.

Stercoris nomine fetor luxuriæ intelligitur apud Joëlem. Vide l. iii, c. 1, dist. 3.

(481) Peccatum quodlibet per sterco significat evangelista ubi cultor vineæ domino suo, qui arborem fici plantatam in vinea habebat, et fructum in ea non inueniens, dixit ei ut succideret illam, respondisse dicitur : *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam in cophinum stercoris* (Luc. xiii, 8). Arbor namque anima uniuscujusque intelligitur. Unusquisque autem juxta modum suum in quantum locum vitæ præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, vel infructuosa arbor terram occupat, quia in eo loco in quo ipse est, et aliis operandi occasionem negat. Terram quippe occupat, qui mentes alienas gravat : terram occupat qui, locum quem tenet, in bonis operibus non exercet. Sed tamen nostrum est pro

talibus deprecari. Unde et cultor vineæ dicit : *Domine, dimitte illam et hoc anno et fodiam circa illam*. Quid est enim circa ficulneam fodere, nisi infructuosam mentem increpare ? Omnis quippe fossa in imo est, et nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat. Quoties ergo de peccato suo aliquando corripinius, quasi ex culturæ debito circa infructuosam arborem **380** fodimus. Post fossionem vero quid dicat, audiamus : *Et mittam cophinum stercoris*. Quid est enim cophinus stercoris, nisi memoria peccatorum ? Peccata etenim carnis stercora vocantur. Nos itaque quoties carnalem mentem de suis peccatis increpamus, quoties ad ejus memoriam vitia ante acta reducimus, quasi infructuosæ arbori cophinum stercoris versamus ut malorum quæ egit recolat, et ad compunctionis gratiam quasi de stercore pinguescat. Ex fetore igitur ad fructum reviviscit arbor, quia de consideratione peccati ad bona se opera resuscitat animus.

## INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

### **381** CAPUT PRIMUM.

#### DE AQUA.

In Scriptura sacra aquarum nomine aliquando sancti Spiritus infusio designatur, aliquando sancta scientia, aliquando prava scientia, aliquando tribulationes, aliquando populi, aliquando bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium, aliquando sanctissimi angelorum chori, aliquando cruciatus infernalis inopiæ, aliquando dudum mollia corda Judæorum, aliquando sacræ Scripturæ historia, aliquando scientia, aliquando fluxa locutio, aliquando lubrica pravorum corda, aliquando infidelitas vel frigora torpentium actionum, aliquando mæroris undæ, aliquando lamenta humilitatis vel compunctio cælestis.

(482) Aquæ nomine sancti Spiritus infusio designatur sicut in Evangelio dicitur : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent sicut aquæ vivæ* (Joan. vii, 38). Ubi autem evangelista secutus adjunxit : *Hæc autem dixit de Spiritu sancto quoniam accepturi erant credentes in eum* (ibid., 39). Rursus per aquam sancta scientia designatur, **382** sicut dicitur : *Aqua sapientiæ salutaris potabit eos* (Eccli. xv, 3). Per aquam quoque prava scientia appellari solet, sicut apud Salomonem mulier, quæ tyrum hæreseos tenet, callidis suasionibus blanditur, dicens : *Aquæ furtivæ dulciores sunt* (Prov. ix, 17).

(483) Aquarum nomine nonnunquam solent tribulationes intelligi, sicut per Psalmistam dicitur : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (Psal. lxxviii, 2).

- (481) Ex hom. 31 in Evang.  
 (482) Ex l. xix in Job c. 4.  
 (483) Ex eodem c. 11, et t. su.  
 (484) Ibidem.

(484) Aquarum nomine populi designantur, sicut per Joannem : *Aquæ vero sunt populi* (Apoc. xvii, 15). Idcirco autem aquis populi designantur, quia et invita sonum habet ex tumultu carnis et quotidie defluit ex decursu mortalitatis.

(485) Aquarum nomine non solum fluxus currentium populorum, sed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium designantur, sicut propheta ait : *Beati qui seminatis super omnes aquas* (Isa. xxxii, 20). Et per Psalmistam dicitur : *Vox Domini super aquas* (Psal. xxviii, 35). Et Job dicit de sanctis : *Aquas appendit in mensura* (Job xxviii, 25) (486). Quia videlicet sancti ipsi qui, suo levante spiritu, ad summa rapiuntur quando in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur : ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt : sed ne extollantur superbia, sit in eis ipsarum quædam mensura virtutum (487). Ad ima quippe trahit caro, ne extollat spiritus : et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infirmis : caro aggravat, ne extollamur ex summis. Si, non levante spiritu, nos caro tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima dejiceret.

Aquarum nomine sanctissimi designantur angelorum chori, sicut per Psalmistam dicitur : *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (Psal. ciii, 2). Vide lib. I, cap. 3, dist. 5

(488) Aquæ nomine cruciatus infernalis inopiæ

- (485) Ex fine, c. iv, lib. super.  
 (486) Ex c. v, lib. sup. in Job.  
 (487) Hæc sunt in medio c.  
 (488) Ex lib. xviii in Job c. 12.

exprimitur, sicut in Job de damnatione iniqui divi-  
tis **383** dicitur : *Apprehendet eum quasi aqua inopia*  
(Job xxvii, 20). Non immerito enim aquæ illa tunc  
inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui sus-  
ceptos in profundis absorbens solet lacus nomine  
designari. Unde per prophetam quoque humani ge-  
neris voce dicitur : *Lapsa est in lacum vita mea*  
(Thren. iii, 53). Ereptorum vero exultatione cantatur :  
*Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendantibus in lacum* (Psal. cxix, 3, 4).

(489) Aquarum nomine dudum mollia corda Judæorum designantur, sicut per Job scriptum est : *In similitudinem lapidis aquæ durantur* (Job xxxviii, 50). In lapide enim gentilium duritia designatur. Ipsi quippe lapides coluerunt, et de eis per Prophetam dictum est : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (Psal. cxliii, 8). Unde Joannes Judæos aspiciens se de stemmata generationis extollere, et gentiles prævidens ad Abraham prolem fidei cognitionem transire ait : *Ne velitis dicere inter vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (Matth. iii, 9). Lapidibus itaque, du-ros perfidia gentiles vocans, per aquas vero mollia prius signantur corda Judæorum. Quia ergo primum Judæa Deo credit, gentilitate omni in perfidia suæ obstinatione remanente : postmodum vero ad fidem gentilium corda mollita sunt, et Judæorum infidelitas obdurata, bene dictum est : *In similitudinem lapidis aquæ durantur*. Ac si diceret : Illa mollia et penetrabilia fide corda Judæorum, in insensibilitatem vertuntur gentium. Cum enim misericors Deus gentes traxit, iratus Judæam repulit. Actumque est ut sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta Judææ populus perfidiae torpore duresceret.

(490) Aquæ nomine sacræ Scripturæ historia designatur. Unde in Evangelio scriptum est, quod jussit Dominus impleri hydrias aqua, quam protinus vertit in vinum (Joan. ii, 7). Quid enim per hydrias nisi corda nostra : Quid per aquam nisi sacræ lectionis historia designantur? **384** Qui autem mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed implere aqua hydrias jubet, quia prius per sacræ lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aqua nobis in vinum vertitur, quando ipsa historia per allegoriæ mysterium in spiritalem nobis intelligentiam commutatur.

(491) Aquæ nomine scientia intelligitur, sicut Salomon, ait : *Aqua profunda, verba ex ore viri, et torrens rotundans fons sapientiæ* (Prov. xviii, 4). Aqua signari scientiam David propheta testatur dicens :

(489) Ex l. xxix in Job cap. xv, longiuscule a principio.

(490) Ex hom. 6 in viii Ezech.

(491) Ex l. xviii in Job c. 14.

*Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (Psal. xvii, 12) ; id est, occulta scientia in prophetis. Aqua signari scientiam Job noverat, qui de Domino dicebat : *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum* (Job xxvi, 8). Quid enim hoc loco aquam nisi scientiam appellat? nubium vero nomine quid aliud quam prædicatores sancti, id est apostoli, designat, qui per mundi partes circumquaque transmissi, et verbis noverant pluere, et miraculis coruscare? (492) Aqua autem ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorum mentibus loquens, quantum sentire valet, docere prohibetur. Nam si scientiam, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potius quam rigarent. Unde religata intrinsicè scientia, ut non pariter deorsum erumperet, auditores suos distillatione verborum nutriens, nubes illa loquebatur dicens : *Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis lac potum dedi vobis, non escam.* (I Cor. iii, 2). Quis enim ferre potuisset, si raptus ad tertium cælum, raptus in paradysum arcana verba audiens quæ loqui hominibus non liceret, tam immensos scientiæ sinus aperiret? Aut cujus non virtutem auditoris opprimeret, si ea quæ intrinsicè haurire poterat, in quantum lingua carnis sufficeret, extrinsecus inundans aquæ hujus immensitas emanasset? Sed ut auditores rudes, non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione soveantur, ligat Deus aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum; quia doctorum prædicationem temperat, ut auditorum infirmitas doctorum røre nutrita convalescat.

**385** (493) Aquæ nomine fluxa locutio designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* (Prov. xvii, 14). Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloqui relaxare. Quo contra et in bonam partem Salomon asserit dicens : *Aqua profunda ex ore viri* (Prov. xviii, 4). Qui ergo emittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus mens desidiosa in foveæ lapsus impellitur. Nam dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus, ut prius loqui aliena libeat, et postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota exstinguitur cordium. Unde e diverso scriptum est : *Qui imponit stulto silentium, iram mitigat* (Prov. xxvi, 10).

(494) Aquarum nomine lubrica pravorum desideria designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Statuit aquas quasi in utre* (Psal. lxxvii, 15). Aquas

(492) Hæc sunt in medio cap.

(493) Ex li. vii in Job c. xviii.

(494) Ex lib. viii in Job c. xi, ad finem, 16.

quippe in utre sunt, cum carnalium mentium tumida insanaque desideria ad peragenda mala quæ appetunt, impossibilitatis suæ angustia gravantur. Sæpe enim melioribus mali dominari concupiscunt, sed tamen eis divino iudicio cuncta mirabiliter disponente subtracta sunt. Nocere bonis elati tamen desiderant, et subjecti ab eis solatiâ sperant. Aquæ ergo in utre sunt, cum lubrica pravorum desideria, quia operis effectum non inveniunt sub carnali deprimentur.

(495) Aquarum nomine vel infidelitas, vel frigora torpentium actionum designantur, sicut in beato Job, de perverso quolibet scriptum est: *Ad nimium calorem transeat, ab aquis nivium* (Job xxiv, 19). Ilic eo iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit animam malitia sua* (Jer. vi, 7). Quo contra charitas calor est, quia videlicet mente accendit quam replet. De quo calore scriptum est: **386** *Abundabit iniquitas, refrigeret charitas multorum* (Matth. xxiv, 42). Bene ergo de perverso quolibet, prophetantis duntaxat sententia non optantis dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Ac si aperte diceretur: Qui humiliter sub disciplinæ vinculis non restringitur, ab infidelitate sua, vel a perversi operis frigore per immoderatam sapientiam in errorem labitur. Unde bene quoque egregius prædicator discipulorum suorum cordibus hunc exquisitæ sapientiæ nimium calorem devitans ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. xii, 3). Ne fortasse nimius calor interimeret quos prius aquæ nivium, id est infidelitas, vel torpentium actionum frigora morituros tenebant.

(496) Aquarum nomine mœroris undæ designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus* (Job iii, 24). Aquæ cum inundant, cum impetu veniunt, et crescentibus multipliciter voluminibus intumescunt. Electi ergo dum mentis suæ oculis divina iudicia opponunt, dum de occulta super se sententia trepidant, dum se ad Deum pervenire posse confidunt, sed tamen ne non perveniant metuunt; dum præteritorum suorum recolunt quæ deflent; dum quæ sibi adhuc futura sunt, quia nesciunt pertimescunt: quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur quæ in mœroris rugitus, quasi in subjecta littora defluunt. Vir igitur sanctus vidit quanta sint in lamentis poenitentiae volumina cogitationum; atque ipsas mœroris undas inundantes aquas vocavit dicens: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus mei*.

(497) Aquarum nomine lamenta humilitatis, vel compunctio cœlestis designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intingues me, et abominabuntur me vestimenta mea* (Job ix, 30). Aquæ etenim nivis, sunt lamenta hu-

A militatis. Quæ profecto humilitas, qui ante districti iudicis oculos cæteris virtutibus præminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt namque nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, quia afflicti plangunt; sed tamen **387** in fletibus ipsis vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem Conditoris eriguntur. Hi nimirum aquas habent, sed nivis aquas non habent et mundi esse nequeunt: quia humilitatis flutibus minime lavantur. Aquis autem nivis se laverat, qui confidenter dicebat: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias* (Psal. l, 19). Qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnant. Quamvis aquæ nivis, et aliter intelligi possint. B Aqua enim fontis et fluminis ex terra oritur, aqua vero nivis ex aere proruit. Et sunt nonnulli qui per orationum lamenta se cruciant, sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exsulant; compunguntur in precibus, sed felicitatis transitorie gaudia exquirunt.

Hos itaque nivis aqua non abluit, quia eorum desiderium ab imis venit. Quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui vero idcirco plorant, quia præmia aeterna desiderant, aqua nivis hos diluit: quia cœlestis compunctio infundit. Nam cum perennem patriam per lamenta appetunt, ejusque accensi desiderii plangunt, a summis accipiunt unde mudentur. Per manus autem quid aliud quam opera designantur? Notandum vero quod vir sanctus non ait: *Fulserint mundissimæ manus meæ, sed velut mundissimæ manus meæ*, quia quousque poena corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Unde et apte subjungitur: *Tamen sordibus intingues me*. Deus nos intingere sordibus dicitur, intactos sordibus demonstrare, quia quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Ait ergo: *Si lotus fuero, quasi aquis nivis, etc.* Ac si apertius dicat: Quamvis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamvis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video, quia mundus non sum.

### 388 CAPUT II.

#### DE ABYSSO.

*In Scriptura sacra abyssi nomine aliquando infernus, aliquando mens desperata, aliquando incomprehensibilitas divinatorum iudiciorum, aliquando profunditas astutiæ diaboli, aliquando corda pravorum, aliquando rationis humanæ iudicium designatur.*

(498) Abyssi nomine infernus designatur, sicut Dominus Job interrogans dicit: *Nunquid ingressus es in profundum maris et in novissimis abyssi deambulasti?* (Job xxxviii, 16.) Si mare more divini eloquii sæculum debet intelligi, nihil prohibet pro-

(495) Ex l. xvi in Job c. xvii, 30.

(496) Ex l. v in Job c. vii.

(497) Ex l. ix in Job c. xix.

(498) Ex l. xxxix in Job c. vii.

funda maris, inferni claustra senti. Quod profundum maris Dominus petit, cum inferni novissima, electorum suorum animas erepturus, intravit. Unde et per prophetam dicitur : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati (Isa. LI, 10)*. Hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit, quia in se etiam bonorum animas, quamvis non in locis penalibus, clausit. Quia tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferni ad caelestia transire concessit. Unde et aperte illic subditur : *Ut transirent liberati*. Quod vero profundum maris dixerat, hoc verbis aliis replicans, abyssi novissimum vocat. Quia sicut aquarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferni nullo a nobis cogitationis sensu penetrantur. Qui enim hinc subtrahitur cernimus, sed quæ illos juxta meritum retributio suppliciorum maneat, non videmus. Dicit ergo : *Nunquid ingressus es profundum maris, etc.* Ac **389** si dicat, ut ego qui non solum mare, id est sæculum per assumptam humanitatem, carnem et animam petii, sed etiam per eam sponte in morte positus usque ad ultima inferni descendi. Vigilanti vero cura pensandum est quod in novissimis abyssi deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quem enim vincula astringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit in inferno, deambulavit. Liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est : *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber (Psal. LXXXVII, 6)*. In novissimis ergo abyssi Domino deambulare, est in loco damnationis nil suæ retentionis invenire, attestante Petro qui ait : *Solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo (Act. II, 24)*.

(499) Potest quoque per abyssum mens desperata intelligi, ut patet ex Job : *Nunquid ingressus es profundum maris (Job xxxviii, 16)*. Mare quippe mens est humana cujus profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem suam ad lamenta poenitentiae ab intimis cogitationibus perturbatur, quando prioris vitae nequitias ad memoriam reducit, et fluctuantem in confessione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quando etiam desperata corda permutat. Ipse enim mare intrat, quando cor sæculare humiliat; profundum maris ingreditur, quando visitare mentes etiam sceleribus pressas non dedignatur. Unde et recte percunctando subjungitur : *Et in novissimis abyssi deambulasti*. Quid enim est abyssus nisi mens scelerata, quæ dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est, velut obscura abyssus latet? In novissimis ergo abyssi Deo deambulare, est etiam nequissimorum hominum corda convertere, et desperatas mentes visionis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reforma-

re. Cum enim post immensa scelera unusquisque compungitur, quid aliud quam in novissimis abyssi Deus deambulans videtur?

(500) Abyssi nomine incomprehensibilitas divinorum judiciorum exprimitur, sicut Dominus diabolo **390** loquens testatur dicens : *Æstimabit abyssum quasi senescentem (Job xli, 33)*. Quod æterna, et incomprehensibilia Dei judicia abyssi soleant nomine designari Psalmista testatur, dicens : *Judicia tua abyssus multa (Psal. xxxv, 7)*. Senectus vero aliquando pro finis propinquitate ponitur. Unde ait Apostolus : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est (Hebr. viii, 13)*. Diabolus itaque æstimat abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat ut suspicionem eis de venturo judicio quod quasi finiatur infundat. Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoque in supplicii supernam animum aversionem [animadversionem] putat. Igitur antiquus persuasor in membris suis, id est, iniquorum, futuras pœnas quasi certo sine determinat, ut eorum culpas sine termino correctionis extendat, et eo magis hic peccata non finiant, quo illic æstiment peccatorum supplicia finienda.

(501) Abyssi nomine profunditas astutiæ diaboli designatur, sicut de eo ad beatum Job a Domino dicitur : *Et superficies abyssi constringitur (Job xxxviii, 30)*. Quid enim in abyssu nisi incomprehensibilem antiqui hostis astutiam intelligere debemus? Superficies autem abyssi constringitur, quia fraudulentæ ejus insidiæ a seductis hominibus deprehendi non possunt. Aliud quippe intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit; transfiguratur enim se in angelum lucis, et callida deceptionis arte plurimum proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat. Abyssi ergo superficies constringitur, quia dum quasi bona persuasionis ejus species velut solida desuper glacies ostenditur, in profundum latens ejus malitia non videtur.

(502) Abyssi nomine corda pravorum designantur, sicut per beatum Job de sapientia dicitur : *Abyssus dicit : Non est in me (Job xxviii, 14)*. Quid enim hoc loco abyssum nisi corda pravorum hominum vocat, quæ et per lapsum fluida et per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa? Qui nimirum abyssus non esse in se sapientiam hanc profitetur, quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Nam **391** quia, testante Paulo, *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. iii, 19)*. Tanto quisquis amplius intus stultus sit, quanto conatur exterius sapiens videri.

(503) Abyssi nomine rationis humanæ judicium designatur, Psalmista dicente : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum (Psal. xli, 8)*. Abyssu namque abyssum invocare, est de judicio ad judicium pervenire. Creator quippe omnipotens a cunctis insensibilibus irrationabilibusque distin-

(499) Ex ejusdem l. c. viii, 7.

(500) Ex l. xxxiv in Job c. xvi.

(501) Ex l. xxxi in Job c. xv.

(502) Ex l. xviii in Job c. xxv.

(503) Ex l. xxvii in Job c. xvi.



etiam rationalem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit, ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur, seu pravum seu rectum sit, quod operatur. Nam ad iudicium pro actione cur venit, si non potuit scire quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis Dominicis erudiri contemnunt, utrum bona an mala sint, quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentatione gloriantur? Rursus si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis videntur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent, unde bene et per quemdam Sapientem dicitur: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Et dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit* (Sap. xvii, 10, 11). Quis contra per Joannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Dominum* (1 Joan. iii, 21). Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsum certe fugere non possunt. Etenim malum quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent iudicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt, prius contra se iudicium suæ rationis inveniunt; et post ad districtiorem etiam iudicis perducuntur. Bene ergo dicitur: *Abyssus abyssum invocat*, quia dum mira ordine dispositionis occultæ malum non permittitur nescire quod agitur et suo se jam iudicio peccator in conscientia condemnat: et post condemnationem propriam ad æterni iudicis sententiam properat. Abyssonem itaque abyssum invocare est de iudicio ad iudicium pervenire.

### 392 CAPUT III.

#### DE MARI.

In Scriptura sacra maris nomine, aliquando præsens sæculum, aliquando gentilitas, aliquando sæcularium hominum amara inquietudo, aliquando divinum eloquium, aliquando cor nostrum intelligitur.

(504) Maris nomine præsens sæculum designatur, sicut scriptum est: *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet* (Job xxxvi, 30). Nubes extendit Dominus, cum ministris suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. Tentorium ab itinere poni solet. Et cum prædicatores sancti in mundo mittuntur, iter Deo faciunt. Unde per Psalmistam dicitur: *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (Psal. lxxvii, 5). In hoc autem itinere tentorium Dei sunt, hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad montes hominum veniens agit quæ disposuit, et non videtur. Et recte nubes istæ, id est prædicatores tentorium Dei dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens intra

A prædicatorum suorum mentes operitur. Sed eisdem sanctis prædicatoribus nequaquam ad persuadendum verba sufficiunt, nisi etiam miracula addantur. Unde cum dictum sit: *Si voluerit extendere nubes, etc.*, recte subjungitur, *et fulgurare lumine suo*. Quid enim sentire fulgura nisi miracula debemus? de quibus per Psalmistam dicitur: *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos* (Psal. xvii, 15). Per has autem nubes lumine suo Dominus desuper fulgurat, quia per prædicatores sanctos insensibilitatis nostræ tenebras et miraculis illustrat. Cum ergo nubes istæ verbis pluunt, 393 cumque miraculis vim coruscæ lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos in divino amore convertunt: unde recte subditur: *Cardines quoque maris operiet* (505). Quid enim aliud maris nomine quam præsens sæculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt: qui elatione superbiæ incitati, dum alterna intentione se impetuunt: quasi adversante se unda collidunt? (506) Et quid aliud cardines maris quam extremos mundi fines accipimus? Dicatur ergo: *Si voluerit extendere nubes, etc.* Ac si diceret: Si sanctos suos in ministerio prædicationis extendit, eorumque verba miraculis adjuvat, totius mundi limites ad fidem vocat. Quod faciendum quidem Eliu vocibus audivimus: sed auctore Deo jam factum cernimus. Omnipotens enim Deus coruscantibus nubibus cardines maris operuit, quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce pene jam cunctarum gentium corda penetravit. Ecce in una fide Orientis limites Occidentisque conjunxit.

(507) Maris nomine gentilitas designatur, sicut in psalmo scriptum est: *Transferentur montes in cor maris* (Psal. xlv, 3). Quid enim aliud per montes nisi sanctos apostolos, quid per mare nisi gentilitatem accipimus? Sed quia in ipso initio sanctæ Ecclesiæ nascentis, dum sancti apostoli cælorum regnum Judææ prædicare voluissent, videntes quod eis nihil proficeret, ad prædicandum gentibus deflexerunt, sicut ipsi in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia vos repulistis illud; et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (Act. xiii, 46). Hinc iterum per Isaiam dicitur: *Erubescite Sidon, ait mare; Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum, in mari autem vita gentilium. Erubescite ergo, Sidon, ait mare* (Isa. xxiii, 4), quia ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum sæcularium, confunditur actio religiosorum; dum illi etiam promittendo non servant quæ in præceptis audiunt, et isti vivendo custodiunt, in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur.

394 (508) Maris nomine sæcularium hominum

(504) Ex i. xxvii in Job c. vi, 7, 8.

(505) Ex l. xvii in Job c. xviii.

(506) Ex l. xxvii supra.

(507) Ex l. xviii in Job c. xix.

(508) Ex i. xviii in Job c. xiv.

amara inquietudo intelligitur, unde cum beatus Job locum sapientiæ quæreret, et hanc in mentibus huic mundo deditis inveniri non posse conspiceret, ait : *Et mare loquitur : Non est mecum* (Job xxviii, 14). Quid enim maris nomine nisi mentium sæcularium inquietudo signatur? Dum se vicissim inimicitis impetunt quasi adversantes se undæ collidunt. Recte etenim mare vita sæcularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab æternæ sapientiæ quiete ac stabilitate disjungitur. Quo contra bene per prophetam dicitur : (509) *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, et quietum et trementem sermones meos?* (Isa. lxxvi, 7.) A terrenis autem mentibus tanto longius fugit spiritus, quanto apud has requiem non invenit. Hinc est quod de quibusdam per Psalmistam dicitur : *Contritio et infelicitas in visis eorum, et viam pacis non cognoverunt* (Psal. xiii, 3). A qua nimirum contritione perturbationis nos Dominus revocat dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et oneratis estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. xi, 28). Quid enim in hac vita laborosius quam terrenis desideriis æstare? Aut quid hic quietius quam hujus sæculi nihil appetere? In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam non posse beatus Job cognoscens ait : *Et mare loquitur : Non est mecum*.

(510) Maris nomine divinum eloquium designatur, sicut ab Ezechiele dicitur : *Et aspectus rotarum, et opus earum quasi visio maris* (Ezech. i, 16). Quid enim rotarum nomine nisi Scripturam sacram accipimus, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, et nullo erroris angulo a prædicationis sævæ retinetur. Ex omni parte volvitur, quia inter adversa et prospera et recte, et humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum ejus modo sursum, modo deorsum est, quia quæ perfectioribus ejus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et ipsa quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam **395** in altum ducant. Rota ergo quasi per terram trahitur, quia parvulis Scriptura sacra humili sermone concordat, et magnis tamen spiritalia infundens quasi circulum in altum levat, et inde sursum erigitur. Dicat ergo : *Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris*. Recte etenim sacra eloquia visioni maris similia narrantur : quia in eis magna sunt volumina sententiarum, et cumuli sensuum. (511) Nec immerito mari similis Scriptura sacra dicitur, quia firman-  
 tur in ea sententiæ locutionis sacramento baptismatis; vel certe considerandum est, quia navibus in mari navigamus cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra de qua scriptum est : *Portio mea in terra viven-*

(509) Isa. lxxvi, 2 juxta LXX, quamvis paulo aliter et Græci et Latini codices habeant.

(510) Ex initio hom. 6 in Ezech.

(511) Paulo ante med. ho. su.

*tium?* (Psal. cxli, 6.) Ligno autem, ut dixi, evenitur qui mare transit, et scimus quia Scriptura sacra lignum crucis per legem nobis prænuntiat, cum dicit : *Malodictus omnis qui pendet in ligno* (Deut. xxi, 23). Quod de Redemptore nostro Paulus attestatur dicens : *Factus pro nobis maledictum* (Gal. iii, 13). Per prophetas quoque lignum adnuntiatur, cum dicitur : (512) *Dominus regnavit a ligno* (Psal. xcvi, 10). Et rursum : *Mittamus lignum in panem ejus* (Jer. xi, 19). Per Evangelium vero lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa passio Domini quæ prophetata est, declaratur; per Apostolum autem hæc eadem crux etiam in verbis et operibus tenetur, cum Paulus dicit : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (Gal. vi, 14). Et rursum : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (Ibid.) Nobis ergo qui ad æternam patriam tendimus, Scriptura sacra mare est quæ cruce[m] annuntiat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem mari Scripturam sacram similem cerneret propheta, minime dixisset : *Repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes* (Isa. xi, 9).

(513) Maris nomine cor nostrum intelligitur. Unde ad beatum Job Dominus loquitur dicens : *Quis conclusit ostium mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens*. Quid enim est mare nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbum, fraude malitiosè obscurum? Quid mare quantum sæviat attendit, quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. **396** Ecce enim jam perversa reliquimus, jam desideriis rectis in hæremus, jam prava opera foras abscidimus; sed tamen latenter justus ea cum qua huc venimus, vitæ veteris procella fatigamur. Quam nisi respectu judicii, æterni pavore tormenti, immensi timoris claustra constringerent, cuncta in nobis penitus superædificati operis fundamenta corruissent. Si enim quod per suggestionem sævit intrinsecus, per deliberationem foras erumperet, vitæ nostræ fabrica funditus eversa jacuisset. In iniquitate namque concepti, et in delicto editi per inscitæ corruptionis molestias pugnam cum hic deferimus, quam cum labore vincamus. Unde recte dicitur : *Quando erumpebat quasi de vulva procedens*. Vulva enim pravæ cogitationis adolescentia est. De qua per Moysem Dominus dicit : *Sensus enim et cogitatio humani cordis prona est in malum ab adolescentia sua* (Gen. viii, 21). Corruptionis namque malum quod unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit in propectu ætatis exercet. Et nisi hoc citius divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Cum ergo Veritas dicat : *Quis conclusit ostium mare, etc.*, nemo sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, quia nisi ab ipso cogitationis primordio, cordis fluctus divina gratia retine-

(512) Sic Tertul. Judæo. et lib. iii contra Mar. Just. in Dialog. cum Tryp.

(513) Ex l. xxviii in Job c. ult. in medio, 18.

ret, tentationum procellis mare sæviens terram procul dubio humanæ mentis obruisset, ut falsis fluctibus perfusa aretceret, id est perniciosis carnis voluptatibus delectata deperiret. Beatus ergo Job ne sibi tribuat quod contra procellas cordis fortiter stat, voce divina audit: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* Ac si aperte diceretur: Incassum te exterius in bonis operibus pensas, si non me interioris qui in te tentationis undas compeco, consideras. Ut enim tu fluctus ferre possis in opere, meæ virtutis est qui fluctus frango tentationis in corde.

### 397 CAPUT IV.

#### DE FLUVIO.

*In Scriptura sacra fluviorum nomine, aliquando ignis extremi iudicii, aliquando decursio humani generis, aliquando falsorum fidelium fluxus, aliquando dicta antiquorum Patrum, aliquando maligni spiritus doctrina, aliquando cursus mutabilitatis, aliquando vitæ præsens intelligitur.*

Fluvii nomine ignis iudicii designatur, sicut propheta superni iudicii adventum contemplans testatur, dicens: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus (Daniel. vii, 20)*: fluvio videlicet igneo et rapido, illum, qui a conspectu tremendi iudicis per ultimum examen egrediens, atque electos et reprobos divisurus, ignem designans.

(514) Fluvii nomine decursio humani generis designatur, sicut Dominus de diabolo, sub Behemoth specie loquens ad beatum Job dicit: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus (Job xl, 18)*. Quid enim hoc loco per fluvii nomen nisi humani generis decursio designatur? quæ velut a fontis sui origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit. Qui autem signantur appellatione Jordanis, nisi hi qui jam imbuti sunt sacramento baptismatis? Quia enim Receptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, ejus nomine debent baptizati omnes exprimi; in quo hoc ipsum contingit sacramentum baptismatis inchoari. Quia igitur diabolus a mundi origine exortum (vix paucis electis evadentibus) humanum genus in ima **398** defluens usque ad Redemptoris tempus, quasi quendam in se fluvium traxit, bene nunc dicitur: *Absorbebit fluvium et non mirabitur*. Quia vero et post Mediatoris adventum quosdam qui recte vivere negligunt, etiam fideles rapit, recte subjungitur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*. Ac si aperte diceretur: Ante Redemptorem mundi mundum non miratus absorbit, sed quod est acrius, post Redemptoris adventum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt, deglutire se posse confidit.

(515) Possunt autem per fluvium designari hi, quos per Jordanem diximus exprimi. Qui enim fidem veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, recte fluvius dici possunt, quia videlicet deorsum fluunt. Jordanis vero Hebræo vocabulo descen-

*A sia eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui vias veritatis appetentes semetipsos abjiciunt, atque a vitæ veteris elatione descendunt. Cumque æterna capiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solum aliena appetunt, sed etiam sua derelinquunt et non solum gloriam in eo non quærunt, sed hanc cum se obtulerit calcant. Hinc est enim quod voce Veritatis dicitur: Qui vult post me venire abneget semetipsum (Luc. ix, 23)*. Semetipsum enim abneget qui calcato typo superbæ ante Dei oculos esse se a se alienum demonstrat. Sed antiquus hostis pro magno hoc non habet, cum sub jure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet. Propheta quippe attestante cognovimus *Quia esca ejus electa (Habac. i, juxta LXX)*. Neque enim mirum deputat si eos absorbeat, quos superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluvium, et non mirabitur, quia pro magno non æstimat cum eos devorat qui per ipsa vitæ studia deorsum currunt. Sed illos magnopere rapere nititur, quos de-pectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur. Unde absorpto fluvio, recte subjungitur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis ejus*, quia illos insidiando rapere nititur, quos pro amore supernæ patriæ a præsentis vitæ gloria semetipsos dejicere **399** agnoscit. Nonnulli quippe mundum deserunt, et bonorum transeuntium vana derelinquunt, et ima humilitatis appetentes humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt atque in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum jam virtutes operentur. Sed quia semetipsos circumspicendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi pejus de alto ruunt. Hinc est quod æternus Judex qui occulta cordis examinat, ejusdem ruinæ casum pronuntians intentat cum dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos: Discedite a me, qui operamini iniquitatem, nescio qui estis (Matth. vii, 22, 23)*. Antiquus ergo hostis habet fiduciam quia in os ejus et Jordanis influat, quia nonnunquam calliditatis suæ insidiis eos etiam qui jam electi putantur necat.

(516) Fluviorum nomine dicta antiquorum Patrum designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Profunda fluviorum est scrutatus, et abscondita produxit in lucem (Job xxviii, 11)*. Quid namque hic aliud fluvii nisi dicta antiquorum Patrum nuncupantur? Quis enim pensare sufficiat quam vehemens fluvius dum legem conderet, ex ore Moysi erupit? Quam vehemens fluvius ex David corde defluxit? Quanta Salomonis ore atque omnium prophetarum fluminum fluentia manarunt. Sed horum fluviorum Judæa speciem tenuit, dum litteræ superficiem ser-

(514) Ex l. xxxiii in Job c. vii.

(515) Ex eod. cap. et l. sup. in medio.

(516) Ex lib. xviii in Job cap. xxi.

vans, eorum profunda nescivit. Nos vero qui venientem in Domino in eis interna spiritualia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere, ipso donante, prævalemus. Per nos ergo qui non litteram quæ occidit, sed spiritum qui vivificat, sequimur profunda fluviorum Dominus scrutatur, et abscondita producit in lucem, quia dicta legis quæ caliginosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritualis illuminat. Unde et loquens in parabolis per Evangelium Veritas discipulis præcepit dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis prædicate super tecta* (Math. x, 27). Aptè namque dicta exponentium fecerunt nobis 400 esse jam conspicuas sententias antiquorum Patrum. Unde Isaias propheta plana sanctæ Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscura exclamavit, dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes* (Isa. xxxiii, 21). Testamenti enim veteris dicta quasi angusti et clausi rivi fuerant, qui immensas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctæ Ecclesiæ rivi lati et patentes sunt, quia ejus dicta, et invenientibus multa sunt, et quærentibus plana. Ait ergo: *Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem*. Quia dum suis expositoribus intelligentiæ spiritum infundit, antiquas prophetarum obscuritates aperuit. Et hoc jam sancta Ecclesia per spiritum agnoscit, quod Synagoga prius per litteram intelligere omnino non valuit. Unde et Moyses cum populo loqueretur, *faciem velabat* (Exod. xxxiv, 35), ut videlicet designaret quod ille Judæorum populus legis verba cognosceret, sed ejusdem claritatem legis omnimodo non videret. Unde Paulus dicit: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum* (II Cor. ut, 15).

(517) Fluviorum nomine maligni spiritus doctrina designatur, sicut Propheta per doctrinam Christi, doctrinam diaboli destrui considerans ad Dominum loquitur dicens: *Tum diripisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan* (Psal. lxxiii, 15). Ethan quippe interpretatur fortis, nisi de quo per Evangelium Veritas dicit: *Nemo potest vasa fortis, ingressus domum ejus diripere, nisi prius fortem alliget* (Marc. iii, 27). Fontes autem et torrentes Dominus diripit, dum in apostolorum suorum cordibus fluentia veritatis aperuit. De quibus rursus per prophetam alium dicitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (Isa. xii, 3). Ad eorum quippe doctrinam scientes pergimus, et veritate plenas cordium lagunculas reportamus. Sed emanantibus suis fontibus Ethan fluvios Dominus noster exsiccavit, dum doctrinam fortis, et maligni spiritus ostenso radio suæ veritatis arefecit.

(518) Fluviorum nomine cursus mutabilitatis intelligitur, sicut in libro beati Job de iniquis dicitur:

(517) Ex lib. xxxiii in Job cap. ix, post medium.

(518) Ex lib. xv in Job cap. 5.

A 401 *Fluvius subvertit fundamentum eorum* (Job xxii, 16). Iniqui, dum transire corde ad æterna negligunt, et cuncta præsentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amore vitæ præsentis fingunt [f. fingunt], et quasi longæ habitationis in ea sibi fundamentum construunt, quia in terrenis rebus per desiderium solidantur. Sic primus in terra Cain civitatem construxisse describitur (Gen. iv, 17), quia videlicet peregrinus a summis fundamentum in imis posuit qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde in ejus stirpe Enoch qui dedicatio interpretatur, primus nascitur; in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse memoratur, quia videlicet reprobi et in hæc vita quæ ante semetipsum ædificandam in fine temporis, id est in septimo tempore exspectant. Videas namque plurimos temporalia sola cogitare, ambiendis rebus inhiare nihil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima generatione dedicant? Et videas electos nil præsentis gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mundi æquanimiter perpeti ut possint in fine coronari. Electi quippe Enoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudii in extremæ retributionis gloria electi requirunt. Sed quia quotidiano temporis lapsu ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque reproborum dedicationem eosdem reprobos subtrahendo destruit: recte de iniquis dicitur: *Fluvius subvertit fundamentum eorum*, quia videlicet cursus mortalitatis statum in eis subruit perversæ constructionis.

(519) Fluvii nomine vita præsens designatur, sicut in libro beati Job dicitur: *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus areseat: sic homo, cum dormierit, non resurget* (Job xiv, 11). Mare est mens hominis, et quasi fluctus maris sunt cogitationes mentis: quæ aliquando ira tumescunt, per gratiam tranquillæ flunt per amaritudinem cum odio defluunt. Sed cum aquæ maris resedunt homo moritur, quia juxta Psalmistæ vocem: *In illa die peribit omnis cogitatio eorum* (Psal. clv, 4). Et rursum: *De moriente scriptum est, Amor quoque simul et odium peribunt* (Eccl. ix, 6). Areseat ergo fluvius

D vacuefactus, quia subducta anima vacuum 402 remanet corpus. Quasi enim alienius fluminis vacuus alveus est corpus exanime. Qua in re vigilantè intuendum est, quod vita præsens videlicet quousque anima moritur, in corpore, mari comparatur et fluvio. Aqua enim maris est amara, fluminis dulcis. Et quia hic viventes modo quibusdam amaritudinibus afficimur, modo a dulcedine tranquillæ ac mites invenimur, præsentis vitæ decursus comparatione exprimitur maris, et fluminis. Sed in his durum valde videtur esse quod subditur: *Sic homo cum dormierit non resurget* (ibid.). Quomodo enim dicitur non resurget, cum scriptum sit: *Omnes qui*

(519) Ex lib. xii in Job cap. iv ante finem.

dem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Sed subjuncta sententia indicat quæ discretio in præmissa lateat. Nam subditur: *Donec atteratur cælum, non evigilabit (Job xiv, 12)*. Liqueat enim quod non resurget, sed donec atteratur cælum, quia nisi hujus mundi finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam, non evigilabit. Non ergo, quia omnino non resurgat; sed quia ante contritionem cæli humanum genus minime surgat, insinuat.

## CAPUT V.

## DE FLUMINE.

In Scriptura sacra fluminum nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando sancti prædicatores, aliquando actiones hujus sæculi, aliquando dona Spiritus sancti intelliguntur.

(520) Fluminis nomine, Spiritus sanctus designatur, sicut in libro Job de hypocrita dicitur: *Non videat rivulos fluminis (Job xx, 17)*. Quid enim per flumen nisi Spiritus sanctus accipitur? Rivuli autem fluminis, sunt dona Spiritus sancti. Rivulus fluminis est charitas; rivulus fluminis est fides; rivulus fluminis est spes. Sed quoniam omnis hypocrita nec proximum diligit, **403**, cum transitoriam mundi gloriam quærit, rivulos fluminis non videt; quia irrigatione non infunditur charitatis. Hypocrita dum præsentia lucra quærit, munera futura despicit; et fidem non habens, rivum fluminis mente non videt, quia fides est rerum, sed argumentum non apparentium (*Hebr. xi, 1*). Et dum retinet hypocrita quæ videntur specie, negligit eorum quæ non videntur. Rivulum ergo fluminis per desiderium non videt, quia solis visibilibus intendit. Scriptum quippe est: *Quod videt quis, quid sperat (Rom. viii, 24)*. Rivulos ergo fluminis vidisset, si a præsentis vitæ gloria oculos clauderet eosque ad cælestis patriæ amorem aperiret.

(521) Fluminum nomine sancti prædicatores designantur, sicut per Salomonem dicitur: *Ad locum de quo exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant. (Eccle. i, 7)*.

(522) Fluminum nomine actiones hujus sæculi designantur, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam exprobrando dicitur: *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina (Isa. xlvii, 2)*. Nonnunquam qui quietus alicujus meriti esse creditur, positus in qualibet actione denudatur. Unde bene subditur: *Denuda turpitudinem tuam*. In administratione quippe operis turpitudine denudatur, dum vilis mens abjectaque in ostentatione actionis cognoscitur: quæ quæta prius putabatur. Mens humerum discooperit, quando opus suum, quod ignorabatur, ostendit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus, lucris mundi inhiat, manifestat flumina

(520) Ex l. xv, in Job c. x.

(521) Ex l. xxx in Job c. ii.

(522) Ex l. vi in Job c. ii, post med.

(523) Ex l. xix in Job c. iv

etiam transit, quia actiones hujus sæculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit, dumque alias relinquit, alia assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit.

(523) Fluminum nomine dona sancti Spiritus designantur: sicut in Evangelio Dominus dicit: *Qui credit in me, ut dicit Scriptura, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (Joan. vii, 38)*: ubi evangelista subjungit dicens: *Hæc autem de Spiritu dixit quem acceptari erant credentes in eum (ibid., 39)*.

**404** CAPUT VI.

## DE RIVIS.

In Scriptura sacra rivorum nomine aliquando sancti prædicatores, aliquando evangelistarum libri, aliquando expositorum sanctæ Ecclesiæ explanationes, aliquando fluentia prædicationis designantur.

(524) Rivorum nomine sancti prædicatores exprimentur, sicut de sancta Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Rivos ejus inebrians, multiplica generationes ejus: in stillicidiis ejus lætabitur cum exorietur (525)*. Rivi quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiæ multiplicantur, quia cum uberiorem gratiam Spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. In stillicidio etenim aqua de tecto in terram vadit, quæ de cælo ceciderat in tectum. Tectum vero sanctæ Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegent. Sed quia illorum cor divinitus in prædicatione infunditur, quasi de cælo aqua venit in tectis; quia nos vero eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto in terram cadit. Sancta ergo Ecclesia dum exoritur, in stillicidiis suis lætatur, quia cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quæ accepit dona, considerat et in verbis prædicantium exsultat.

(526) Rivorum nomine evangelistarum libri intelliguntur, unde sub typo sanctæ Ecclesiæ Job loquitur dicens: *Et petra fundebat mihi rivos olei (Job xxix)*. Etenim petræ nomine Christum accipit prædicator egregius; fatetur dicens: *Petra autem Christus (I Cor. x, 4)*. Quem videlicet **405** petra nunc ad usus Ecclesiæ olei rivos fundit, quia in ea loquens Dominus prædicamenta unctionis intimæ emanat. De hac petra olim rivus exiit: liber Matth., liber Marci, liber Lucæ, liber Joannis et in diversis hujus mundi partibus, quot prædicamenta edidit, tot petra hæc per ora apostolorum omnium rivos fundit. Toties adhuc de petra hæc olei rivus funditur, quoties a Spiritu sancto ungentis mentibus auditorum ea quæ in libris veteribus de Christo dicta sunt, explanantur. Qui et rivi vocantur olei,

(524) Ex hom. x in Ezech., longe post medium.

(525) Psal. lxxiv: Aug. et Cassiod. legunt in Psalt.

(526) Ex l. xix in Job c. ii, I Cor. x.

quia decurrunt et unguunt. In quibus quisquis ungitur, quisquis tingitur interius impinguatur.\*

Rivorum nomine expositorum sanctæ Ecclesiæ explanationes designantur. Unde Isaias propheta plana sancta Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, et non allego-riarum tenebris obscura, exclamavit dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes* (Isa. xxxiii, 21). Vide supra c. 4, dist. 4.

(527) Rivorum nomine fluentia prædicationis designantur, sicut per Job de Domino dicitur: *In petris rivos excidit*. Quid enim per petras nisi dura gentilium corda accipimus? Quid per rivos nisi fluvius prædicationis intelligimus? In petris ergo Dominus rivos excidit, quia in duris gentilium cordibus fluvius prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium: *Possuit desertum in stagnum aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum* (Psal. cvi, 35). Atque in Evangelio Dominus promisit dicens: *Qui credit in me*, sicut dicit Scriptura, *flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (Joan. vii, 38). Quod promissum tunc audivimus, etiam nunc impletum videmus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus, et non ex Judæa progenitis per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam fluentia cælestium mandatorum ubertim manant ex ore gentilium. In petris itaque rivos excidit, quia ex duris cordibus fluvius sanctæ prædicationis emanavit.

#### 406 CAPUT VII.

##### DE TORRENTE.

In Scriptura sacra torrens cum in singulari numero ponitur, aliquando ignis extremi judicii, aliquando mortalis vitæ cursus, aliquando inundatio sancti Spiritus, aliquando hi qui transitoria diligunt, designantur; cum vero pluraliter torrentes dicuntur, aliquando fluentia sacrorum librorum, aliquando inventores perversorum dogmatum, aliquando prædicatores sancti intelliguntur.

(528) Torrentis nomine ignis extremi judicii designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante* (Job xxviii).

(529) Torrentis nomine mortalis vitæ cursus exprimitur, sicut ad beatum Job de diabolo loquens Dominus testatur dicens: *Circumdabunt eum salices torrentis* (Job xl, 17). Quid enim per salices infructuosas arbores, nisi sterilitas reproborum signatur? Unde voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista loquitur dicens: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (Psal. cxxxvi, 2). Babylonis quippe medio inesse salices describuntur, quia nimirum infructuosi quippe, atque ab amore patriæ cælestis alieni, totis visceribus cordis in hac sæculari confusione radicantur. Unde et prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia cum infructuosas ac reprobas mentes 407 aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent, sed potius lugentes silent. Quid vero per

A torrentem nisi hujus mortalis vitæ cursus exprimitur? De quo rursus per Prophetam loquentem de Redemptore nostro dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (Psal. cix, 7). Redemptor quippe noster mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit, et idcirco diu eidem morti, cui sponte succubuit, non inhæsit. Unde die tertia hoc quod moriendo posuerat, resurgendo, caput relevavit. Quid est ergo quod de diabolo dicitur: *circumdabunt eum salices torrentis*, nisi quod amatores vitæ mortalis a bonis actibus, quasi a fructibus alieni tanto illi arctius inhærent, quanto eos largius delectatio transitoria voluptatis infundit? Hos enim quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in foliis viridescunt, quia in ea quæ gravia ad dicendum non sunt, aliquando honestatis verba proferunt, sed nulum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. Bene ergo dicitur, *circumdabunt eum salices torrentis*, quia infructuosi quique, dum amor vitæ temporalis inserviunt, antiquo hosti perversis moribus familiariter obsequuntur.

(530) Torrentis nomine inundatio sancti Spiritus designatur, sicut in libro beati Job, de hypocrita dicitur: *Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis et butyri* (Job xx, 17). Fluminis enim nomine Spiritus sanctus intelligitur. Torrentis quoque nomine ejusdem sancti Spiritus inundatio designatur, quæ in contemplantis animo, exuberanti infusione colligitur, cum mens plusquam intelligere sufficit, repletur. Et sciendum est quia cum nos Spiritus sancti gratia infundit, melle nos pariter et butyro replet: mel enim desuper cadit, butyrum vero ex animalium lacte tollitur. Mel itaque ex aere, butyrum vero ex carne est. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suæ et mysterio Incarnationis replevit, melle nos pariter et butyro satiavit. Quia ergo spiritus 408 Christi mentem quam repleverit et divinitatis ejus dulcedine Incarnationis fide lætificat, isti rivuli torrentis fluminis mellis simul et butyri esse memorantur, quia et de cognitione Dei alta mentem suavitate reficiunt, et de Incarnationis gratia charismatis hanc mysterio perungunt. Sed istos rivulos hypocrita non videt, quia exterioribus favoribus fusus, dum solis visibilibus intendit, quæ sunt dona Spiritus per amorem non attendit.

Torrentis nomine hi qui transitoria diligunt, designantur, sicut Job conquerendo loquitur dicens: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui rapit in convallibus*. Relege cap. 10, lib. vi, dist. 4.

Torrentis nomine fluentia sacrorum librorum designantur Salomone dicente: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant*

(527) Ex l. xviii in Job, c. xx, post med.

(528) Ex l. xviii in Job, c. xviii, in line 17.

(529) Ex l. xxxiii in Job, c. vi.

(530) Ex l. xv in Job, c. x.

*illum corvi de torrentibus.* Repete cap. 7, lib. II, A dist. 4.

(531) Torrentium nomine inventores perversorum dogmatum designantur, sicut Job de ipsorum sequacibus loquens, ait: *In desertis habitant torrentium* (Job xxx, 6). Torrentes dicimus rivos, qui ab aquis hiemalibus colliguntur, qui etiam ceteris temporibus arescunt. Jure itaque inventores perversorum dogmatum torrentes vocantur, quia a colore charitatis frigidi quasi in torpore temporis hiemalis exerescunt. Qui non perpetua plenitudine profluunt, sed Catholicorum allegationibus quasi aestibus solis exsiccantur. Et quidem inventores perversorum dogmatum contra Ecclesiam exorti fervore jam veritatis extincti sunt; sed tamen eorum discipuli, quæ illi docuerunt, tenere ac defendere, non desistant. Hi ergo qui illorum sequuntur errores, et in desertis habitant torrentium, id est in eorum prædicatione confidunt, quorum eloquia Catholicorum jam responsione atque ratiocinatione siccata sunt.

(532) Possunt quoque per torrentes prædicatores sancti intelligi, qui, dum in præsentī vita divinis nobis 409 eloquiis influunt, aquarum multitudine, quasi in hieme colliguntur. Qui et æstivo sole adveniente se subtrahunt, quia, cum reternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Horum autem torrentium deserta sunt vitæ temporalis commoda. Ea namque deserunt, et ad lucra se cælestia adipiscenda convertunt. Cuncta autem hæc torrentis ille reliquerat qui dicebat: *Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora* (Philip. III, 8). Sed quia pravorum mentes ea in hac vita adipisci appetunt quæ despicientes justī derelinquunt in desertis torrentium habitare referuntur. Illa enim quæ sanctis indigna sunt ipsi percipere pro magno concupiscunt.

## CAPUT VIII.

### DE FONTE.

(533) Fontis nomine Redemptor noster designatur, sicut per prophetam dicitur: *In die illa erit fons patens domui David, habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae* (Zach. XIII, 1). Quid enim fontis nomine nisi Redemptor noster accipitur? fons autem occultus est Unigenitus Patris invisibilis Deus: fons patens est idem Deus incarnatus. Qui fons patens recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos Redemptor processit. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero et menstruata est, vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruata namque ista pollutio est, quæ et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic omnis anima quæ, etsi malum opus non agit, pollutam

tamen cogitatione sordescit. Unde etiam per alium prophetam sub Judææ specie de anima immundis desideriis occupata dicitur: *Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis ejus invenient eam* (Jerem. II, 24). Maligni quippe spiritus quærentes non deficient, cum inferre perditionem cupiunt et nulla rectitudinis bonæ cogitationis repelluntur, atque in menstruis suis animamveniunt quando in 410 pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo: In die illa erit fons patens domus David, etc. Quia apertus jam nobis est fons misericordiæ, Redemptor noster qui in domo David incarnari dignatus est: ut peccatorem lavet, a perverso opere et menstruata mentem diluat, ab immunda cogitatione. Patet ergo fons, curramus, cum lacrymis lavemur hoc fonte pietatis: In hoc fonte ipse quoque David lotus est cum rediit ad lamenta penitentiæ, post maculas gravis culpæ. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, quæ prius famosa peccatrix, postmodum lavit lacrymis maculas corrigendo mores. In hoc fonte omnibus aperto, lavit Petrus quod negaverat, quia flevit amare. In hoc fonte misericordiæ, in fine suo lotus est latro, qui semetipsum in morte reprehendens, a culpa ablutus est confessione veritatis.

(534) Fontium nomine dona gratiæ spiritualis designantur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur: *Emittis fontes in convallibus* (Psal. CIII, 6). Qui namque per fontes nisi spiritualia dona: quid per convalles nisi humiles, accipimus? Omnipotens autem Deus emittit fontes in convallibus, quia dona spiritualis gratiæ humilibus præstat.

Fontium nomine fluentia veritatis designantur, sicut per Psalmistam Domino dicitur: *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan* (Psal. LXXIII, 15). Vide cap. 4 supra, dist. 5.

## 411 CAPUT IX.

### DE PUTEO.

*In Scriptura sacra puteus cum singulari numero ponitur, aliquando peccati profunditas, aliquando vitæ præsentis profunditas designatur; cum vero pluraliter ponitur, aliquando Scripturæ sacræ libri, aliquando profunda cordium nostrorum intelliguntur.*

(535) Putei nomine peccati profunditas designatur. Unde David sub specie peccantium exorat, dicens: *Non me demergat tempestas aquæ neque absorbebat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (Psal. LXXVIII, 3). Quod enim mali operis iniquitas a boni stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit. Sed si ad hæc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Omnis autem qui viam vitæ deserens in peccatorum tenebras se dejecit, semetipsum quasi in puteum vel in foveam mergit. Sed si ad hæc longa consuetudo non de-

(534) Ex I. xx in Job, c. XIII, in principio.

(532) Ex I. sup., c. XIII, 14.

(535) Ex hom. 20 in Ezech. ante finem.

(534) Ex hom. 20 in Evang.

(535) Ex I. xxvi in Job, cap. XXIV in principio.

primit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Si vero diutina perpetratione etiam in consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora possit extrahere, quasi angusto ore putei coarctatur. Tanto ergo facilius aggreditur, quanto minore consuetudine constringitur.

(536) Putei nomine vitæ præsentis profunditas designatur, de quo quia divinis a montibus et præcedentium exemplis adjuti liberamur, bene per Jeremiam : *Prophetam in puteum missum signatum est, qui, ut levetur ex puteo, funes ad eum et panni veteres deponuntur* (Jerem. xxviii, 11, 12). Quid enim puteo nisi hujus vitæ profundum signatur? Quid funibus nisi præcepta Dominica figurantur?

**412** Quæ quia nos in mala operatione positos et convincunt, et eripiunt, quasi ligant et trahunt, coarctant et levant. Quid vero per pannos veteres nisi antiquorum patrum exempla intelliguntur? Ne autem his funibus, id est, præceptis Dominiacis ligatus quis dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur; quia, ne præcepta divina nos terreant, antiquorum nos exempla confortant, et ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus quod ex nostra imbecillitate formidamus.

(536\*) Puteorum nomine Scripturæ sacræ libri designantur, sicut ex Isaac opere cognoscimus, qui puteos fodisse legitur. Quos tamen puteos Allophyli terræ congerie replebant. Quid enim per puteos nisi sacræ Scripturæ libros accipimus? Puteos quippe fodimus, cum Scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus. Quos tamen occulte repleat Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt. Sæpe namque cum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ cogitationum terrenarum pulverem spargunt, ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurant. Quod nimirum Psalmista pertulerat, cum dicebat : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei* (Psal. cxviii, 9) : videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat.

(537) Possunt vero per puteos profunda cordium nostrorum intelligi. Unde bene Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur. Quo videlicet exemplo discimus, ut in hac peregrinationis ærumna positi cogitationum nostrarum profunda penetremus : et quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos Allophyli insidiantes replese dicuntur, quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere **413** conspiciunt congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt : unde semper

(536) Ex l. xviii in Job, c. vii.

(536\*) Ex l. xvi in Job, c. iii, 9.

(537) Ex l. xxxi in Job, c. xiii, 22.

A mens evacuanda est, incessanterque fodienda ne si indiscussa relinquitur usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Quamvis enim semper intento mentis oculo in supernis evigilemus, quamvis cuncta quæ in imo præterfluunt pede rigidi contemptus calcemus, ex corruptione tamen terrenæ carnis cui adhuc implicati sumus, plerumque cogitationum pulverem in corde patimur. Cumque foris aliis ad appetenda cælestia persuademus, nosmetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutere debemus : ne qua immorante die in nobis infima cogitatione polluamur.

#### CAPUT X.

DE LACO.

B *In Scriptura sacra laci nomine, aliquando peccatum, aliquando infernus designatur.*

(538) Laci nomine peccatum designatur, unde propheta Jeremias dum quædam in iniquitatis longa consuetudine obrutam fuisse considerat, in lamentis suis sub ejus specie semetipsum deplorat, dicens : *Lapea est in lacum vita mea, et posuerunt lapides super me* (Thren. iii, 53). Quid enim laci nomine nisi iniquitas, et quid lapidis nomine nisi dura iniquitatis consuetudo signatur? In lacum autem vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero superponitur cum etiam dura consuetudine mentis peccato devoratur ut etsi velit exurgere jam utcumque non possit; quia moles desuper malæ consuetudinis premitur.

(539) Laci nomine infernus designatur, sicut propheta testatur qui de quibusdam ignorantibus ait : *Portaverunt ignorantiam suam cum his qui descendunt* **414** in lacum. Infernus quippe non immerito lacus dicitur, quia hos quos semel cæperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet.

#### CAPUT XI.

DE PROFUNDO.

(540) Profundi nomine profunditas cogitationum designatur, sicut in libro beati Job a Domino de ultima diaboli sævitia dicit : *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare* (Job xli, 2). Quid enim per mare nisi vita sæcularium, et quid per profundum nisi altæ et abditæ eorum cogitationes exprimuntur? Quid profundum mare diabolus facit quasi ollam fervescere, quia nimirum constat quod persecutionis extremæ tempore contra electorum vitam studeat animos reproborum per flammam crudelitatis excitare. Tunc profundum mare quasi olla fervescet, cum corda dilectorum sæculi valido ardore succendet : et quæ hoc pacis tempore intra suam malitiam clausa latuerunt, tunc in æstum immanissimæ persecutionis ebulliunt, ac per abruptam crudelitatis apertæ licentiam, ea quæ diu presserant odia antiqui livoris exhalant.

(538) Ex l. xvi in Job, c. xxiv, 30, 31.

(539) Ex l. ix in Job, c. xxxviii.

(540) Ex l. xxxiv in Job, cap. xiv, 10.



Profundi nomine infernus designatur, sicut per prophetam Domino dicitur : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati (Isai. LI, 10)*. Vide cap. 2 supra, dist. 1.

## CAPUT XII.

## DE GURGITIBUS.

(541) Gurgitum nomine multiplex expositorum sanctæ Ecclesiæ prædicatio designatur, sicut per Eliu de Domino dicitur : *Qui aufert stillas pluvie, et effundit imbres ad instar gurgitum (Job xxxv, 27)*. Possunt quippe per stellas pluvie sancti apostoli designari de quibus Judææ reprobatae per Jeremiam dicitur : *Prohibitæ 415 sunt stillæ pluviarum de celo, et serotinus imber non fuit (Jer. III, 3)*.

## CAPUT XIII.

## DE STILLICIDIIS.

Stillicidiorum nomine verba prædicantium designantur. Vide supra cap. 6, dist. 1.

## CAPUT XIV.

## DE CANALIBUS.

Canalium nomine libri divini designantur, sicut per Moysen dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis ex parte corticavit, eas detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit : illa vero quæ integra erant virida permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius ; ubi et subditur : Posuitque eas in canalibus in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas et aspectu earum conciperent. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia et diverso colore respersa. Lege c. 13, dist. 2, l. III.*

## CAPUT XV.

## DE FLUCTIBUS.

*In Scriptura sacra fluctuum nomine, aliquando tumultus tentationum, aliquando semitæ pravorum intelliguntur.*

(542) Fluctuum nomine tumultus tentationum designatur ; unde cum Dominus de pravorum sævitia sub appellatione maris ad beatum Job loqueretur, subdidit dicens : *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos (Job xxxviii, 10)*. Si enim per mare 416 cor nostrum accipimus, bene per fluctus tentationes et vitiorum strepitus accipere possumus. Terminis ergo suis Dominus hoc mare circumdat : quia cor nostrum adhuc corruptionis suæ molestia, et cura turbulentum, sub mensura contemplationis humiliat : ut licet plus

(544) Ex l. xxvii in Job, cap. v.

appetat, ultra tamen quam sibi conceditur non ascendat. Vel certe hoc mare terminis suis Dominus circumdat, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat : modo agens, ne pravorum suggestionem ad delectationem veniat, modo ne pravorum delectatio usque ad consensum prorumpat. Qui ergo illicitos motus cordis respicit, et in quibusdam eos usque ad consensum venire prohibet, in quibusdam vero illos etiam a delectatione restringit : nimirum furenti mari terminum ponit, ut nequaquam in opere exeat, sed intra sinum mentis tentationum submurmurans se unda collidat. Et quia tunc valenter restringitur, cum ei dilectione Dei, atque inspiratis virtutibus obviatur, recte subjungitur : *Et posui vectem, et ostia, et dixi : Hucusque, venies et non procedes amplius (Job xxxviii, 11)*, etc.

Quid enim moraliter aliter per ostia, nisi virtutes : quid per vectem, nisi robor charitatis accipimus ? Hæc itaque ostia scilicet virtutes operationum mare sæviens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facile enim omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Unde et Paulus in suis prædicationibus, dum quædam virtutum ostia maris tentationibus opponeret, illico eisdem ostiis quasi robor adjunxit dicens : *Super omnia autem charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis (Coloss. III, 14)*. Perfectionis enim vinculum charitas dicitur, quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam ne pereat, ligatur, a tentatione namque citius quodlibet opus evellitur, si solum a vinculo charitatis invenitur. Si autem mens Dei ac proximi dilectione coustringitur, cum tentationum motus quælibet ei injusta suggesserint, obicem illis dilectio opponit, et pravæ persuasionis undas virtutum ostiis et vecte intimi amoris frangit. Bene, ergo dicitur : *Posui vectem, et ostia, et dixi, etc. (Job xxxviii, 10)*. 417 Quia dum electus quisque et tentatur vitiis, et tamen facere male suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur. Quod etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen bene vivendi littora non excedit. Quod mare quidem in tumores se erigit, sed dum fixa cordis deliberatione illiditur, fractum redit.

Fluctuum nomine semitæ pravorum designantur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Pedes meos subverterunt et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis (Job xxx, 12)*. Vide lib. v, cap. 56, dist. 9.

(542) Ex l. xxviii in Job, cap. ix, sparsim xix.

## 418 INCIPIT LIBER OCTAVUS.

## CAPUT PRIMUM.

## DE AURO.

*In Scriptura sacra auri nomine, aliquando divini-*

*tatis claritas, aliquando splendor supernæ civitatis, aliquando charitas, aliquando nitor gloriæ temporæ, aliquando splendor sanctitatis, ali-*

*quando ingenium, aliquando sensus bene operantis, aliquando anima fidelis designatur.*

(543) Auri nomine ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in Canticorum. Canticis species sponsi describitur: *Caput ejus aurum optimum* (Cant. v, 17). Quia enim caput Christi Deus, nil vero est in metallis auro fulgentius, sponsi caput aurum dicitur: quia ejus humanitas ex divinitatis suæ nobis claritate principatur.

(544) Auri nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur dicens: **419** *Ipsa civitas aurum mundum, similis vitro mundo* (Apoc. xxi, 18). Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa civitas auro dicitur. Et quia ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cum unius cujusque vultus accenditur, simul et conscientia penetratur: hoc ipsum aurum idcirco vitro mundo simile esse dicitur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus; patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia. Sicque unusquisque tunc erit conspicibilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicibilis sibi. Bene itaque civitas illa superna ex auro constat, simili vitro quia per aurum clara et per vitrum perspicua dignoscitur.

(545) Auri nomine charitas designatur. Sicut angelum quem sibi loqui Joannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimirum super-norum civium pectora dum pœnali jam nequam timori subjecta sunt atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

(546) Auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam dicitur: *Calix aureus. Babylon* (Jerem. li, 7). Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quæ calix aureus dicitur: quæ dum pulchra esse temporalia ostendit, stultas mentes in sui concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, et: invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva debriata est, de qua historia veritatis dicit: quia cum vetitum lignum conspiceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, et comedit. Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.

Auri nomine splendor sanctitatis accipitur, sicut Judaicum populum ab splendore justitiæ ad **420** nequitiae tenebras commutatam Jeremias deplorat dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* (Thren. i, 1.) Vide lib. vi, cap. 11, dist. 3.

(543) Ex l. xxxiv in Job, c. xii in initio 8.

(544) Ex l. xviii in Job, c. xxvii, 5l.

(545) Ex l. xxxiv in Job c. xiii initio 10.

(547) Auri nomine ingenium designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Si putavi aurum robur meum* (Job xxxi, 24). Quid enim aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingenium? Nec abhorret a rationis ordine quod aurum dicimus ingenium designare: quia sicut in ornamento aurum supponitur, ut gemmarum desuper ordo disponatur: ita clara sanctorum ingenia divinis muneribus humiliter substernuntur, et distincta super se gratiarum dona percipiunt. Sancti autem viri robur suum aurum non deputant: quia quantolibet ingenio fulgeant nihil se esse ex suis viribus pensant. Et cum sentire omnia valenter possunt, prius intelligere semetipsos cupiunt, quatenus lumen ingenii more solis prius illustret locum in quo oritur, postmodum cætera ad quæ procedendo dilatatur: ne si cognoscens alia semetipsos nesciant, ibi solis radius ubi oritur tenebrescat. Ingenii itaque virtutem ad cognoscendam infirmitatem propriam dirigunt, atque ex infirmitatis suæ melius cognitione convalescunt. Aurum ergo non robur creditur, si in accepto ingenio fiducia non habetur.

(548) Auri nomine sensus bene operantis designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum: ita probatur homo ore laudantis* (Prov. xxvii, 21). Argentum quippe vel aurum, si reprobum est igne consumitur: si vero probum, igne declaratur. Sic nimirum est et sensus operantis. Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quam reprobum argentum, vel aurum fuit, quem videlicet fornax linguæ consumpsit? Si autem favores suos audiens, ad superni judicii considerationem redeat, ac ne de his apud occultum arbitrum gravetur, pœnit, quasi ex purgationis igne ad magnitudinem claritatis exrescere: et unde incendium trepidationis sustinuit, inde clarius fulget.

**421** Auri nomine anima fidelis accipitur, sicut in libro beati Job ab Helio dicitur: *Ab Aquilone aurum veniet* (Job xxxvii, 29). Vide lib. i, cap. 15, dist. 2.

## CAPUT II.

### DE OBRYZO.

**D.** *In Scriptura sacra obryzi nomine, aliquando angelica natura, aliquando mens perfecta designatur.*

Obryzi nomine angelica accipitur natura, sicut per beatum Job, cum sapientiæ pretium requireret, dicitur: *Non dabitur aurum obryzum pro ea* (Job xxviii, 15). Quid nempe per aurum obryzum nisi sancti angeli designantur? Qui recte et aurum vocantur, et obryzum: aurum, quia fulgent claritate justitiæ; obryzum, quia nullum unquam habuerunt contagium culpæ. Homines vero justi quandiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino esse non

(546) Ex ejusdem l. proximi c.

(547) Ex l. xxii in Job, cap. ii, post med.

(548) Ex l. xxii in Job, c. v, post medium 19.

possunt, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem (Sap. ix, 15). Nam quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent Joanne apostolo attestante qui dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas non est in nobis (Jac. i, 8): affirmante Jacobo qui astruit dicens: In multis enim offendimus omnes (Jac. iii, 2). Propheta etiam deprecante, qui ait: Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Job xxxi, 13). Aurum ergo obryzum illi nuncupantur, qui in ea in qua conditi sunt innocentia perdurantes, et fulgent claritate justitiæ, et nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ. Sed quia pro hac sapientia nullus angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis apem in his quos in adiutorio hominum sæpius apparuisse didicimus, 422 angelis poneret, dictum est: Non dabitur aurum obryzum pro ea. Ac si aperte diceretur: Per semetipsam sapientia manifestabitur ut humanum genus a culpa redimatur. Nullus vice ejus angelus mittitur, quia per Creatorem necesse est ut creatura liberetur. Unde et in Evangelio Dominus dicit: Si vos Filii liberaveris, vere liberi eritis.

Obryzi nomine mentis pulchritudo designatur; unde a beato Job dicitur: Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea (Job xxxi, 24). Quid enim aurum nisi præclari intellectus ingenium accipimus? Quid obryzum nisi mentem humanam, quæ dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renovamini spiritu mentis vestræ (Ephes. iv, 32). Hinc Psalmista qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc cepi (Psal. lxxvi, 11). Quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus. Dicat ergo: Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea. Ac si aperte fateatur dicens: Nec ea quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui, nec menti propriæ si qua me egisso bona contigit, hæc principaliter deputavi.

### CAPUT III.

#### DE TALENTIS.

(549) Talentorum nomine dona gratiæ designantur, sicut in Evangelio dicitur: Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum: Unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim (Matth. xxv, 14).

(549) Ex hom. in Evang.

(550) Ex l. xxii Job, xxiii, 16.

(551) Ex hom. 9 in Evang. in medium cir-

Quis enim iste homo est nisi Redemptor noster, qui in carne quam assumpsit, abiit in cælum? Carnis namque locus proprie terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cælo collocatur. Sed 423 iste homo peregre proficiscens servis bona sua tradidit: quia fidelibus suis spiritualia dona concessit. Et uni quidem quinque talenta, alii duo, alii vero commisit unum. Quinque etenim sunt corporis sensus, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. Quinque igitur talentis donam quinque sensuum, id est exteriorum scientia exprimitur; duobus vero intellectus et operatio; unius autem talenti nominiæ intellectus tantummodo designatur.

### CAPUT IV.

#### DE PECUNIA.

(550) Pecuniæ nomine doctrinæ sanctæ ministerium designatur, sicut per beatum Job dicitur: Si fructus terræ meæ comedi absque pecunia (Job xxxi, 39). Terræ enim nomine vel privata domus, vel sancta Ecclesia intelligitur. Fructus ergo terræ absque pecunia comedere, est ex Ecclesia sumptus quidem accipere: sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. De qua videlicet prædicationis pecunia auctoris voce dicitur: Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum erat, cum usura (Matth. xxv, 17). (551) Pecuniam namque nummulariis dare est eis scientiam prædicationis impendere, quæ hanc valeant et operibus exercere. In usura quippe pecunia etiam non data recipitur. Cum enim hoc redditur, quod acceptum fuerat etiam illud super impenditur, quod acceptum non est. De accepta ergo verbi pecunia usuram solvit, qui ex eo quod audivit, etiam alia studet intelligere quæ non audivit, quatenus alia ex aliis colligens etiam illa discat ex semetipso agere, quæ necdum ex prædicatoris ore didicit. (552) Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium non impendit. Quid adhuc nos pastores dicimus, qui adventum judicis præcurrentes, officium prædicationis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus? Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus, quod subjectorum debetur cordi. Ecce vir sanctus tot in hoc sæculo pignoribus 424 astrictus inter innumeras occupationes liber ad studium prædicationis fuit. Qui fructus terræ nunquam sine pecunia comedit, quia nimirum subditis verbum bonæ admonitionis reddidit, a quibus fructus corporeæ servitutis accepit.

Sequitur; Et animam agricolarum ejus affixi. Agricola quippe hujus terræ sunt hi qui minori loco positi, quo valent zelo, quanto possunt opere, ad eruditionem sanctæ Ecclesiæ in prædicationis gratia cooperantur. Quos videlicet agricolas, hoc

citer.

(552) Ex sup. lib. in Job. by Google

est non affligere, eorum laboribus non invidere : A ne rector Ecclesiæ dum sibi soli jus prædicationis vindicat, etiam aliis recte prædicantibus invidia, se mordente contradicat. Pia etenim pastorum mens, quia non propriam gloriam sed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari. Fidelis namque prædicator optat si fieri valeat, ut veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur : *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum* (Num. xi, 29). Prophetare quippe omnes voluit, qui hominum, quod habuit, aliis non invidit,

## CAPUT V.

## DE THESAURO.

Thesauri nomine cœleste desiderium designatur, sicut in Evangelio voce veritatis dicitur : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet et emit agrum illum* (Matth. xiii, 44). (553) Thesaurus namque cœleste est desiderium. Ager vero in quo thesaurus absconditur est disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat : ut nil jam quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat. Qua in re hoc quoque notandum 425 est, quod inventus thesaurus absconditur, ut servetur : quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc et ab humanis laudibus non abscondit. In præsentem etenim vitam, quasi in via sumus, qua ad patriam pergitur. Maligni autem spiritus inter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi nostri opera nostra non videant, cum scriptum sit : *Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis* (Matth. v, 16). Sed ut per hoc agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto : ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua soli Deo placere 426 quærimus, semper optemus secretum.

## CAPUT VI.

## DE DIVITIIS.

(554) Divitiarum nomine consiliorum acumina designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Si lætatus sum super multis divitiis, est quia plurima reperit manus mea* (Job xxxi, 25). Quid enim multas divitias appellatas per significationem credimus, nisi abundantia acumina consiliorum? Quæ quærentis manus invenit, cum hæc cogitatio tractantis gignit; has quippe Salomon sapientiæ divitias con-

templatus ait : *Corona sapientium divitiæ eorum* (Prov. xiv, 24). Qui quia divitias non metalla terrena, sed prudentiam nominat, illico per contrarietatem subdit : *fatuitas stultorum imprudentia*. Si enim coronam sapientium terrenas divitias diceret, procul dubio fatuitatem stultorum paupertatem potius quam imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientium divitias, quia prudentiam dixerit, indicavit. Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ sacra eloquia investigando percipimus, atque in his plura, nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem secura lætitia, in divinis paginis vel fortia 426 vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo operari debeat agnoscit. Quanto enim intellectus latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde et in Evangelio dicitur : *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (Luc. xii, 48). Deputemus ergo intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam, quia quo plus nobis creditur ex benignitate, eo quoque debitores amplius tenemur in opere. Quia igitur justii viri in his quæ vigilantiter intelligunt, secura lætitia non extolluntur, dicatur recte : *Si lætatus sum super multis divitiis meis, etc.* Ac si aperte diceretur : *Nequaquam me in eo locupletem ex justitia credidi quo recta quæ agere debui etiam multa cognovi : nec intelligentia cor extuli, quia illud consideratio debitiæ operationis pressit.*

(555) Divitiarum nomine divina eloquia designantur, sicut de Judaico populo, vel quolibet stulto ingenioso per Eliphaz dicitur : *Et bibent sitientes divitias ejus* (Job v, 5). Judaici namque populi divitias sitientes bibunt quia fluentis sacre locutionis, quæ in superbiæ ostentatione possederat, conversæ gentilium mentes irrigantur. Aliter : Sæpe stultus habet interni fontis liquorem, sed non bibit : quia ingenium quidem intelligentiæ accipit, sed tamen veritatis sententias cognoscere legendo contemnit (556). Scit quia intelligere studendo prævaleat, sed ab omni doctrinæ studio fastidiosus cessat. Divitiæ quoque mentis, sunt verba sacre locutionis : sed has divitias stultus oculis aspicit, et in ornamentis sui usum minime assumit, quia verba legis audiens magna quidem esse considerat, sed ad comprehendenda hæc nullo studio amoris elaborat. At contra alius sitim habet, ingenium non habet. Amor ergo ad meditandum hunc pertrahit, sensus hebetudo contradicit et sæpe hoc in divinæ legis cruditione quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit, hujus ergo stulti divitias sitientes bibunt, dum præcepta Dei quæ ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur.

(553) Ex hom. 11 in Evang.

(554) Ex l. xxii in Job, c. iii, 4.

(555) Ex l. vi in Job, c. iii.

(556) Ex c. v, lib. sup. iv.

## 427 CAPUT VII.

DE ARGENTO.

In Scriptura sacra argenti nomine, aliquando divinum eloquium, aliquando divini eloquii scriptores designantur.

(557) Argenti nomine divinum eloquium designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (Psal. xi, 7). Bene eloquia Domini argentum igne examinatum dicantur, quia sermo Dei si in corde sicut, tribulationibus probatur. Sed quia nonnulli eloquium Domini non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt, bene per prophetam dicitur: *Disperierunt omnes involuti argento* (Soph. i, 11). Illi nimirum, qui eloquia Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt. Unde Judæis solam litteram servantibus per Prophetam dicitur: *Quare appenditis argentum, et non in panibus* (Isai. lv, 2) (558): Ac si diceret: Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione: quia dum solum speciem litteræ custoditis de spiritali intelligentia pinguedinem internæ refectionis amittitis.

(559) Argenti nomine divini eloquii scriptores designantur, sicut cum beatus Job sapientiæ pretium requireret, ait: *Non appendetur argentum in commutatione ejus*. Quia enim argento sæpe eloquia divina signantur, possunt argenti vocabulo etiam ejusdem eloquii scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre: non quisquam veterum patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor exstitit. Argentum ergo in commutatione hujus sapientiæ non appenditur: quia quilibet sancti esse potuerunt in comparatione unigeniti filii **428** nullius meriti esse pensantur. Qui nisi hujus sapientiæ servos se cognoscerent, sancti nullatenus fuissent. Ad hoc quippe illi missi sunt, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præparent, neque ut pro ea, sed per eam subjectos populos regant. Quia enim certum erat quod per accessum temporum deficientis sæculi languores excrescerent, actum est ut æterna Dei sapientia in fine sæculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc et nimiam infirmitatis ægrotum, id est, per totum mundum jacens languidum genus humanum: ut transmissis prius prædicatoribus, quasi quibusdam viatoribus tanto post modum major fieret potentia medici, quanto magis morbus crevisset ægroti. Quia vero nullus vitæ ejus ad salvandos nos mittitur, recte dicitur, nec appendetur argentum in commutatione ejus: quia vita justorum prædicantium quantalibet sanctitatis luce polleat, adventum nobis supernæ sapientiæ per suam præsentiam non commutat.

(557) Ex l. iv in Job c. xxviii, ante finem 35, 36; et l. xviii, c. xi.

(558) Ex l. xxiii, in Job, c. xvii.

A

## CAPUT VIII.

DE ELECTRO.

(560) Electri nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem de ipso dicitur: *De medio ejus quasi species electri, hoc est, de medio ignis* (Ezech. i, 4). Ignis quippe hoc nomine ardor persecutionis intelligitur, quo Judæa contra auctorem suum exarsit. Quid vero electri specie nisi Christus Jesus mediator Dei et hominum designatur? Electrum quippe ex auro et argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio naturæ divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam crevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, per hoc, quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas a fulgore suo nostris aspectibus est temperata, quasi aurum nobis palluit **429** per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innovat omnia, si ita ut est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius quam renovaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, et per acceptam gratiam, ut ita dicam, suæ habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in signe est Deus factus homo in persecutione. Ignis namque malitiæ qui a Judæorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos apostolos sæviendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac Redemptore generis humani.

## CAPUT IX.

DE FERRO.

In Scriptura sacra ferri nomine, aliquando conversorum soliditas, aliquando fortitudo, aliquando prædicationis jaculum, aliquando is, qui nocendi malitiam non deserit, designatur.

(561) Ferri nomine conversorum soliditas designatur, sicut beatus Job testatur dicens: *Ferrum de terra tollitur* (Job xxviii, 2). Occulto consilio suo omnipotens Deus quosdam ab exordiis suis innocentes custodiens usque ad virtutum summa provehit, ut ætate crescente simul in eis proficiat et annorum numerositas, et celsitudo meritorum. Alios vero in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, et ad sequendum se sancti amoris igne succendit: atque inolititas in eorum cordibus pruriginis vitiorum vertit in fervorem virtutum: et eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis crubescunt memoriam iniquitatis suæ. Sicut **430** sæpe contingit ut in pu-

(559) Ex l. xviii in Job, c. xxviii, 15.

(560) Ex hom. 2 in Ezech. paulo post med.

(561) Ex l. xviii in Job, c. xv.

gnæ certamine miles ante ducis sui oculos consti-  
tutus hostili virtuti turpiter cedat, et enerviter præ-  
bens terga seriatu: Qui tamen hoc ipsum quod  
turpiter cessit erubescens, ante ducis sui oculos  
maiores ex ipsa verecundia vires sumit: tantaque  
post fortia exercet, quantis et præsentem gloriam  
virtutis peragat, et præteritæ ignominia debilitatis  
tergat. Sic ergo nonnunquam quidam in Dei ser-  
vitio ex anteacta acrius debilitate roborantur, eos-  
que ad custodienda mandata et futurorum trahit de-  
siderium et impellit memoria præteritorum: ut  
hinc ad ventura amor provocet, illinc de præteritis  
memoria instiget. Quod tamen adversarii Ecclesiæ  
dum summis præditos virtutibus vident, eisque in  
præsenti vita unde derogent quia invenire nequa-  
quam possunt, accusare illôs de præteritis moliantur  
sicut Moysen nostrum Manichæus impetit in  
quo sequentium virtutum gratiam transacti homici-  
dii conatur culpa fœdare. In quo non attendit  
postmodum quam patiens ad sustinendum, sed  
prius quam præceps ad feriendum fuerit. Talibus  
ergo adversariis Job subtilissima consideratione  
obvians ait: Ferrum de terra tollitur, ut scilicet qui  
infirmus prius despectusque fuerat per terrena ne-  
gotia, fortis postmodum factus est, ad cœlestia præ-  
dicamenta.

(562) Ferri nomine fortitudo designatur, sicut ad  
Ezechielem a Domino dicitur: *Et tu sume tibi sar-  
taginem ferream, et pones eam murum ferreum inter  
te et civitatem (Ezech. iv, 3)*. Per sartagine[m] nam-  
que fritura, per ferrum vero fortitudo signatur.  
Quid autem ita magistri atque doctoris mentem  
quam zelus Domini fringat et excruciat? Et quidem  
Paulus hujus sartaginis incendebatur fritura, cum  
diceret: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Et  
quis scandalizatur et ego non uror? (II Cor. xi, 29)*  
Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accen-  
ditur, forti in perpetuum custodia munitur ne ex  
neglecta prædicationis et regiminis cura damnetur  
recte dicitur: Pones eam murum ferreum inter te  
et civitatem. **431** Sartago enim ferrea et murus  
ferreus inter prophetam et civitatem ponitur: quia  
cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eundem  
postmodum zelum inter se et auditores suos fortem  
munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti  
sint si nunc fuerint in corruptione dissoluti. Hanc  
sartagine[m] propheta idem ut inter se et auditores  
suos murum sumeret, audiebat, cum ei divina vox  
præmitteret, dicens: *Si tu annuntiaveris impio et  
ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via  
impia: Ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu  
autem animam tuam liberasti (Ezech. iii, 19)*. Hanc  
sartagine[m] inter se et discipulos murum Paulus  
posuerat cum dicebat: *Mundus sum a sanguine om-  
nium vestrum (Act. xx, 26)*. Non enim subterfugi  
quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.  
Nunc ergo doctores necesse est, ut appetant zeli ar-

A doribus frangi, ne cogantur post de corpore negli-  
gentiæ igne gehennæ cruciari. Sed aliud est quod  
injustis et subditis, aliud quod justis et non sub-  
ditis debemus. Ad illorum nos correptionem atque  
custodiam reddendarum rationum debet timor ac-  
cendere, ad istorum vero venerationem ipsa consi-  
derata æquitas inclinare. Sed arrogantes viri, quia  
hujus formam discretionis ignorant, justis et non sub-  
ditis exhibent quod a bonis prædicatoribus fieri in-  
justis et subditis vident.

(563) Ferri nomine prædicationis jaculum desi-  
gnatur. Unde Dominus de diaboli violentia per au-  
tichristum acturus cum loquens ad Job dicit: *Re-  
putabit ut paleas ferrum, et quasi lignum putridum  
æs (Job xli, 18)*. Ferrum namque acuitur ut ad-  
versarius vulneretur. Æs autem rubigine pene nulla  
consumitur. Ferro ergo prædicationis jaculum, ære  
autem longanimitatis constantia designatur. Unde  
et sub Aser specie de sancta Ecclesia per Moysen  
dicitur: *Ferrum et æs calceamentum ejus (Deut.  
xxxiii, 25)*. Calceamentum quippe in Scriptura sa-  
cra munimen prædicationis accipitur, sicut scri-  
ptum est: *Calceati pedes in præparatione Evangelii  
paci (Ephes. vi, 18)*. Quia ergo per ferrum expri-  
mitur virtus, et æs calceamentum ejus dicitur, dum  
prædicatio illius acumine simul et constantia mu-  
nitur. Per ferrum enim mala adversantia **432**  
penetrat, per æs autem bona quæ proposuit, longanimitate  
servat. Cujus profecto illic perseverantium  
apertius insinuat subdens: Sicut dies juven-  
tutis ejus, ita erit et senectus illius. Sed diabolus  
cum antichristum in exercitationem suæ iniquita-  
tis assumpserit, et ferrum velut paleas, et æs velut  
lignum putridum reputabit, quia nisi divina gra-  
tia protegat, et prædicantium vires velut paleas ne-  
quitiæ suæ igne consumet, et patientium constan-  
tiam quasi lignum putridum in pulverem rediget.  
Et acumen igitur ferri, et æris fortitudo defi-  
cit: dum per violentiam virtutis illius, et prædica-  
tionis sensus obtunditur, et patientiæ longanimitas  
dissipatur.

(564) Ferri nomine is qui nocendi malitiam non  
deserit designatur: sicut captivo Israelitico populo  
numero tamen ab iniquitate converso Dominus ex-  
probrat dicens: *Versa est mihi domus Israel in sco-  
riam: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et  
plumbum in medio fornacis (Ezech. xxii, 18)*. Ac si  
aperte dicat: Purgare eos per ignem tribulationis  
volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsi-  
vi; sed in fornace mihi in æs, stannum, ferrum et  
plumbum versi sunt, quia non ad virtutem, sed  
ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Æs  
quippe dum percutitur amplius metallis cæteris soni-  
tum reddit. Qui igitur in percussione positus erumpit  
ad sonitum murmurationis, in æs versus est in  
medio fornacis. Stannum vero cum ex arte compo-  
nitur, in argenti speciem mittitur. Qui vero simu-

(562) Ex l. xxvi in Job, c. xii.

(563) Ex l. xxxiv in Job, c. viii, 5.

(564) Ex iii part. Past. c. xiv.

lacionis vitio, non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur: Ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur.

### 433 CAPUT X.

DE ÆRE.

In Scriptura sacra æris nomine, aliquando Christus intelligitur, aliquando vera fortitudo, aliquando constantia longanimitatis, aliquando sonora prædicantium vox, aliquando obscura patrum veteris testamenti prædicatio, aliquando dicitur et insensibile pravorum cor, aliquando is, qui in flagello positus murmurat, designatur.

Æris nomine Christus intelligitur, sicut per Ezechielem de ipso dicitur: *Et ecce vir, cujus erunt species quasi species æris* (Ezech. xl, 3). Quis enim viri nomine nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur? Sed quærendum est cur de hoc viro dicitur, cujus erat species, quasi species æris. Cuncti autem novimus metallum æris valde esse durable, atque omnimodo sonorum. Quid est ergo quod aspectus mediatoris Dei et hominum speciei comparatur æris, nisi hoc quod aperte novimus, quia unigenitus Dei Filius formam servi accipiens, fragilitatem carnis humanæ, per resurrectionis suæ gloriam, vertit in æternitatem, quia in eo jam caro facta sine fine durabilis. Nam surgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (Rom. vi, 4). Quid est autem quod ipsa ejus incarnatio sonoro metallo comparatur, nisi quod per eandem assumptionem humanitatis nostræ insonuit omnibus gloria majestatis suæ? Qui quasi aspectum æris habet ex corpore, quia Deus mundo innotuit ex carne. Dicitur ergo: Aspectus ejus, quasi 434 species æris: quia prædicatio ejus quasi quidam sonitus ex ære est.

(564\*) Æris nomine vera fortitudo intelligitur, sicut per beatum Job dicitur: *Et lapis calore solutus in æs vertitur* (Job xxviii, 2). Quid enim per lapidem nisi cor durum est, quid per æs nisi vera fortitudo designatur? Tunc autem lapis calore solvitur, cum cor durum atque a divini amoris igne frigidum eodem divini amoris igne tangitur, et in fervore spiritus liquatur, ut ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat quam prius audiens insensibilis manebat. Ex quo ardore scilicet emollitur ad amorem et roboratur ad operationem, ut sicut prius durus fuerat in amore sæculi, ita se postmodum fortem exerat in amore Dei, et quod antea audire renuebat jam et credere et prædicare incipiat. Lapis ergo calore solutus in æs vertitur, quia dura mens superni amoris igne liquefacta ad veram fortitudinem commutatur: ut peccator qui prius insensibilis existerat, postmodum et per auctoritatem fortis, et per

(564\*) Ex l. xviii in Job, c. xviii.

(565) Ex hom. iii in Ezech, post initium.

prædicationem sonorus fiat. Quod bene per Isaiam dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* (Isai. xl, 31). Fortitudinem quippe mutamus, cum conversi tanta virtute præsens sæculum fugimus quanta hic ante quærebamus.

Æris nomine constantia longanimitatis designatur sicut Domini voce didicimus ad beatum Job de diaboli malitia sic loquentis: *Reputabit ut paleas ferrum et quasi lignum putridum æs* (Job xli, 18). Lege cap. 9, dist. 3, supra.

Æris nomine sonora prædicantium vox designatur, sicut de ipsiis sub specie animalium per Ezechielem dicitur: *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis* (Ezech. i, 7) (565). Æris metallum valde sonorum est: et recte voces prædicantium æri comparantur, quia in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (Psal. xviii, 7). Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat et ardet. Ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens, est prædicatio accensa. 435 Sed de candente ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. Considerandum quoque est quod scintillæ subtiles valde, et tenues sunt quia, cum prædicatores sancti de cœlesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum lingua quasi quædam ad nos scintillæ veniunt, quia de cœlesti patria in eorum voce vix tenuè aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter crematur. Neque enim cœlestem gloriam aut tamen videre sufficiunt aut quantum est: aut tantum loqui prævalent, quantum vident. Candens ergo æs scintillas projicit: quando vix tenuiter prædicator loqui sufficit hoc unde ipse fortiter ignescit.

(566) Æris nomine obscura Patrum veteris testamenti prædicatio designatur: *Unde in constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei figi per circuitum exterius jussi sunt in quibus religatum tabernaculum teneretur* (Exod. xxxviii, 31). Columnæ itaque argenteæ interius paxilli vero ærei, in circuitu figuntur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut lixum tabernaculum maneret, quia videlicet, ut sancti apostoli in luce sermonis sui solidi starent et totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia, in fidei integritate consideret, tanquam paxilli ærei patres Veteris Testamenti ac prophete exterius fixi sunt qui verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate stringerent. Extra ergo paxilli sunt, quia ante tempus hujus sanctæ Ecclesiæ fuerunt, sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt, quia ventura cœlestia mysteria prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia ut sancti apostoli perfecte Incarna-

(566) Ex hom. 15 in Ezech. post med.

tionis Dominicæ mysterium crederent illorum prædicatio obtinuit, qui hoc priusquam fieret et videre et prædicere potuerunt. Nec immerito columnæ argenteæ, paxilli vero ærei facti sunt, quia, **436** quod clare iam apostoli prædicant, hoc prophetæ sub intellectu mystico obscure locuti sunt. Recte ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt. Sancti vero apostoli, quia Redemptoris nostri mysterium luce prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quod argentum sonat et lucret, æs vero sonat et non lucret, quia prædicatores Novi Testamenti aperte locuti sunt quæ etiam monstrare potuerunt, prædicatores vero Veteris Testamenti, quia per allegoriarum umbras de cœlesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt.

(567) *Æris nomine durum et insensibile cor pravorum per Job dicitur: Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est (Job vi, 12). Quid enim hoc loco ære ac lapidibus nisi insensibilium hominum corda signantur? Qui sæpe et supernos ictus accipiunt, et tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt. Quo contra electis per prophetam pollicente Domino dicitur: Tollam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum (Ezech. xi, 19). Paulus quoque ait: Si linguas hominum loquar, et angelorum charitatem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens (I Cor. xiii, 1). Scimus autem quoniam percussi lapides clarum sonum reddere nequeunt, æs vero cum percutitur, canorus valde sonus ex ejus percussione formatur. Quod quia ut lapis vita caret, sensum in sonitu non habet. Et sunt nonnulli qui lapidibus similes, ita ad pietatis præcepta duruerunt, ut cum eos percussio supernæ animadversionis examinat, nequaquam sonitum humilis confessionis reddant. Quidam vero a metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussione accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt; sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti nesciunt quod promiserunt. Illi ergo more lapidum percussi nec voces habent, isti autem in nullo æris imitationem fugiant qui in percussione positi bona quæ non sentiunt loquuntur. Illi venerationem ferientis et verbera denegant; isti pollicentes quod non implent sine vita clamant. Vir igitur sanctus reproborum duritiam **437** inter verbera fugiens clamat: Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est; ac si aperte fateatur dicens: Reproborum similitudinem sub disciplinæ verbere fugio, quia nec more lapidum ita obdurui, ut sub percussione stimulo a ministerio confessionis resono, et sensum vocis ignoro. Sed quia, ad percussione reprobis debilitate fortes sunt, electi autem valenter infirmi: beatus Job, dum fortem se per insaniam non esse asserit, fortem se per statum salutis innotescit.*

(567) Ex l. vii in Job, c. ix, 10.

(567\*) Ex l. xiv in Job, cap. xxv, xxvi.

*Æris nomine is qui in flagello positus murmurat designatur, sicut in captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat, dicens: Versa est mihi domus Israel in scoriam (Ezech., xxii, 18). Omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. Vide supra cap. 9, dist. 4.*

## CAPUT XI.

### DE PLUMBO.

*In Scriptura sacra plumbi nomine, aliquando Judæa, aliquando peccatum avaritiæ, aliquando quilibet peccatorum pondere pressus designatur.!*

(567\*) Plumbi nomine Judæa designatur, unde per beatum Job dicitur: *Quis mihi tribuat, ut scribamur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina vel cæte sculptantur in silice (Job xix, 24).* Cuncta quæ pertulit beatus Job, quia forti Patrum sententia doctus gravis ille Judæa populus agnovit, stylo ferreo, et plumbi lamina scripta sunt. Quia vero hæc etiam dura gentium corda cognoverunt quid ea sculpta in silice videmus? Et notandum quia in plumbo quod scribitur ipsa metalli **438** mollitie citius deletur. In silice vero tardius quidem valent litteræ imprimi, sed difficiliter deleri. Non ergo immerito per plumbi laminam Judæa exprimitur, quæ præcepta Dei et sine labore percepit, et cum celeritate perdidit. Recte quoque per silicem gentilitas figuratur, quæ verba sacri eloquii vix custodienda suscipere potuit, sed fortiter suscepta servavit. Per stylum vero ferreum quid aliud quam fortis Dei sententiæ designatur? Unde et per prophetam dicitur: *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino (Jerem. xvii, 1).*

(568) Per plumbum quoque cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ designatur: quia mentem quam infecerit ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli nequaquam possit, hinc enim in Zacharia scriptum est: *Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc quod egreditur, etc. (Zach. v, 5).*

Plumbi nomine quilibet peccatorum pondere pressus designatur: sicut in captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat, dicens: *Versa est mihi domus Israel in scoriam (Ezech. xxii, 18). Omnes isti æs et sunt, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. Vide supra cap. 9, dist. 4.*

## CAPUT XII.

### DE STANNO.

Stannum designat simulatorem sanctitatis. Vide ibidem.

## 439 CAPUT XIII.

### DE ARMIS.

*In Scriptura sacra armorum nomine, aliquando sanctorum miracula, aliquando humana patrociniæ, aliquando fraudes diaboli, aliquando necessitates*

(568) Ex l. xiv in Job, c. xxvi, xxvii.



*vita presentis, aliquando membra corporis nostri designantur.*

(569) Armorum nomine sanctorum miracula designantur, sicut scriptum est: *In lumine jacula tua ibunt in splendore fulgoris armorum tuorum (Habac. III, 4)*. Jacula quippe Dei in lumine ire, est verba ejus aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitæ, etiam intellecta despiciunt, adjunguntur etiam miracula. Unde illic subdidit: *In splendore fulgoris armorum tuorum (570)*. Fulgor quippe armorum est claritas miraculorum. Armis namque nos tuemur, jaculis adversa destruimus. Arma ergo cum jaculis, sunt miracula cum prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt: armis vero, id est miraculis, semetipsos tuentur, ut et quantum sint audiendi sonent per impetum jaculorum, et quantum sint reverendi clarescunt per arma miraculorum.

(571) Armorum nomine humana patrocinia designantur, sicut per Psalmistam dicitur: *Arcum conteret, et confringet arma et scuta comburet igni (Psal. XLV, 10)*. Arcum namque conterit Dominus, cum cuncta occultâ insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea quæ contra se erecta fuerant patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes **440** ad pœnitentiæ et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit.

(572) Armorum nomine fraudes diaboli innumera designantur, sicut voce Dominica didicimus, qui de sancto prædicatore sub equi nomine loquens ait: *Terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis (Job xxxix, 24)*. Terram namque ungula fodere, est districta abstinentia carnem domare. Quo autem plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. Unde effossa terra apte subnectitur, exsultat audacter. Qui enim valenter reprimat, quod impugnat audacter de his exsultat, quæ in æterna pace desiderat, tantoque melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. Quia vero quisque in ipso belli certamine positus tanto facilius fraudem hostium conspicit, quanto et districtius corpus proprium, quasi quemdam hostium adiutorem premit, recte post contritionem corporis lætitiâ cordis subjungit: *In occursum pergit armatis*. Hostes quippe armati sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti. Qui cum suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt, et quasi sub quædam arma se contegunt, ne in sua malitia a nobis nudi videantur. Quibus hostibus armatis in occursum pergimus, quando eorum insidias longe prævidemus. Effossa igitur terra armatis hostibus in occursum pergere, est

A edomita immundorum spirituum mirabiliter explorare. Effossa terra armatis hostibus in occursum pergere, est, devicta carnali nequitiâ contra spiritualia certamen subire. Nam qui adhuc secum eneruiter pugnat, frustra contra se bella extra posita suscitât. Qui enim semetipsum carnalibus subjugat, quomodo spiritalibus vitis resultat? Aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui apud semetipsum domestico libidinis bello succumbit? Vel certe armatis hostibus, in occursum pergimus, quando per exhortationis studium eorum insidias, et in alieno corde prævenimus. Quasi enim ex loco, in quo fuimus, ad locum alium obviam hostibus **441** pergimus, quando nostra cura ordinate postposita accessum immundorum spirituum a proximi mente prohibemus.

(573) Armorum nomine necessitates vitæ præsentis designantur, sicut per Job de avaro dicitur: *Fugiet arma ferrea et irruet in arcum æreum (Job xx, 24)*. Quid enim sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ presentis, quæ dure vitam inopis prement, etiam insequantur.

Armorum nomine membra corporis nostri intelliguntur, sicut de reproborum damnatione per prophetam dicitur: *Descenderunt in infernum cum armis suis (Ezech. xxxii, 27)*. Arma quippe peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria, quæ concipiunt, exsequuntur. Unde recte per Paulum dicitur: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato (Rom. vi, 13)*. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, æterni judicii tormenta tolerare ut tunc eos undique dolor absorbeat; qui nunc suis delectationibus subditi undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

#### CAPUT XIV.

##### DE JACULO.

(574) Jaculorum nomine verba sanctorum designantur, sicut scriptum est. *In lumine jacula tua ibunt in splendore fulgoris armorum tuorum (Habac. III, 4)*. Jacula enim Domini sunt verba sanctorum, quæ corda peccantium feriunt. Sed ista jacula habent arma. Scitis, fratres, quia præliatores viri jacula mittunt, armis vero muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt ne ipsi feriantur. In lumine jacula tua ibunt, quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias doctorum, facta miraculorum, recte subjungitur: *In splendore fulgoris armorum tuorum*. Quia dum addunt eis arma **442** miraculorum, mentes persequentium fulgurant, ut eos persequi non præsumant.

(569) Juxta lxx et Hier. ubi pro fulgore est *coruscatio*.

(570) Ex l. xxx in Job, c. II, 3.

(571) Ex l. xxxiii in Job, c. xxiv.

(572) Ex l. xxxi in Job, c. xvii, 28, 29.

(573) Ex l. xv in Job, c. xiv.

(574) Ex hom. 5 in Ezech. sub finem.

## CAPUT XV.

## DE SCUTO.

In Scriptura sacra scuti nomine, aliquando protectio divina, aliquando humana repugnatio intelligitur.

(575) Scuti nomine protectio divina designatur, ubi dicitur: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos (Psal. v, 13)*. Scuto quippe nos Dominus coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.

Scuti nomine humana repugnatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium et bellum (Psal. lxxv, 4)*.

(576) In cornibus quippe elatio superbiorum, in arcu vero insidiæ longe ferientium, in scuto autem obstinati duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello autem ipsa contra Deum mentis motio designatur. (577) Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium superposito jugo humilitatis edomantur. Hinc rursus per eundem Prophetam dicitur: *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet ignis (Psal. xlv, 10)*. Hinc rursus Dominica voce ad beatum Job de diaboli corpore dicitur: *Corpus ejus quasi scuta fusilia. Durum quippe, sed cum labitur fragile solet esse, vas omne quod fusile est (Job xli, 6)*.

Scuta ergo si sint fusilia in suscipienda sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quippe ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissolvunt. Corpus ergo Leviathan, id est omnes iniqui, qui per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, **443** nulla correctionis jacula se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Nam cum quis talium de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adjutorio suæ defensionis opponat. Nulla igitur veritatis sagitta penetrantur, quia verba sanctæ correctionis in scuto excipi: superbæ defensionis. Bene ergo dicitur: *Corpus ejus quasi scuta fusilia, quia omnes iniqui ne ad se corripientium verba perveniant quasi contra adversantium jacula scuta defensionum parant.*

## CAPUT XVI.

## DE CLYPEO.

Clypeorum nomine virtutum munitio designatur, sicut in Canticis sponsi voce ad sponsam dicitur: *Sicut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei dependent ex ea omnis armatura fortium (Cant. iv, 4)*. Relege lib. v, cap. 22, dist. 1.

(578) Clypei nomine diaboli repugnatio designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job de sancto prædicatore sub equi nomine dicitur: *Super ipsum*

(575) Ex l. xxxiii in Job, c. xxiv, 20.

(576) Pro cornua vulgo legitur, *potentias*.

(577) Ex l. et c. sup.

**A** *sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus (Job xxxix, 26)*. Pharetra namque contra equum sonitum reddi, cum contra prædicatorem sanctum occulta pravorum machinatio consilium suum quod fraudulenter operit, fraudulentius innotescit, ut præmissis minis, quasi ex sonitu pharetra-terreat, cum prædicator Dei apertas contumelias velut cominus ferientia jacula non formidat. Cum vero eisdem minime terretur, mox persecutionum crudelitas ad supplicia manifesta perducitur. Unde bene postquam dictum est, super ipsum sonabit pharetra, illico additur: *Vibrabit hasta*. Contra prædicatorem Dei, post pharetræ sonitum hasta vibratur, quando post terrores exhibitos e vicino jam feriens aperta pœna producit, prædicatores autem sancti, cum pro

**B** defensione fidei supplicia subeunt, ad **444** eandem fidem quos valent rapere et inter verbera non desistunt; et cum patienter vulnera suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Unde nonnunquam agit, ut ipsi qui in persecutione sæviunt non tam doleant quod prædicatores non emolliunt quam quod per ejus verba alios amittunt. Quia igitur eum feriendo non superant, ne fortasse et alii qui illum audiunt se derelinquant, mox contra loquentis verba scutum responsionis parant. Unde cum diceret: *Vibrabit hasta, recte subjungitur: et clypeus*. Persecutor enim sæviens, postquam prædicatoris corpus supplicio percutit, auditorum cor, quasi clypeo verbis suæ disputationis munit. Vir igitur sanctus ut feriri debeat, hasta vibratur; sed, ne audiri possit, clypeus opponitur. Dicitur ergo: *Super ipsum sonabit pharetra; vibrabit hasta et clypeus*. Contra æquum quippe Dei, quia pravorum consilia perstreperunt, pharetra sonat, quia aperta pœna exquiritur hasta vibratur, quia vero ei etiam in disputatione resistitur, clypeus antefertur.

## CAPUT XVII.

## DE GLADIO.

In Scriptura sacra gladii nomine, aliquando verbum Dei, aliquando futuri judicii sententia, aliquando pœna æternæ damnationis, aliquando vicina percussio, aliquando tribulatio temporalis, aliquando ira vel persuasio maligni spiritus, aliquando blanda iniquorum persuasio designatur.

**D** **445** (579) Gladii nomine verbum Dei designatur, sicut per Paulum dicitur: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (Ephes. vi, 17)*. Hinc Salomon dum fortes spiritualis pugnæ describeret bellatores ait: *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (Cant. iii, 8)*. Quid enim per gladium nisi verbum Dei figuratur? Salomon autem non ait: omnes habentes gladios sed tenentes: quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit; sed secundum illud vivere negligit. Et doctus esse ad bella jam non valet qui spiritalem

(578) Ex l. xxxi in Job, cap. xv, 26.

(579) Ex l. xix in Job, c. xvi, 28, 29.

hunc et gladium minime exercet. Nam resistere A  
tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi  
Dei tenere gladium male vivendo postponit.

(580) Gladii nomine futuri iudicii sententia desi-  
gnatur, sicut de hæreticorum sequacibus dicitur : *Si  
multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt (Job  
xxvii, 14)*. Filii hæreticorum sequaces sunt ipso-  
rum, qui dum erroribus ipsorum consentiunt; quasi  
ex eorum prædicatione generantur. Sed multipli-  
cati in gladio erunt : quia quamvis modo immensa  
multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi  
tamen iudicii sententia feriuntur. Unde et per  
Moysen Dominus dicit : *Gladius meus devorabit car-  
nes (Deut. xxxii, 42)*. Dei enim gladius carnes de-  
vorabit, quia in extremo iudicio ejus sententia eos  
qui carnaliter sapiunt, occidet.

(581) Gladii nomine æterna: damnationis pœna de-  
signatur, sicut per Helii de liberato homine dicitur :  
*Eruens animam ejus de corruptione : et vitam illius  
ut non transeat in gladium (Job xxxiii, 18)*. Omnis  
quippe peccator ex hac corruptione vitiorum illuc  
ad gladium compellitur transire pœnarum, ut unde  
hic inique delectatus est, inde illic juste crucietur.  
Dominus autem quem salvare disponit, prius a  
corruptione, et post modum a gladio liberat, quia  
nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii,  
cujus hic mentem subtrahit a delectatione peccati.  
Neque enim illic 446 habet quod formidare debeat  
de gladio sententiæ quem hic post emendationem  
suam pollutum non corruerit culpæ. Bene ergo dicitur  
: *Eruens animam ejus de corruptione, et vitam*  
illius ubi non transeat gladius. De corruptione nam-  
que ad gladium transire, est post peracta vitia ad  
colenda supplicia pervenire.

(582) Gladii nomine vicina percussio designatur,  
sicut per Psalmistam dicitur : *Ibi confregit cornua  
arcum, scutum, gladium, et bellum (Psal. lxxv, 4)*.

(583) Gladii nomine tribulatio temporalis desi-  
gnatur, sicut Mariæ de secuturis tribulationibus  
dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gla-  
dius (Luc. ii, 35)*.

(584) Gladii nomine ira vel persuasio maligni  
hostis exprimitur. Sicut per Psalmistam dicitur :  
*Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno*  
*(Psal. cxliii, 10)*. Benignus quippe est sanctæ præ-  
dicationis gladius, quo percutimur, ut a culpa mo-  
riamur. Malignus vero est diabolicæ persuasionis  
gladius quo male quisque percutitur ut a vita rec-  
titudinis extinguatur.

(585) Gladii nomine blanda iniquorum persuasio  
designatur, sicut per Eliphaz dicitur : *Porro salvum  
facit de gladio oris eorum, et de manu violenta pau-  
perem (Job v, 15)*. Pauper quippe est quisquis apud  
semetipsum elatus non est. Unde et per Evangelium

Veritas dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipso-  
rum est regnum caelorum (Matth. v, 3)*. Duobus au-  
tem modis ad culpam unusquisque pertrahitur.  
Aut enim delectatione ducitur, aut terrore supera-  
tur. Gladius namque oris est iniquitas persuasionis;  
manus autem violenta, est adversus potestatis. Sed  
quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur,  
quo nulla hujus mundi prospera appetit, eo auden-  
ter etiam adversa contemnunt dicitur : *Salvum fa-  
ciet*, etc. Ac si aperte diceretur : Sic in se Deus  
mentes humilium solidat, ut eas ad perpetranda  
nequitiam nec blandimenta persuasionum pertra-  
hant, nec dolores suppliciorum frangant.

## 447 CAPUT XVIII.

### DE ARCU.

B *In Scriptura sacra, arcus nomine, aliquando dies  
extremi iudicii designatur, aliquando supernum  
iudicium, aliquando pravorum insidiæ, aliquando  
Scriptura sacra, aliquando Spiritus sanctus.*

(586) Arcus nomine dies extremi iudicii designa-  
tur, sicut dicitur : *Ostendisti populo tuo dura, po-  
tasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te  
significationem ut fugiant a facie arcus (Psal. lxx, 3)*.  
In arcu enim quanto longe trahitur chorda, tanto  
de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum, extremi  
dies iudicii, quanto longior differtur ut veniat,  
tanto, cum venerit, de illo districtior sententia pro-  
cedet. Idcirco autem diversis nunc claudibus percu-  
timur, ut his correcti paratiores tunc inveniri valeam-  
us. Unde illic præmissum est : *Ostendisti populo  
tuo dura, flagella videlicet sæculi quæ securum  
gravius iudicii diem præcurrunt. Potasti nos vino  
compunctionis*. Ut terrena gaudia in lacrymas ver-  
terentur. *Dedisti ergo, ait, metuentibus te signifi-  
cationem ut fugiant a facie arcus. (Psal. lxx, 6)*. Ac  
si diceret : Hoc tempus misericordiæ est, illud tem-  
pus iudicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella  
significas, quomodo tunc percussurus es, quando  
non parcens iudicas qui sic districto modo percutis,  
quando parcis.

(587) Arcus nomine supernum iudicium designa-  
tur, sicut per beatum Job de perverso quolibet dicitur  
: *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum*  
*(Job xx, 22)*.

(588) Arcus nomine pravorum insidiæ designan-  
tur, sicut per Psalmistam dicitur : *Intenderunt ar-  
cum rem amaram (Psal. lxxiii, 4)*. Hinc iterum per  
eundem Psalmistam 448 dicitur : *Ibi confregit cor-  
nua arcum, scutum, gladium, et bellum (Psal. lxxv, 4)*.  
Et rursum : *Arcum conteret, et confringet arma, et  
scuta comburet igni (Psal. xlv, 10)*.

(589) Arcus nomine Scriptura sacra designatur,  
sicut per Psalmistam dicitur : *Arcum suum tetendit  
et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas*

(580) Ex l. xviii in Job, c. vii.

(581) Ex l. xxxiii in Job, c. xiv, 22.

(582) Ex l. xxxiii in Job, c. xxiv.

(583) Ex l. xxxiv in Job, c. viii, 4.

(584) Ubi in editione vulgata, est redemisti.

(585) Ex l. vi in Job, cap. xiii, 16.

(586) Ex l. xix in Job, c. xvi, 28.

(587) Ex l. xv in Job, c. xiv, 12.

(588) Ex l. xv in Job, c. xvi, 28.

(589) Ex l. xix in Job, c. xvi, 28.

*suas ardentibus effecit* (Psal. vii, 13). Quid enim per A arcum nisi Scriptura sacra signatur? Ipse quippe arcus est Ecclesiae ipsa arcus est Domini, de quo ad corda hominum sicut ferientes sagittae, sic terrentes sententiae veniunt. Arcum autem suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo scilicet arcu vasa mortis praeparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus efficit, quia ad eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit.

(590) Arcus nomine Spiritus sanctus designatur, sicut per Ezechielem de visione ignis dicitur: *Velut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviae* (Ezech. xix, 28). Arcum omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleter dicens: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et terram. Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus: et recordabor foederis mei vobiscum* (Genes. ix, 13). Unde et in arcu eodem color aquae et ignis simul ostenditur, quia ex parte est caeruleus, et ex parte rubicundus: ut utriusque iudicii, testis sit, unius videlicet faciendi, et alterius facti; sed jam non ulterius faciendi, quia mundus quidem iudicii igne cremabitur, sed aqua jam diluvii non deletur. Quid est autem quod splendentem ignem a lumbis hominis throno praesidentis, sicut ait: *Velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluviae, propheta conspexit? Quia enim per ignem ardor sancti Spiritus designatur, quae similitudo est arcus et spiritus ut ignis qui apparuit, quasi aspectus arcus apparuisse diceretur. Sed si ipsi quam praediximus visioni arcus, intendimus: quomodo arcus spiritum significet videmus. In arcu quippe, 449 sicut praefatus sum, aqua et ignis apparet. Et post mediatoris adventum eo virtus Spiritus sancti in humano genere claruit: quo electos Dei, et aqua baptismatis lavit, et igne divini amoris incendit. Quasi enim admisto colore aqua simul et ignis quidam arcus in nube ad probationem ponitur, cum Veritas dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joan, iii, 5). Qui arcus in nube est in die pluviae, D quia in Dominica Incarnatione et in effusione praedicationis ostenditur: ut ad veniam corda credentium Domino parcente revocentur. Nubem enim Redemptoris carnem non inconvenienter accipimus. De qua per Psalmistam dicitur: *Qui ponit nubem ascensum suum* (Psal. xcvi, 7). Nubem quippe ascensum suum Dominus posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad caelestia ascendit*

## CAPUT XIX.

## DE PHARETRA.

*In Scriptura sacra pharetrae nomine, aliquando oc-*

*cultum Dei consilium, aliquando pravorum machinatio intelligitur.*

(591) Pharetrae nomine occultum Dei consilium designatur, sicut per beatum Job dicitur sub persona Ecclesiae: *Pharetram suam aperuit et afflixit me* (Job xxv, 41). Quid enim per pharetram nisi occultum Dei justumque consilium designatur. Sicut in pharetra sagittae, sic in occulto Dei consilio latent sententiae. Quasi autem ex pharetra sagitta educitur, quando ex occulto Dei consilio aperta sententia jaculatur. Ait ergo: *Pharetram suam aperuit, et afflixit me, id est occultum suum detexit et publica me percussione vulneravit.*

(592) Pharetrae nomine pravorum machinatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Paraverunt sagittas 450 suas in pharetra; ut sagittent in obscuro rectos corde* (Psal. x, 2). Iniqui enim cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant. Et in hac praesentis vitae caligine velut in obscuro rectos corde feriunt; quia malignosa eorum jacula et sentiri per vulnus possunt, et tamen venientia deprehendi non possunt.

## CAPUT XX.

## DE SAGITTIS.

*In Scriptura sacra sagittarum nomine, aliquando sacri eloquii sententiae, aliquando praedicationis verba, aliquando animadversionis percussio, aliquando doli pravorum designantur.*

Sagittarum nomine sacri eloquii sententiae designantur, sicut per Psalmistam dicitur: *Arcum suum tetendit et paravit illum et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Relege cap. 18 supra, dist. 4.

(593) Sagittarum nomine praedicationis verba designantur, sicut venienti Redemptori dicitur: *Sagittae tuae acutae potentissime populi sub te cadent in corda* (Psal. xlv, 16). Praedicationis autem eloquia non immerito sagittis comparantur, quia in eo quod vitia feriunt male viventium, corda transfigunt. De his sagittis iterum per eundem Psalmistam dicitur: *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum* (Psal. lxxiii, 8). Quia scilicet verba humilium penetraverunt corda superbiorum.

(594) Sagittarum nomine animadversionis percussio designatur, sicut Joas regi per Eliseum dicitur: *Jace sagittam. Quo jaciente ait: Percuties Syriam donec consumas eum* (IV Reg. xiii, 17). Hinc per beatum Job dicitur: *Verba mea 451 dolore sunt plena; quia sagittae Domini in me sunt quarum indignatio ebibit spiritum meum* (Job lxxvii, 4). (595) Vir namque sanctus quia peregrinationis suae aeternam respicit, quia sub percussione Dominicae animadversionis ingemiscit, dicit: *Verba mea dolore sunt plena, etc. Ac si aperte dicat: Ego in exsilio mei damnatione non gaudeo, sed sub iudicio positus doleo, quia*

(590) Ex hom. 8, in Ezech.

(591) Ex l. xx in Job, c. xvii, 19.

(592) Ex l. xxxi in Job, c. xiv, 25.

(593) Ex l. vii in Job, c. ii.

(594) Ex l. xxxiv in Job, c. x, 5.

(595) Ex l. vii in Job, c. ii, 5.

vim percussiois agnosco: plerique autem sunt quos tormenta cruciant, sed non emendant. Quo contra apte subjungitur: Quarum indignatio elibit spiritum meum: Quid enim est spiritus hominis nisi spiritus elationis? Sagittæ autem Domini spiritum hominis ebibunt, eum supernæ animadversionis sententiæ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt. Epotatus David spiritu fuerat cum dicebat: *In deficiendo ex me spiritum meum tu cognovisti semitas meas* (Psal. LXXVI, 20). Et rursus: *Negavi consolari animam meam, memor fui Dei, et delectatus sum, exercitatus sum et defecit paulisper spiritus meus* (ibid., 3). Sagittarum ergo indignatio elibit spiritum justii, quia supernæ sententiæ electos quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant immutant, ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat.

Sagittarum nomine doli pravorum designantur. Vide supra cap. 19, dist. 1.

### CAPUT XXI.

#### DE HASTA.

*In Scriptura sacra hasta nomine, aliquando aperte sæviens pravorum persecutio, aliquando prædicationis jaculum designatur.*

Hastæ nomine aperte sæviens pravorum persecutio designatur, sicut de sancto prædicatione sub equi nomine Dominica voce dicitur: Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit **452** hasta et clypeus. Relege cap. 16, dist. 2 supra.

(596) Hastæ nomine prædicationis jaculum designatur, sicut voce Dominica de diaboli potenti nequitia sub figura Leviathan ad beatum Job dicitur: *Cum apprehendit eum gladius subsistere non poterit neque hasta, neque thorax* (Job XLII, 17). Gladius namque est antiqui hostis ille tunc damnatus homo in usum ministerii ejus assumptus, ipsum quippe per malitiam et infirmorum corda transfigit, hunc autem Leviathan iste gladius apprehendit, cum eum suus damnatus homo suscepit. Quid autem per hastam nisi prædicationis jaculum; quid per thoracem nisi fortitudo patientiæ designatur? Per hastam quippe adversarium percutimus, thorace vero ab adversario munimur; per hastam vulnera inferimus, per thoracem tegimur, ne vulneremur. Leviathan ergo iste quia per assumptum reprobum hominem iram omnimodo crudelitatis effrena, apprehendi gladio dicitur. Nam per ostensionem immensæ tunc fortitudinis exhibet quidquid nequiter potest. Sed neque hasta neque thorax subsistere poterit, quia in Antichristo veniens malignus hostis tantæ virtutis apparebit, ut si supernum adjutorium desit, et prædicantium acumen obtundat, et longanimitatem patientium destruat. Nisi enim justorum vita superna gratia solidetur, non subsistit hasta, quia prædicatorum virtus frangitur; non substitit

(596) Ex l. xxxiv in Job, c. viii, 4, 5.

(597) Ex l. xiii in Job, c. vi, 9.

A thorax, quia constantium patientia disrupta penetratur.

### CAPUT XXII.

#### DE LANCEA.

(597) Lancearum nomine tentationum jacula designantur, sicut per Job sancta Ecclesia conqueritur dicens: *Circumdedit me lanceis suis* (Job xvi, 14). Sancta namque Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore calido tentationum jaculis impetitur. Bene autem circumdari lanceis dicitur, quia **453** antiquus hostis tentationis suæ vulnere nos impetit. Sæpe enim dum gula restringitur, ut libido subigatur, inanis gloriæ aculeus mentem pulsatur. Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteratur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpe dum servare parcimoniam nitimur, ad tenaciam labimur. Et sæpe dum possessa effuse tribuimus, ad avaritiam duemur; quia rursus colligere quærimus quod tribuimus. Dum ergo antiqui jacula hostis ubique nos impetunt, recte nunc dicitur: *Circumdedit me lanceis suis.*

### CAPUT XXIII.

#### DE THORACE.

Thoracis nomine patientiæ longanimitas designatur, sicut Dominica voce de diaboli potentia quam per antichristum ostensurus est dicitur. *Cum apprehendit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta neque thorax* (Job LXI, 17). Consule cap. De hasta, dist. 2.

### CAPUT XXIV.

#### DE FERRAMENTIS.

(598) Ferramentorum nomine minora Domini flagella designantur, sicut de ædificatione templi Salomonis dicitur: *Malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur* (III Reg. vi, 7). Quid enim domus illa nisi sanctam Ecclesiam, quam in cœlestibus Dominus inhabitat, figurabat? Ad cujus ædificationem electorum animæ quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Qui cum ædificantur, in cœlis nulli ictus audiuntur: quia in æterna patria omnes jam percussiois strepitus conticescunt. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligit. Nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foras severitatis sententia projicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt, quia nec quælibet minima ultra jam flagella sentiuntur.

### 454 CAPUT XXV.

#### DE SECURI.

*In Scriptura sacra securis nomine, aliquando Redemptor noster, aliquando donum intellectus, aliquando districtæ animadversionis sententia, aliquando increpatio designatur.*

(599) Securis nomine Redemptor noster designatur, sicut per Joannem Baptistam dicitur: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim*

(598) Ex l. xxxiv in Job, c. x, 7.

(599) Ex hom. 20 in Evang. Matth. iii.

*arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (Matth. III, 10). Arbor hujus mundi est genus humanum : securis vero est Redemptor noster, qui velut ex manubrio et ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex Divinitate. Quæ videlicet securis ad radicem arboris posita est : quia etsi patientiam exspectat, videt enim quid factura est. Omnis tamen arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur, quia unusquisque perversus paratam citius gehennæ concremationem invenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit.

(600) *Securis nomine donum intellectus designatur*, sicut in Regum volumine legitur. *Quia cum prophetarum filii in Jordane ligna cæderent, unum eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit* (IV Reg. VI, 1). Ferrum quippe in manubrio, est donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientiâ non vitatur, ferrum in aqua perditur : quia ex dissoluto opere intelligentia fatetur.

*Securis nomine districtæ animadversionis sententia designatur*, sicut de ædificatione templi Salomonis **455** dicitur : *Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est : et malleus et securis et omnia ferramenta non sunt addita in domo cum ædificaretur*. Require in capitulo De ferramentis.

*Securis nomine increpatio designatur*, sicut per

**A** *Moyse Dominus præcipit dicens : Si quis abierit cum amico simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percuisset et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium fugiat : et vivat : ne forte proximus ejus cujus effusus est sanguis doloris stimulo persequatur et apprehendat eum et percutiat animam ejus* (Deut. XIX, 5). **A** silvam quippe cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda nostra delicta convertimur : et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione reseramus. Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plusquam necesse et in asperitate pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit, et amicum **B** percussus occidit, quia auditorem sua prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatione plus quam debuit addidit. Sed is qui incaute ligna percutit, et amicum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat, quia pœnitentiæ lamenta conversus, in unitate sacramenti sub fide, spe et charitate absconditur : reus perpetrati homicidii non tenetur nunquam extincti proximus, et cum invenerit, non occidit. Quæ cum districtus judex venerit, qui se nobis per naturæ nostræ consortium junxit ab eo procul debio vindictam de culpæ reatu non expetit, quam sub ejus venia fides, spes, charitas abscondit. **C** Citius ergo culpa dimittitur quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur.

## INCIPIT LIBER NONUS.

### **456** CAPUT PRIMUM.

#### DE LIGNIS.

*In Scriptura sacra cum lignum in singulari numero ponitur, aliquando incarnata Dei sapientia designatur, aliquando crux Domini, aliquando mentis insensibilitas, aliquando cor elatum, aliquando justus, aliquando injustus, aliquando anima humana. Cum pluraliter ligna dicuntur, aliquando exempla patrum, aliquando fortes patrum mentes intelliguntur.*

(601) *Nomine ligni incarnata Dei sapientia designatur*, sicut de ea scriptum est : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* (Proverb. III, 18). Et sicut ipse Dominus ait : *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ?* (Luc. XXIII, 31.) Unde et per Psalmistam dicitur : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (Psal. I, 3). Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Lignum ergo secus decur-

sus aquarum est qui, fructum et protectionem sui nobis obumbraculi proferens, apparuit Creator in carne ut **457** humanum genus per resurrectionem robustum sgeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem.

(602) *Ligno crux Domini figuratur*, sicut per legem dicitur : *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (Deut. XXI, 23). Quod de Redemptore nostro Paulus attestatus est dicens : *Factus pro nobis maledictum* (Galat. III, 31). Et rursus scriptum est : *Mittimus lignum in panem ejus* (Jer. XI, 19). Lignum quippe in panem mittere, est Dominico corpori crucem adhibere.

(603) *Ligni nomine mentis insensibilitas designatur*, sicut per Jeremiam de quibusdam de abstinentia sua nimirum præsumptibus dicitur : *Adhæsit cutis eorum ossibus* (Thren. IV, 8). Require in capitulo De ossibus, lib. V, cap. 39, dist. 5.

(600) Ex lib. XIIII, in Job cap. IV, 5.

(601) Ex l. XII in Job c. IV, 3 ; et lib. XIX, cap. XVI, 27.

(602) Ex hom. 6 in Ezech.

(603) Ex lib. XII in Job cap. IV, 3.

Ligni nomine cor elatum intelligitur. Unde cum filii prophetarum in Jordane ligna cæderent, et eorum securis ex manubrio in profundum laberetur, mox Elisæus veniens lignum deorsum misit et ferrum in superficiem attollit. Require in capitulo De securi, lib. viii, cap. 25, dist. 2.

(604) Ligni nomine justus designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit: et rami ejus pullulant* (Job xiv, 7). Hoc enim loco cum lignum præferatur homini, quid homo nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine nisi justus uniuscujusque vitæ figuratur? Lignum ergo habet spem, si præcisum fuerit: rursum virescit, quia, cum in morte passionis pro veritate justus afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur; et qui hic virebat per fidem, illic virescet per speciem. Et rami ejus pullulant, quia plerumque ex passione justus fideles quique ad amorem cœlestis patriæ multiplicantur et viriditatem vitæ spiritualis accipiunt, dum hic pro Deo fortiter egisse gratulantur.

Ligni nomine vir injustus exprimitur, sicut per Prophetam Dominus dicit: *Ergo Dominus humiliavit lignum sublime, et exaltavit lignum humile* (Ezech. xvii, 24). Quia 458 juxta ejusdem Veritatis vocem: *omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11). Salomon quoque ait: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem in quocunque loco ceciderit, ibi erit* (Eccle. xi, 3). In die etenim mortis suæ justus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem: quia et justus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata angelo qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* (Isa. xiv, 15) in frigido corde suo reprobat.

(605) Potest vero in hoc testimonio ligni nomine, indefinite anima humana intelligi. Si lignum ceciderit ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit; humani namque casus tempore sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem claustra carnis animam acceperit in æternum secum sine ulla permutatione retinebit: ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis ascendat.

(606) Lignorum nomine exempla patrum, seu sententiæ sacræ Scripturæ designantur: sicut a Domino ad Moysen dicitur: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens mane ligna per singulos dies* (Lev. iv). Altare quippe Dei est cor nostrum in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciat ne exstinguatur. Omnis enim Christi fide perditus membrum utique summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus apostolus dicit: *Vos autem genus electum,*

*A regale sacerdotium* (I Petr. ii, 9). Et sicut Joannes apostolus dicit: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (Apoc. v, 9). Sacerdos ergo in altari ignem nutricus quotidie ligna subjiciat, id est fidelis quisque ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium quam Scripturæ sacræ testimoniis congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est in excitatione charitatis, vel exempla patrum vel præcepta Dominica ministrare. Quia enim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitæ conversatione veterescit, ignis iste lignis adhibitis nutriendus est, ut, dum per usum se nostræ venustatis 459 extenuat, per Scripturæ testimonia et patrum exempla reviviscat. Et bene illic præcipitur ut mane ligna per singulos dies congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cum vox cæcitatæ exstinguit vel certe, quæ mane prima pars est diei postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc primo loco quisque fidelium cogitet, ut quod in se jamjamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium charitatis inflammet. Iguis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius exstinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum et Dominicis testimoniis reparatur.

(607) Lignorum nomine fortes patrum mentes intelligitur: *Unde et Salomon de lignis Libani ferculum fecisse dicitur* (Cant. iii, 9). Libani quippe ligna cedrina valde imputribilia sunt. Ferculum itaque pacifici regis nostri sancta Ecclesia est quæ de fortibus patribus, id est imputribilibus mentibus est constructa. Quæ recte ferculum dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad æternum convivium Conditoris sui.

(608) Lignorum nomine opera designantur, sicut per Moysen dicitur: *Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum* (Lev. xix, 23). Poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Ligna quippe pomifera sunt opera virtutibus secunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Sæpe namque novæ conversationis primordia adhuc ex carnali sunt vita commista, et idcirco innotescere citius non debent, ne, cum laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent. Poma autem quæ germinant immunda ducimus nostrisque esibus non aptamus, quia, cum primordia boni laudantur operis, dignum est ut hoc animum non pascat operantis, ne, dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, qua plantati ligni ante tempus pomum comedit.

(604) Ex lib. xii in Job c. iv, 3.

(605) Ex lib. in Job cap. xiii.

(606) Ex lib. xxv in Job cap. vii.

(607) Ex hom. 15 in Ezech. paulo ante med.

(608) Ex lib. viii in Job cap. xxiv, 35.

## 460 CAPUT II.

## DE ARBORE.

In Scriptura sacra cum arbor in singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando humanum genus intelligitur: cum vero pluraliter arbores dicuntur, aliquando sacri codices, aliquando hi qui sublimia appetunt, designantur.

(609) Arboris nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ab ipso Domino dicitur: *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit; et factum est in arborem magnam et volucres cæli requieverunt in ramis ejus* (Matth. xiii, 31; Luc. xiii, 3). Ipse quippe est granum sinapis qui in hortu sepultura plantatus arbor magna surrexit.

Arboris nomine universum genus humanum designatur, sicut per Joannem Baptistam dicitur: *Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (Matth. iii, 10). Require in capitulo De securi, lib. viii, cap. 23, dist. 1.

(610) Arborum nomine sacri codices designantur, sicut de hæreticis per beatum Job dicitur: *Et mandebant herbas et arborem cortices* (Job xxx, 4). Hæretici ergo quia elationis suæ obice repulsi, id est sacro eloquio, magna et intima percipere nequeunt, sed in illo tenera quædam et exteriora, cognoscunt herbas, et arborum cortices percipere dicuntur. Qui ergo scire appetunt ea ex quibus docti nequaquam sint, sed esse videantur, dum in sacris voluminibus vim charitatis erga **461** Deum ac proximum medullitis non exquirunt, quasi herba vel cortice pascuntur, quia vel ima sunt, vel exteriora quæ mentes superbientium nutriunt. Vel certe herbas mandere est de Scriptura sacra minima præcepta servare, majora continere. Quos bene Veritas increpare dicitur: *Væ vobis, scribæ et Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentem et animum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis* (Matth. xxiii, 23). Qui arborum quoque cortices comedunt: quæ sunt nonnulli, qui sacris voluminibus solam litteræ superficiem venerantur, nec quidquam de spirituali intellectu custodiant, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint esse suspicantur.

(611) Possunt quoque per arbores hi, qui sublimia appetunt designari, per herbas vero terrena adhuc bene inchoantium vita intelligi. Bene ergo de pravis hominibus qui invident alios hoc esse quod non sunt, et dolent alios adipisci quod ipsi nequeunt, dicitur: *quia mandebant herbas, et arborum cortices*: nam si qua forte in aliorum actibus oriri bona conspiciant, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evehunt. Nam cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo quasi consulendo contradicunt. Cum vero etiam quosdam pensant ad summa

(609) Ex lib. xix in Job cap. 1.

(610) Ex lib. xx in Job c. xi, 9.

(611) Ex lib. x, cap. sup.

A perficere quæ eorum profectus funditus dissipare nequeunt, a quibusdam illos suis operibus divertunt. Herbas itaque eis et arborum cortices mandere, est vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam jam more arborum ad superiora tendentium pestiferis persuasionibus quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Arborum quoque cortices mandunt, cum manu perversi consilii a vita recte credentium tegmen bonorum operum subtrahunt. Hos autem in quibusdam actibus velut arbores exspoliant, illos vero velut herbas (quæ despicientes trahunt) quasi quæ calcant comedunt.

## 462 CAPUT III.

## DE CEDRO.

In Scriptura sacra cedri nomine, aliquando celsitudo gloriæ cælestis, aliquando spes, aliquando Judææ regnum, aliquando is qui in amore Dei solidatus corrumpi non potest, aliquando cælestium virtutum celsitudo, aliquando superba pravorum potentia designatur.

(612) Cedri nomine celsitudo gloriæ cælestis exprimitur, sicut Propheta testatur dicens: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (Psal. xcii, 13).

Cedri nomine spes intelligitur. Unde apud Moysen dum in sacrificio vacca mactatur, offerri cum hysopo igno cedrino et cocco bis tincto præcipitur. Require in capitulo De vacca, lib. ii, c. 8, dist. 2.

Cedri nomine Judææ regnum designatur, sicut per Prophetam dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis et varietate venit ad Libanum et tulit medullam cedri et summitatem foliorum ejus evulsit* (Ezech. xvii, 3). Require in cap. De aquila, lib. ii, cap. 2, dist. 2.

(613) Cedri nomine is qui in amore Dei solidatus corrumpi non potest designatur, sicut per Isaïæ vocem Dominus derelictæ gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ spiritualium merita virtutum tanquam deserto arbusta promittens dicit: *Dabo in solitudine cedrum et spinam* (Isa. xli, 19). Cedrum, quia magni odoris est atque imputribilis naturæ, jure accipimus in promissione. De spina vero, cum peccanti homini dictum sit: *Terra **463** tua spinas et tribulos germinabit tibi* (Gen. iii, 18), quid mirum si sanctæ Ecclesiæ illud promittitur, quod peccanti homini pro pœna multiplicatur? Sed cedri nomine significantur hi qui virtutes et signa exhibent in sua operatione. Qui dicere cum Paulo valent: *Christi bonus odor sumus Deo* (II Cor. ii, 15). Quorum corda ita interno amore solidata sunt, ut ea jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam vero signati sunt doctrinæ spiritalis viri qui, dum de peccatis ac virtutibus disserunt, et modo æterna supplicia minantur modo cælestis regni gaudia promit-

(612) Ex lib. xxxii in Job c. xii.

(613) Ex hom. 20 in Evang.



unt, cor audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrant. Ad hoc autem cedrus in Ecclesia ponitur, ut quisquis a proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoque terrenæ vitæ delectatione non torpeat; sed ad honorum cœlestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, ut qui prædicationis ejus verbo compunctus fuerit: ipse quoque ex illo discat corda sequentium prædicationis verbo compungere.

(614) Cedrorum nomine cœlestium virtutum celsitudo designatur: unde cum apostatæ angeli eminentiam Prophetæ conspiceret, dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei (Ezech. xxxi, 8)*. Qui namque accipi in cedris possunt nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt nec æquata.

(615) Cedri nomine superba pravorum potentia designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Vox Domini confringentis cedros (Psal. xxviii, 2)*.

#### 464 CAPUT IV.

DE PALMA.

*In Scriptura sacra palmæ nomine, aliquando justus quilibet, aliquando sancta Ecclesia designatur.*

(616) Palmæ nomine justus quilibet designatur, sicut dicitur: *Justus ut palma florebit (Psal. xci, 13)*.

Palmæ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Et sicut palmam multiplicabo dies (Job xxix, 18)*. Palma enim tarde proficit; sed diu in viriditate consistit. Cum multis autem difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, et pro collectione plurimorum in ejusdem fidei gloria diutius stare concupiscit. Sicut palma ergo multiplicare dies credidit, quæ emergente subitæ tentationis articulo pacis suæ gratiam et tarde fidelibus adeptam, et citius ab infidelibus interceptam dolet. Nec immerito justorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta, superius vero et visu et fructu pulchra. Inferius corticem suorum involucribus angustatur, sed superius altitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita despecta in inferioribus, superius pulchra. In imo ista quasi multis corticibus involvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur; in summo autem illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Dicit ergo: *Et multiplicabo dies*. Quasi enim palma multiplicasse dies credidit: quæ mentes fidelium ad extremum usque robustiores exsurgere putabat. Cum enim multorum corda persecutionibus ceperint lassata mollescere, dolet jam in se quasi ad debilitatem tendere, quos mirabatur fortia proposuisse.

(614) Ex l. xxxii in Job c. xviii.

(615) Ex l. xxxii in Job c. xii.

(616) Ex l. xix in Job c. xvi, 26, 25.

#### 465 CAPUT V.

DE ABIETE.

*In Scriptura sacra abietis nomine, aliquando contemplator quilibet sanctus, aliquando ipsa contemplatio, aliquando cælestes virtutes intelliguntur.*

Abietis nomine contemplator designatur sicut per Isaiam dicitur: *Ponam in deserto abietem (Isa. xli, 19)*. Quid namque per abietem quæ valde crescendo ad aeris alta sustollitur nisi hi designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in terrenis corporibus positi jam cælestia contemplantur? Et quamvis nascendo de terra exierunt, contemplando tamen jam juxta ætherea verticem mentis extollunt.

(617) Abietis nomine contemplatio exprimitur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro saliuuca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus (Isa. lv, 13)*. Pro saliuuca namque ascendit abies, dum in sanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitati mis altitudo supernæ contemplationis oritur. Urtica vero igne omnino naturæ est myrtum, vero temperativæ ferunt esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus, cum justorum mentes a prurigine et ardore vitorum ad castitatis temperiem tranquillitatemque perveniant, dum jam terrena non appetunt, dum flammæ carnis desiderii cælestibus exstinguunt.

Abietum nomine cælestes virtutes designantur, sicut per Prophetam de apostatæ angelo dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illa in paradiso Dei (Ezech. xxxi, 8)*. Abietes non adæquaverunt summitatem ejus. Qui autem accipi in cedris vel abietibus possunt. Require in 466 cap. De cedro, supra dist. 5.

#### CAPUT VI.

DE AMYGDALO.

(618) Amygdali nomine primitiva Ecclesia designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Florebit amygdalum, et impinguabitur locusta, dissipabitur capparitis. Amygdalum quippe florem prius cunctis arboribus ostendit (Eccle. xii, 5)*. Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur: quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutis flores aperuit et ad inferenda poma bonorum operum, venturos sanctos quasi arbusta sequentia prævenit. In qua mox locusta impinguata est, quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ cælestis infusa. Capparitis vero dissipatur, quia cum gratiam fidei vocata gentilitas attingit, Judæa in sua sterilitate remanens bene vivendi ordinem amisit.

#### CAPUT VII.

DE SALICIBUS.

*In Scriptura sacra salicis nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando pro sterilitate reprobi intelligitur.*

(619) Infructuosæ quidem sunt arbores salices, sed tamen tantæ viriditatis ut crescere, vel abscissæ radicibus et projectæ vix possint. Nisi electorum vitam per constantiam suæ viriditatis salices exprit-

(617) Ex lib. xviii in Job cap. xii.

(618) Ex lib. xxi in Job cap. xii, 20.

(619) Ex lib. xxxiii, in Job cap. vi.

merent, nequaquam de sancte Ecclesie filiis Propheta dixisset : *Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta præterfluentes aquas* (Isa. XLIV, 4). Sancte enim Ecclesie filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum et multiplici numerositate, et perpetua **467** mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta præterfluentes aquas germinare prohibentur, quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii, quæ temporaliter percutit.

Rursum nisi per sterilitatem salicum vita peccantium signaretur, nequaquam ex voce prædicantium contra Babylonem Psalmista dixisset : *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (Psal. CXXVI, 2). Require in capitul. De torrentibus, lib. VII, cap. 7, dist. 2.

## CAPUT VIII.

## DE PLATANIS.

(620) Platanorum nomine virtutes cœlestes designantur. Unde cum apostate angeli eminentiam conspiceret Propheta dixit : *Cedri non fuerunt altiores illo, in paradiso Dei : abietes non adæquaverunt summitatem ejus : platani fuerunt æqui frondibus illius. Omne lignum paradisi non est assimilatum illi, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus* (Ezech. xxxi, 8). Qui enim accipi in cedris, vel abietibus et platanis possunt nisi illa virtutum cœlestium præcæ celsitudinis agmina in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus esse in multis condensisque frondibus dicitur, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit quot sub se positas supernarum spirituum legiones attendit. Qui et idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

## CAPUT IX.

## DE OLIVA.

(621) Olivæ nomine misericordes intelliguntur, sicut per Isaie vocem promittente Domino dicitur : *Dabo in solitudine cedrum et spinam et myrrham, et lignum olivæ* (Isa. XLI, 19). Quos enim per olivam nisi misericordes accipimus? Quia et Græce *ἔλεος* misericordia vocatur, et quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos, misericordiae fructus lucet. Ad hoc autem oliva in Ecclesia ponitur, ut qui alienæ misericordiae opera cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo et ipse misereri.

## CAPUT X.

## DE ULMO.

(622) Ulmi nomine sæcularis mens exprimitur,

(620) Ex l. xxxii in Job c. xviii.

(621) Ex hom. 20 in Evang. post med.

(622) Ex hom. sup.

sicut per Isaïam Dominus sancte Ecclesie promittit dicens : *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (Isa. XLI, 19). Quid enim per ulmum nisi sæcularium mentes expressæ sunt : quæ, dum terrenis adhuc curis inserviunt, nullum virtutum spiritualium fructum ferunt. Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet. Quia et sæculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis virtutum spiritualium dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum botris portant? Ad hoc autem ulmus in Ecclesia ponitur, ut quisquis intuetur eum qui habere virtutum spiritualium fructum non valet; sed tamen eos qui spiritalibus donis pleni sunt sustentat, quanta valet largitate inserviat, et cœlestium bonorum botros quos gignendo non valet, sustentando ferat.

## CAPUT XI.

## DE BUXO.

(625) Buxi nomine is qui ex ætatis infirmitate bona opera non valet ferre, sed tamen parentum fidelium fidem tenet, exprimitur, sicut per Isaïam Dominus dicit : *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (Isa. XLI, 19). Buxus quos alios designat, quæ in altum non proficit, et quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet, nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam, etsi adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valeant; sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes fidem perpetuæ viriditatis tenentur? Ad hoc enim in Ecclesia buxus ponitur, ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos veræ fidei viriditatem considerat, etiam, esse ipse infidelis erubescat.

## CAPUT XII.

## DE SYCOMORO.

(624) Sycomori nomine mundi stultitia designatur : unde Evangelicæ historice verba testantur, quia *Zachæus cum videre Dominum præ turba non posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem eum cerneret* (Luc. xix, 4). Sycomorus quippe *ἄκωστος* fatua dicitur. Et quid per sycomorum nisi mundi stultitiam accipimus? Pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, et Deum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillanimitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendant, curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus si provide quæ divinitus præcipitur stultitiam tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non querere, possessa rapientibus laxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sy-

(623) Ex hom. proxima.

(624) Ex l. xxvii in Job c. ult.

comorum nos ascendere Dominus præcipit, cum dicit : *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas* (Luc. vi, 30). Et rursum : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (Matth. v, 39). Per aycomorum itaque Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientem, stultitiam et si necdum, ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur. Quam juxta Eliu verba videre nequeunt, qui sibi sapientes videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum **470** turbadeprehensi, adhuc aycomori arborem non invenerunt. Contemplari enim Dei sapientiam non possunt qui sapientes sibi esse videntur, quia tanto ab ejus luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt (625). Quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine veritatis privant. Si igitur veraciter sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (I Cor. i, 27). Hinc rursus dicitur : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens* (I Cor. iii, 18).

## CAPUT XIII.

## DE SPINA.

In Scriptura sacra cum spina in singulari numero ponitur, aliquando peccatum intelligitur, aliquando doctrinæ spiritalis vis. Quando vero pluraliter dicuntur spinæ, aliquando vitiorum punctiones, aliquando tentationum aculei, aliquando divitiæ intelliguntur.

(626) Spinæ nomine peccatum intelligitur, sicut Psalmista voce pœnitentis dicit : *Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur mihi spina* (Psal. xxxi, 4). Spina quippe est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem quasi pungendo lacerat mentem. Ait ergo : *Conversus sum in ærumna mea dum confringitur mihi spina*, quia sollicit mens ad **471** lamentum vertitur, ut peccati punctio pœnitendo frangatur. In translatione alia non confringi, sed cœnfigi spina dicitur. Quod videlicet ab eodem sensu non discrepat : quia pœnitentis animus ad luctum ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur.

(627) Spinæ nomine punctio ultionis designatur, Unde beatus Job enumeratis bonis suis si hoc non fecerit maledicto se astringens dicit : *Pro frumento orlatur mihi tribulus, et pro hordeo spina* (Job xxxi, 40). Ac si aperte dicat : Si injustum quid erga subditos gessi, si exegi debita, et ipse quod debui non impendi : si exercitationem boni operis altis invidi : pro bonis quæ in æternum reficiunt tribuantur mihi in judicio mala quæ pungunt. Pro frumento quippe

tribulus et pro hordeo spina oritur, cum in retributione ultima de qua renumeratio laboris quaeritur, punctio doloris invenitur. Et notandum quod sicut a frumento hordeum distat, quamvis utrumque reficiat ; sic a tribulo spina, quamvis sit utrumque quod pungat, quia tribulus mollior, spina vero ad pungendum semper est durior : Ait ergo pro frumento orlatur mihi tribulus et pro hordeo spina. Ac si patenter dicat : Egisse quidem magna me bona, et minima nescio. Sed si non ita est, pro bonis magnis, mala minima, et pro bonis minimis mihi respondeant mala majora.

Spinæ nomine doctrinæ spiritalis vir exprimitur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur : *Dabo in solitudine cedrum et spinam* (Isa. xli, 19). Require in cap. De cedro supra, dist. 4.

(628) Spinarum nomine vitiorum punctiones designantur, sicut Dominus de confusa mente sub Babylonis specie loquitur dicens : *Oriuntur in domibus ejus spinæ et urticae, et paliurus in munitionibus ejus* (Isa. xxxiii, 13). Quid namque per urticas nisi cogitationum pruriges : quid vero per spinas nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis urticae et spinæ pullulant : quia in confusione mentis reprobæ, et desideria cogitationum surgunt, quæ exasperent : et operum **472** peccata, quæ pungant. Sed hæc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos : unde illic aperte protinus subditur, et paliurus in munitionibus ejus. Paliurus quippe tanta spinarum circumdatione dense-scit, ut præ asperitate tangi vix possit. Intus igitur spina et urtica nascitur : sed utrumque hoc exterius per paliurum munitur, quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt : sed ea nequissimi majores tuentur.

Spinarum nomine tentationum aculei exprimuntur, sicut per Isaiam Dominus testatur dicens : *Super humum populi mei spinæ et vepres ascendant : quanto magis super omnes domos gaudio civitatis exultantis?* (Isa. xxxiii, 13.) Vide lib. vi, cap. ii, supr.

(629) Spinarum nomine divitiæ intelliguntur, sicut in Evangelio Veritatis voce de semine dicitur : *Et aliud cecidit inter spinas et simul exorta spinæ suffocaverunt illud* (Luc. viii, 7). Quod exponens ait : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus euntes suffocantur et non referunt fructum* (ibid., xiv). Divitiæ etenim spinæ sunt quæ cogitationum suarum punctione mentem lacerant et cum usque ad peccatum pertrahunt quasi inflicto vulnere cruentant. Et notandum quod exponens Dominus dicit, quia sollicitudines, voluptates et divitiæ suffocant. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant ; et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum status

(625) Sequentia hæc in textu Grego. præcedunt antecedent.

(626) Ex l. xx in Job c. xii, et ad hunc versum explanat. in psal. pœnit. confringitur.

(627) Ex lib. xxii in Job cap. xvii.

(628) Ex l. xxxiii in Job c. iv, 5.

(629) Ex hom. 15 in Evang.

vitalis necant. Notandum etiam quod duo sunt quæ divitiis jungit, sollicitudines videlicet et voluptates, quæ profecto et per curam mentem opprimunt, et per affluentiam resolvunt. Recte etenim contraria possessores suos et afflictos et lubricos faciunt. Sed quia voluptas convenire non potest cum afflictione, alio quidem tempore per custodiæ suæ sollicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt.

#### 473 CAPUT XIV.

##### DE FIGU.

(630) Fici nomine mens humana designatur : unde sub cujusdam gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per Prophetam Veritas dicit : *Posui vineam meam in deserto, ficum meam decorticavit, nudans exspoliavit eam et projecit, albi facti sunt rami ejus (Joel. 1, 7)*. Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in deserto ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliavit, quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit quasi exspoliata ficus, cum quo se texerat, corticem amisit. Ubi apte subditur : *Albi facti sunt rami ejus, quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt : de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur*. Sed quoniam subducto cortice rami fici hujus arcfunt, solerter iatueadum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt inde sicantur. Mens itaque quæ per jactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur, quia et candida est per hoc quod cernitur, et sic siccitati proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur.

Fici nomine humana natura designatur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua et venit querens fructum et non invenit, etc. (Luc. xiii, 6)*. Quid enim arbor fici nisi humanam naturam signat? Quæ bene quidem plantata est sicut ficus, sed in culpam propria sponte lapsa fructum non servat operationis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non persistit, quod plantata fuerat, servare contempit.

#### 474 CAPUT XV.

##### DE VINEA.

In Scriptura sacra vineæ nomine, aliquando sacræ Scripturæ latitudo, aliquando anima bonis operibus secunda, aliquando vita cujuslibet negligentis, aliquando universa simul Ecclesia designatur.

(631) Vineæ nomine Scripturæ sacræ latitudo desi-

(630) Ex l. viii in Job cap. xxx, 37.

(631) Ex l. xvi in Job c. xxii, post initium xxiii.

(632) Ex l. xx in Job c. xx, 22.

gnatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Agnum non suum demetunt et vineam ejus, quæ vi oppresserint, vindemiant (Job xxxiv, 6)*. Potest enim agri nomine Scripturæ latitudo signari. Quam hæretici non suam demetunt, quia ex ea sententias longe a suis sensibus diversas tollunt. Quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sententias botros virtutum profert. Cujus vineæ Dominum, id est sacræ Scripturæ conditorem vi opprimunt, quia ejus sensum in verbis sacri eloquii inflectere violenter conantur, qui dicit : *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbisti mihi laborem in iniquitatibus tuis (Isa. xliii, 24)*. Et eandem vineam vindemiant, quia ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ intentione coacervant.

Vineæ nomine anima bonis operibus secunda designatur, sicut sub cujusdam gentis specie malignorum spirituum malitiam signans per Prophetam Dominus dicit : *Posuit vineam meam in deserto (Joel. 1, 7)*. Insidiantibus quippe malignis, spiritibus Dei vinea in deserto ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Vide cap. 14, dist. 1.

(632) Vineæ nomine vita cujuslibet negligentis designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urtica, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat (Prov. xxiv, 30)*. Require in cap. De maceria, lib. xiii, cap. 3, dist. 1.

(633) Vineæ nomine universa simul Ecclesia designatur, sicut in Evangelio Veritatis v ce dicitur : *Simile est regnum cælorum homini patri familias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (Matth. xx, 1)*. Require in cap. De mane, lib. xii, cap. 6, dist. 5.

#### CAPUT XVI.

##### DE RADICE.

In Scriptura sacra radice nomine, aliquando incarnatio Dominica, aliquando sancta prædicatio, aliquando natura humanitatis, aliquando occulta cogitatio intelligitur.

(634) Radicis nomine incarnatio Dominica designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Radix mea aperta secus aquas (Job xxix, 10)*. Quid enim radix Ecclesiæ nisi ipsa debet incarnatio Redemptoris intelligi? Quæ juxta aquas aperta est, dum Dominus invisibilis per assumptionem humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ, Creator quippe, qui in divinitate videri non poterat, assumpsit a nobis unde videretur a nobis. Radix ergo secus aquas aperitur, quia Auctor humani generis per humanitatem suam hominibus demonstratur. Unde recte quoque dicitur : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (Psal. 1, 3)*. Unde cap. 1 hujus lib., dist. 1.

(633) Ex hom. 19 in Evang.

(634) Ex l. xix in Job c. xvi, in medio xxvii.

Radicis nomine sancta prædicatio designatur, A sicut per beatum Job de justo sub appellatione ligni dicitur : *Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere 476 mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est (Job xiv, 9) (655)*. Quid enim radix justi nisi sancta prædicatio, quia ab ipsa oritur et in ipsa subsistit, et quid terræ vel pulveris nomine nisi peccator accipitur? cui Conditoris voce dicitur: *Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 19)*, vel certe, sicut habet nostra translatio, pulvis es, et in pulverem reverteris. Justus igitur radix in terra senescit, quia apud corda pravorum radix prædicatio despecta, cunctisque viribus effecta creditur. Et in pulvere truncus emoritur, quia inter manus persequentium corpus illius examinatur. Juxta enim Sapientiæ vo- B cem. *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus eorum (Sap. iii, 2)*. Sed iste cujus radix in terra senuit, et in pulvere truncus mortuus est, ad odorem aquæ germinat, quia per afflatum sancti Spiritus in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Aquæ etenim appellatione nonnunquam sancti Spiritus irrigatio designari solet, sicut scriptum est : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui autem hiberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (Joan. vii, 17)*. Sequitur : *Et faciet comam, quasi cum primum plantata est (Job xiv, 9)*. Succiso trunco comam facere, et extincto corporaliter justo, ipso passionis suæ exemplo multorum corda suscitare, et ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur : Quasi C cum primum plantata est. Omne quippe quod hic a justis agitur : secunda plantatio est, quia prima videlicet plantatio non in opere justorum, sed in præsentia Conditoris est. Et quia cuncta quæ agunt electi, sicut prius interius conspiciuntur atque disponuntur, ita postmodum exteriori perficiuntur, bene dicitur : *Faciet comam quasi cum primum plantatum est, id est viriditatem suam ostendit in effectu operis, quam prius habuerit in præsentia Conditoris*.

(636) Radicis etiam nomine potest ipsa natura humanitatis accipi : unde et hæc quæ præmisimus valent intelligi. Quæ videlicet radix senescit in terra, cum naturam carnis deficit in pulverem redacta. Cuius in pulvere truncus emoritur; quia extinctum corpus a sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquæ germinat, quia per adventum sancti Spiritus resurgit; et facit eo 477 et comam, etc. Est quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare nolisset.

(637) Radicis nomine occulta cogitatio designatur, sicut per Eliphaz de divite iniquo dicitur : *Non habitabitur nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam (Job xv, 29)*. Quid hic, non habitabitur, dictum est : quibusdam codicibus reperi non ditabitur. Sed sensus non discrepat, a se

sermo discordat. Ille enim virtutibus ditatur, cuius mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab auctoris sui gratia non inhabitatur, profecto virtutibus non ditatur, propter hoc quod interius est vacuus dicitur non inhabitabitur : propter hoc vero quod transitorium foris tumet, recte subjungitur : *Nec perseverabit substantia ejus*. Ac si aperte dicatur : Hoc quod habere videtur exterius, transit et illud quod transire non poterat interius non habet. Unde et apte subjungitur : *Nec mittet in terram radicem suam*. Quod si de hac terra dictum accipimus, liquet procul dubio quia arbor quæ in terra radicem non habet vel tenuissimis commota flatibus cadit. Et superbus quisque dum contra omnipotentem Dominum roboratur; dum currit adversus cum erecto collo, et impingue cer- vice contra auctorem erigitur, stare quasi arbor videtur; sed status ejus sine radice est, quia velut ad levem flatum, siç ad motum occultæ sententiæ vita ejus eruitur. Si vero hoc loco terram æternæ vitæ retributionem accipimus, de qua Propheta ait : *Partio mea in terra viventium (Psal. cxli, 7)*. Iniquus iste in terra radicem suam non mittet, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium carnis sui cogitationem plantat. Quod enim radix est arbori, hoc unicuique hominum cogitatio sua est, quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod interius non videtur. Unde et per prophetam dicitur : *Mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum (Isa. xxxvii, 31)*. Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus ut retributionis fructum superius faciamus.

#### 478 CAPUT XVII.

DE BACULO.

*In Scriptura sacra baculi nomine, aliquando disciplina legis, aliquando consolatio sustentatio, aliquando cura pastoralis intelligitur.*

(638) Baculi nomine disciplina legis intelligitur, sicut de Eliseo scriptum est : *Quod cum baculo puerum mittens extincto filio Sunamitis, illius vitam minime reddit : per semetipsum vero veniens, seque super mortuum sternens atque ejus membra se colligens, et in ore mortui septias aspirans, hunc ad reditivam lucem protinus per mysterium compassionis animavit (IV Reg. iv, 30 et seq.)*. Auctor quippe humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi puerum baculum misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante : *Nihil ad perfectum duxit lex (Hebr. vii, 5)*. Ipse namque per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens ad exequanda sibi mortua membra se collegit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in i-*

(635) Ex l. xii in Job c. iv, post initium 3.

(636) Ex iisdem lib. et cap.

(637) Ex l. xii in Job c. xxii, in medio 23.

(638) Ex l. ix in Job c. xxxi, 32.

*militudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* (Philipp. II, 6). Iluc illucque deambulat, quia et Judæam juxta et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies inspirat, quia et per apertionem divini muneris, gratiæ septiformis spiritum in peccati morte jacentibus tribuit. Moxque vivens erigitur, quia is quem terroris baculus suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.

(639) Baculi nomine consolationis sustentatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Virga tua, et 479 baculus tuus ipsa me consolata sunt* (Psal. xxii, 4); virga enim percutimur, et baculo sustentamur. Si ergo est in rectoribus districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens : sit rigor, sed non exasperans. Sit zelus, sed non immoderate sæviens : sit pietas, sed non plusquam expedit parcens.

(640) Baculi nomine cura pastoralis designatur, sicut de comestione agni per Moysen dicitur : *Tenentes baculos in manibus* (Exod. xii, 4). Quid lex per baculum nisi pastorem custodiam designat? Et notandum quod prius præcipitur renes accingere, postmodum baculos tenere : quia illi debent curam pastorem suscipere qui jam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare ; ut cum alijs fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus enerviter non succumbant.

#### CAPUT XVIII.

##### DE VIRGA.

*In Scriptura sacra virgæ nomine, aliquando rectitudo, aliquando percussio, aliquando disciplinæ rigor intelligitur.*

(641) Virgæ nomine rectitudo signatur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas confringes eos* (Psal. II, 9). Sciendum est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Et contritione autem adversarii a virtute delcimus, per contritionem vero Domini fracti, a vitis in virtute roboramur, hanc ergo contritionem Psalmista conspexerat cum dicebat : *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos*. In virga namque Dominus nos conterit, quia dispensationis suæ forti ferrea rectitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam 480 quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Unde et hæc eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut et per Paulum dicitur : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (II Cor. IV). Qui simul contritionem et rigorem exprimens, ait : *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen qui intus est renovatur de die in diem* (ibid., 16).

(642) Virgæ nomine percussio designatur, sicut Redemptori nostro de antiqui hostis dominio gentilitatem liberanti per prophetam Isaiam dicitur : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian* (Isa. IX,

A 14). Eripiens quippe gentilitatem Dominus superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percussione illius quæ ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli qui pro pestifera perpetracione vitiorum exigere consueverat, debita tributa pœnarum de fidelium corde destruxit (643). Quis enim intelligi exactor alius nisi diabolus potest, qui semel in paradiso homini male persuadendo culpam intulit, et quotidie ab eo hujus debiti exigit pœnam? querit.

(644) Virgæ nomine disciplinæ rigor designatur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (Psal. xxii, 4). Miscenda enim est levitas cum severitate, faciendum quoddam ex utraque temperamentum ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, ut neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat in qua cum tabulis virga simul et manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga districtio, sic et manna dulcedinis.

#### 481 CAPUT XIX.

##### DE RAMIS.

*In Scriptura sacra ramorum nomine, aliquando sancti prædicatores, aliquando opera, aliquando verba sententiæ Patrum designantur.*

Ramorum nomine sancti prædicatores intelliguntur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cæli requierunt in ramis ejus* (Luc. xiii, 19). Require in cap. De volucribus, lib. II.

Ramorum nomine opera designantur, sicut sub cujusdam gentis specie malignorum spirituum malitiam signans per prophetam Dominus dicit : *Posuit vineam meam in deserto, ficum meam decorticavit et projecit, albi facti sunt rami ejus* (Joel. I, 7). Require in cap. De ficu, supra, dist. I.

(645) Ramorum nomine verba vel sententiæ Patrum designantur, sicut in Evangelio Domino asino eunte in Jerusalem dicitur : *Plurima autem turba vestimenta sua sternerant in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternerant in via* (Matth. xxi, 8). Salvator etenim noster asello sedens, Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum ad pacis intimæ visionem ducit. Jumentum etiam sedet cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam donant, ut ei iter ad mentem parent, et exempla bona sequentibus præbeant. Alii autem ramos vel

(639) Ex l. xx in Job c. viii, 6.

(640) Ex hom. 22 in Evang. ad finem.

(641) Ex l. vii in Job c. vii.

(642) Ex l. xxx in Job c. xvi, 31.

(643) Ex c. xv lib. sup. fine.

(644) Ex lib. xx in Job c. viii, 6.

(645) Ex hom. 17 in Ezech.

frondea de arboribus cædunt et sternunt **482** in A via, quia in doctrina Veritatis verba atque sententias Patrum ex eorum eloquio carpunt, et hæc in via Dei humili prædicatione submitunt. Quod indigni nos quoque et modo facimus. Nam cum Patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, et has in via omnipotentis Dei sternimus.

## CAPUT XX.

## DE FRONDIbus.

Frondis nomine cælestium spirituum legiones intelliguntur, sicut de antiqui hostis primatu per prophetam dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei: abietes non adæquaverunt summitatem ejus, platani non fuerunt æqui frondibus illius* (Ezech. xxxi, 8). Vide cap. 8, supra.

Fronidium nomine Judææ reges designantur per Ezechielem prophetam (Ezech. xvii). Lege cap. 2, dist. 2, lib. II.

## CAPUT XXI.

## DE CORTICE.

In Scriptura sacra corticis nomine, aliquando historiarum sensus, aliquando exteriora Patrum eloquia, aliquando tegmen humilitatis designatur.

Corticis nomine historiarum sensus intelligitur, sicut per Moysen de Jacob dicitur: *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et parte decorticavit eas: ex detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit, etc.* (Gen. xxx, 37). Require in capitulo De arietibus lib. III, cap. 13, dist. 2.

**483** Corticum nomine exteriora Patrum eloquia vel litterarum superficies vel exteriora bene inchoantium opera designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur: *Et mandebant herbas, et arborum cortices* (Job xxx, 4). Require in capitulo 2, De herbis, supra, dist. 3.

Corticis nomine tegmen humilitatis designatur. Vide cap. 14, supra, dist. 1.

## CAPUT XXII.

## DE FOLIO.

Folii nomine mentis levitas intelligitur per beatum Job. Consule lib. IV, cap. ult.

## CAPUT XXIII.

## DE FLORIBUS.

In Scriptura sacra floris nomine, aliquando mediator Dei et hominum homo Christus Jesus exprimitur, aliquando præsentis vitæ gloria favor humanæ laudis, aliquando animæ bonum inchoantes.

(646) Floris nomine mediator Dei et hominum Christus Jesus exprimitur, sicut per prophetam Isaiam dicitur: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isa. xi, 1).

(647) Floris nomine præsentis vitæ gloria designatur, sicut per Isaiam prophetam dicitur: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni* (Isa. xl, 6).

Floris nomine favor humanæ laudis designatur

(646) Ex l. xxix in Job c. xvi, 50.

(647) Ex l. xix in Job c. v.

sicut per Baldat de hypocrita sub appellatione scirpi vel carecti dicitur: *Nunquid virere potest scirpus absque **484** humore aut crescere carectum sine aqua?* (Job viii, 1.) Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas crescit. Require in cap. De scirpo, infra lib. xiv, cap. 13.

(648) Florum nomine animæ bonum inchoantes designantur, sicut in Canticis canticorum voce sponsæ sponsum valde amantis et desiderantis dicitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo* (Cant. II, 5). Mens quippe illa, quæ per amorem sponso invisibili jungitur et ejus desiderio ardet, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscit, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputat, exire festinet, et amoris amplexu in cælestis Sponsi visione requiescere. Mens enim talis nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vitis eis sit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris, sicut dicit vulnerata charitate ego sum. Mala namque est cordi quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhclare in cælesti desiderio et sentire vulnus amoris cœperit sit anima salubrio ex vulnere quæ prius ægrotabat salute. Menti tamen sponsum suum ita fortiter amante de amore vitæ præsentis una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur aliorum animæ eis verbo proficiant, et ad cælestem sponsum amoris facibus inardescant. Mœret quidem, quia differri se conspicit, triste est ei omne quod aspicit, quia illum adhuc non videt quem videre concupiscit. Sed est, ut dixi, non prava consolatio si fervens anima differtur, et per eam multa colliguntur ut tarde cum multis videat quæ sola videre citius volebat. Unde bene dicit: *Fulcite me floribus, etc.* Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum opus inchoantes et desiderium cæleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi bonorum mentes quæ ad fructum pervenerunt, boni operis de initio sanctæ propositionis? Qui ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis, quia, si illum quem desiderat, videre adhuc non permittitur, magna ei est consolatio si aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancta amore languida, floribus malisque fulciatur, ut requiescat in bono opere proximi, adhuc contemplari non valet vultum Dei.

**485** CAPUT XXIV.

## DE POMIS.

In Scriptura sacra pomorum nomine, aliquando primordia nostrorum operum, aliquando odoriferus Dei adventus designatur.

Pomorum nomine primordia nostrorum operum designantur, sicut per Moysen dicitur: *Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera; auferetis præputia eorum* (Levit. xix, 23). Poma quæ germinat,

(648) Ex hom. 15 in Ezech.

incumunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Require A  
in capitulo De lignis, supra, cap. 1, dist. 10.

(649) Pomorum nomine odoriferus Dei adventus, sicut per beatum Job ex persona antiquorum patrum adventum Redemptoris desiderantium, vel terræ ex persona totius humani generis dicitur: *Dies mei velociores fuerunt cursore: sugerunt et non viderunt bonum, pertransierunt quasi naves poma portantes (Job ix).*

## CAPUT XXV.

## DE MALIS.

(650) Malorum puniceorum nomine fidei unitas designatur, sicut in Exodo legitur: *Ubi in sacerdotis veste iusta divinam vocem tintinnabulis mala punicea conjunguntur (Exod. xxviii, 35).* Vestimenta etenim sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait: *Sacerdotes tui induantur justitiam (Psal. cxxxii, 9).* Vestimentis autem illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum longe sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clement. Quid vero per mala punicea, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo puniceo uno ex-

terius cortice multa interiorum **486** grana muniantur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Cum igitur rector ad loquendum se præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur attendat, ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnera corda audientium feriantur, et, cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat: hinc namque Veritas admonens dicit: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (Marc. ix, 49).* Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui ergo loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Unde Paulus ait: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (Rom. xii, 3).* Ne rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus per semetipsum Veritas discipulis clamat: *Habete sal in vobis et pacem habete inter vos:* ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: *Mala punicea tintinnabulis jungite (Exod. xxviii, 35),* ut per omne quod dicitis unitatem fidei cauta observatione teneatis.

## INCIPIT LIBER DECIMUS.

**487** CAPUT PRIMUM

## DE PETRA.

In Scriptura sacra cum petra singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando soliditas fidei, aliquando duritia torporis intelligitur. Cum vero pluraliter petra dicuntur, aliquando sublimes cæli potestates, aliquando dura corda gentilium designantur.

Petræ nomine Christus designatur, sicut Apostolus testatur dicens: *Petra autem erat Christus (I Cor. x, 4).* Vide lib. vii, cap. 6, dist. 2.

(651) Petræ nomine soliditas fidei intelligitur. Unde a Moysen Dominus dicit: *Est locus apud me, et stabis supra petram (Exod. xxxiii, 21).* Et paulo post: *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea (ibid., 23).* Etenim ex sola catholica Ecclesia Veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibetur de quo videatur. Et in petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur, **488** quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. De qua soliditate iterum in Evangelio dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (Matth. xvi, 18).*

Petræ nomine duritia torporis accipitur. Unde ad Isaiam Dominus dicit: *Ingrederi in petram, abscondere fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus (Isa. ii, 10).* Require in cap. De fossa, lib. vi, cap. 20, dist. 1.

(652) Petrarum nomine sublimes cæli potestates

C designantur, sicut sancto viro sub nomine aquillæ ad beatum Job Dominus dicit: *In petris manet (Job. xxxix, 1).* Quid enim per petras virtutum celestium potestates intelligimus? illas nimirum quas non jam quasi more arborum huc atque illuc ventus nostræ mutabilitatis inclinat, quia velut petrae in arduis sitæ ab omni motu mutabilitatis alienæ, et ad soliditatem fixæ celsitudinis ipsa quoque cui inhærent duruerunt æternitate. Vir itaque cum terrena despicit, more se aquillæ ad altiora suspendit, et per contemplationis spiritum sublevatus perennem gloriam angelorum præstolatur atque huic mundo hospes, illa appetendo quæ aspicit, jam in sublimibus figuratur. Recte ergo dicitur: *In petris manet,* id est intentione cordis inter illas cælestes virtutes residet quæ et per æternitatis suæ fortitudinem tenta jam soliditate fixæ sunt, ut in nullo culpæ latere mutabilitatis varietate flectantur.

Petrarum nomine dura corda gentilium designantur, sicut per beatum Job de Domino dicitur: *In petris rivos excidit (Job xxviii, 10).* Require cap. De rivis, lib. vi, cap. 6, dist. 4.

**489** CAPUT II.

## DE LAPIDE.

In Scriptura sacra cum lapis singulariter ponitur, aliquando cordis duritia, aliquando dura cogitatio, aliquando Ecclesia, aliquando dura consuetudo peccati intelligitur. Cum vero pluraliter lapides dicuntur, aliquando virtutes angelicæ, aliquando

(649) Ex l. xvi in Job c. xxvi, 22.

(650) Ex l. i Regist. Epist. c. xxiv.

(651) Ex l. xxxv in Job c. vii, 6.

(652) Ex l. xxxi in Job c. xix, post med. 35.



*mentes fortium, aliquando dura corda gentilium, A* 14). Cherub quippe plenitudo scientiæ dicitur : et idcirco diabolus Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur : quem bene extantum ac protegentem dicit : Omne enim quod extanti protegimus, 491 obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem creditur, ipse opertus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majori transcendit. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarius gloria conditionis exstitit.

(653) Lapidis nomine cordis duritia designatur sicut per beatum Job dicitur : *Et lapis colore solutus in æs vertitur (Job xxviii, 2)*. Require in capitulo De ære, lib. viii, distinct. 2.

Lapidis nomine dura cogitatio designatur in Evangelio, de Veritatis voce dicente : *Non relinquent in te lapidem, qui non destruat, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ (Luc. xix, 44)*. Civitatis quippe nomine anima intelligitur. Duræ autem cogitationes intelligi lapidum significatione valent. Perversa etenim mens cum perversæ cogitationi alihuc perversorem adjicit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa civitate lapis super lapidem non relinquitur, quia, cum ad ultionem suam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. Qui cur hoc patiatur, adjungitur : *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*. Pravam namque animam omnipotens Deus multis modis visitare consuevit. 490 Nam assidue hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo, ut ea vera, quæ nesciebat audivit, et tamen adhuc superbiens atque contemnens aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minime cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligatur.

Lapidis nomine Ecclesia designatur, sicut in lege scriptum est : *Manus autem Moysi erant graves (Exod. xvii, 12)*. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedit. Require in capitulo De manibus, lib. v, cap. 26, distinct. 6.

Lapidis nomine dura consuetudo peccati designatur, unde propheta antiqui hostis principatus celsitudinem, quam in conditione sua acceperat, et per superbiam suam perdidit, insinuans dicit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, onix et berillus, saphirus, carbunculus et smaragdus (Ezech. xxviii, 13)*. Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Quibus diabolus opertus fuisse scribitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit : quorum dum claritatem transcenderet ex eorum comparatione clarior fuit. Unde adhuc ideam propheta adjungit : *Tu cherub extensus et protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti (Ezech. xxviii,*

*14)*. Cherub quippe plenitudo scientiæ dicitur : et idcirco diabolus Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur : quem bene extantum ac protegentem dicit : Omne enim quod extanti protegimus, 491 obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem creditur, ipse opertus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majori transcendit. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarius gloria conditionis exstitit.

(655) Lapidum nomine mentes fortium designantur sicut per Petrum sanctis dicitur : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales (I Petr. ii, 5)*. Et per prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris. Et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos : et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, et universos filios tuos doctos a Domino (Isa. liv, 11)*. Stavit namque in Ecclesia Dominus per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent, quia robor Ecclesiæ in animabus cælestia appetentibus solidavit. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula tuas posuit, quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui internis desideriis virentes nulla corporis reprobis ariditate marcescunt. Portas vero eis posuit in lapides sculptos. Hæ quippe portæ sunt Ecclesiæ per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo creditum. Qui pro eo etiam quod magnis operibus polent, et id quod loquentes asserunt viventes ostendunt, non puri sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur, quod egerunt. Ubi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens subdit : *Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles*. Et tanquam si audientes ista peteremus ut hos lapides quos diceret, indicaret, adjuuxit : *Universos filios tuos doctos a Domino*.

(654) Lapidum nomine virtutes angelicæ designantur, unde propheta antiqui hostis principatus celsitudinem, quam in conditione sua acceperat, et per superbiam suam perdidit, insinuans dicit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, onix et berillus, saphirus, carbunculus et smaragdus (Ezech. xxviii, 13)*. Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Quibus diabolus opertus fuisse scribitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit : quorum dum claritatem transcenderet ex eorum comparatione clarior fuit. Unde adhuc ideam propheta adjungit : *Tu cherub extensus et protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti (Ezech. xxviii,*

492 (656) Lapidum nomine dura corda gentilium designantur, sicut per Joannem dicitur : *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abraham (Matth. iii, 9)*. Qui videlicet nomine lapidum corda gentilium designat, dura tunc atque insensibilia per infidelitatem. Et per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum (Ezech. xi, 19)*.

(657) Lapidum nomine verba sacræ Scripturæ intelliguntur, sicut per Ezechielem dicitur. Quatuor

(653) Ex hom. 3 in Evang.

(654) Ex l. xxxii in Job c. xviii, 25.

(655) Ex l. xviii in Job c. xix, post med. xx.

(656) Ex lib. et c. sup.

(657) Ex hom. 19 in Ezech.

autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris sunt extractæ. Quid enim per mensas, nisi corda sanctorum doctorum accipimus, ex quorum doctrina auditorum mentes reficiuntur? Holocaustum vero totum incensum dicitur, et holocaustum offerimus quando omnibus quæ hujus mundi sunt renuntiamus, holocaustum offerimus, quando ad Dominum et opere et cogitatione convertimur. Lapidem autem quadri verba sunt Scripturæ sacræ. Lapidem quippe quadri ubique stant, in quocunque latere fuerint versi. Sic sunt et verba Scripturæ sacræ ubique stant, quia ex nullo latere reprehensibilia inveniuntur. Nam in omne quod præteritum narrant, in omne quod venturum annuntiant, in omne quod moraliter prædicant, in omne quod spiritualiter sonant, quasi in diverso latere statam habent, quia reprehensionem non habent. Corda itaque sanctorum mensæ Dei ad holocaustum sunt, quia sive in bono opere, seu in sancta cogitatione medullitus accenduntur. Corda sanctorum mensæ Dei ad holocaustum ex quadris lapidibus constructæ sunt, quia dum semper Dei verba cogitant, semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant. Unde scriptum est : *Lex Dei ejus in corde ipsius (Psal. xxxvi, 31), et non supplantabuntur gressus ejus. Et unde rursus dicitur : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (Psal. cxviii, 11).*

#### 493 CAPUT III.

DE SAPHIRO.

In Scriptura sacra sapphiri nomine, aliquando angelica natura, aliquando sancti quilibet designantur.

(658) Sapphiri nomine angelicam naturam designat, sicut per Job de pretio sapientiæ dicitur : *Lapidi sardonychum pretiosissimo vel sapphiro (Job xxviii, 16).* Sardonychum vel sapphirum lapides esse pretiosos quis nesciat? Et dum alii pretiosi sint lapides qui longe istos æstimatione magnitudinis antecellant, cur sardonychus vel sapphirus pretiosissimum pretiosus nominatus est, cum uterque lapis sic aliorum lapidum comparatione vilissimus sit? nisi ut eos lapides qui pretiosi describuntur, dum pretiosos non esse cognoscimus, in eorum intelligentia aliud exquiramus. Sardonychus quippe terræ rubræ similitudinem tenet. Sapphirus vero aeriam habet speciem. Possunt ergo in sardonycho per terram homines, in sapphiro autem per aeream visionem angeli designari.

(659) Cum enim terræ rubræ speciem lapis sardonychus habeat, non immerito hominem designat, quia Adam qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra nominatur. Quid est ergo quod dicitur : quia hæc sapientia lapidi sardonycho vel sapphiro non confertur, nisi quod is qui est Dei virtus et sapientia, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tanta magnitudine excellat omnia,

(658) Ex l. xviii in Job c. xxvii, 30.

(659) Joseph., l. i, Ant., cap. 2, Adam rubrum interpretatur.

ut nec in terra primi homines, nec in cælo angeli comparentur? Unde et per Psalmistam dicitur : *Quis in nubibus æquabitur Deo, aut quis similis erit Deo inter filios Dei (Psal. lxxxviii, 7).*

Sapphiri nomine quilibet sancti cælestia appetentes designantur, sicut per prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides, et fundabo te in sapphiris (Isa. liv, 11).* Require in cap. De lapidibus, supra dist. 6.

#### 494 CAPUT IV.

DE JASPIDE.

Jaspidis nomine viror interni desiderii designatur, sicut venienti Ecclesiæ per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Ponam jaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapidem sculptum (Isa. liv, 12).* Require in cap. De lapidibus, supra, dist. 6.

#### CAPUT V.

DE TOPAZIO.

(660) Topazii nomine multis virtutibus plenus designatur, sicut de sapientia per Job dicitur : *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia (Job xxviii, 19).* Quid enim Æthiopiam nisi præsentem mundum accipimus : quæ coloris nigredine designat peccatorem populum, et fœditatem meritorum. Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet infidelitatis prius nigra peccatis. Quam veniente Domino Habacuc propheta vidit timore perterritam, et ait : *Tabernacula Æthiopyum expavescent, tabernacula terræ Madian (Habac. iii, 7).* David quoque propheta videns quod ad Judæam redimendam veniret Dominus : sed ante gentilitas crederet, et postmodum Judæa sequeretur sicut scriptum est : *Donec plenitudo gentium introiret et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. xi, 25), dicens : Æthiopia præveniet manus ejus in Deo (Psal. lxxvii, 32).* Id est priusquam Judæa credat, salvandam se offert omnipotenti Domino peccatis nigra gentilitas. Topazium vero lapis pretiosus est. Et quia Græca lingua τὰν, omne dicitur pro eo quod omni colore resplendet, topazium quasi τὸ πανθὶν vocatur. Dum vero in Deum conversa gentilitas credidit, ex ea multi sunt ita dono spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis virtutibus quisquam non extollatur, a sancto viro nunc dicitur : *Non adæquabitur topazium de Æthiopia.* Ac si aperte diceretur : Nullus sanctorum, quibuslibet plenus virtutibus existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari potest ei de quo dictum est : *Quod nascitur ex te, sanctum vocabitur filius Dei (Luc. i, 35).*

#### CAPUT VI.

DE CRISTALLO.

(661) Crystalli nomine angelicæ fortitudo naturæ designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et simili-*

(660) Ex lib. xviii in Job c. xxvii, post med. xxxv.

(661) Ex hom. 7 in Ezech.

*tudo super capita animalium, firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper (Ezech. 1, 22).* Possunt firmamenti nomine celestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte, quasi aspectus crystalli dicitur, quia videlicet forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatur. Et natura angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei aspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet, per similitudinam aqua fuit. Sed quia cadentibus aliis, sancti angeli in sua beatitudine persisterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent, in eis natura sua, quia jam defici mutabiliter non potest, quasi in magnitudine crystalli durata est. Quod crystallum horribile et extentum super capita animalium dicitur, quia illæ potestates,

quæ omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positos terribiles atque pavendæ sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus comprehendere valeat quæ sit illa angelorum ineffabilis et sine fine lætitia? Quæ beatitudo, sine defectu vultum Creatoris videre atque in ejus delectatione sine permutatione persistere in ejus delectatione?

## 496 CAPUT VII.

DE ADAMANTE.

Adamantis nomine æternitas designatur, sicut per prophetam dicitur: *Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo in ungue adamantino (Jer. xvii, 1).* Require lib. v, cap. 60.

## INCIPIT LIBER UNDECIMUS.

## 497 CAPUT PRIMUM.

DE IGNE.

*In Scriptura sacra ignis nomine, aliquando zelus charitatis, aliquando charitas, aliquando Spiritus sanctus, aliquando malitia, aliquando ardor luxuriam, aliquando æstus avaritiæ, aliquando flamma invidiæ, aliquando compunctionis calor, aliquando ardor gehennæ, aliquando Deus, aliquando ardor passionis designatur.*

Ignis nomine zelus charitatis designatur: unde propheta Jeremias, cum sibi prædicationis silentium iudicasset dicens: *Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius (Jer. xx, 9),* adjunxit: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. Audivi enim contumeliam multorum (ibid.).*

498 Ignis nomine charitas designatur, sicut per Moysen dicitur: *Ignis in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos subjiciens mane ligna per singulos dies (Lev. vi, 12).* Require in cap. De lignis, lib. ix, cap. 1, dist. 8.

(662) Ignis Spiritum sanctum designat sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur: *Ignem veni mittere in terram, et quid volonisi ut ardeat? (Luc. xii, 49.)* Hinc Moyses de agni comestione dicit: *Si quid remanserit, igne comburetis (Exod. xii, 20)* (663). Quod ex agno remanet, igne comburimus quando hoc quod mysterio incarnationis ejus intelligere et penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus, ut non superbe quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed igni hoc tradit, cum Spiritui sancto reservat.

(664) Ignis nomine malitia designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et vidi, et ecce ventus turbini veniebat ab aquilone, et nubes magna et ignis invol-*

*vens (Ezech. i, 4).* Ignis enim nomine malitia intelligitur, sicut scriptum est: *Et nunc ignis adversarios consumit (Hebr. x, 27),* quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit. Quia et sanctus Spiritus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. Judæa igitur nube suæ ignorantia cæcata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo convoluta est, quæ in obligatione se nequitia per eandem ipsam crudelitatem, qua arsit, implicavit. *Ventus autem turbini ab aquilone veniebat, et nubes magna et ignis involvens,* quia ex corporis sui frigore ad ignorantia suæ caliginem perducta usque ad malitiam persecutionis erupit.

(665) Ignis quoque nomine Deus accipitur, sicut scriptum est: *Deus noster ignis consumens est (Deut. iv, 24)* (666). Deus quippe ignis consumens dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. Ignis consumens Deus dicitur, quia ab omni corde quod replet torporem frigoris excutit, et hoc in desiderio suæ æternitatis accendit.

499 Ignis nomine ardorem passionis designat, sicut per Moysen de agni comestione dicitur: *Et edent carnes nocte illa assatas igni (Exod. xii, 8).* In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo corpus Dominicum accipimus, quando adhuc in se invicem nostras conscientias non videmus. Quæ tamen cum carnes igni assandæ sunt, quia nimirum dissolvit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vero ignis sine aqua excoquit roborat. Carnes itaque agni nostri ignis excocit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorum reddidit, atque ad incorruptionem roboravit.

Epist. ad Hebr.

(665) Ex hom. 50 in Evang.

(666) Ex hom. 22 in Evang.

(662) Vide supra, l. i, c. 16, dist. 1.

(663) Ex hom. 22 in Evang.

(664) Vulg. edit. et Græca et Chrys. hom. 20 in

Quia enim ex morte convaluit, videlicet carnes illius ab igne duruerunt. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Exaruit velut testa virtus mea (Psal. xxi, 16)*. Quid namque est testa ante ignem nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, ut solidetur. Virtus ergo humanitatis Christi velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit.

(667) Ignis nomine ardor luxuriæ designatur sicut per Job dicitur: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina (Job xxi, 30)*. Hoc inter peccatum et crimen distat, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac quidem vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccato valet. Unde et prædicator egregius cum virum dignum gratis sacerdotali describeret nequaquam dixit: *Si quis sine peccato, sed, si quis sine crimine est (Tit. i, 6)*. Quis vero sine peccato esse valeat, cum Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus? (I Timoth. iii, 10)* *Et veritas in nobis est (I Joan. i, 8)*. In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt. Unde Job crimen luxuriæ diffiniens ait: *Ignis est usque ad perditionem devorans*: quia nimirum reatus facinoris non usque ad iniquitatem maculat, sed usque ad perditionem devorat. Et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluatur, immensitate hujus criminis obruuntur, secutus adjunxit: Et omnia eradicans genimina. Genimina quippe sunt animæ operationes bonæ. Cui tamen si perverso **500** ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene præolata concremantur.

Ignis nomine æstus avaritiæ designatur, sicut per Eliphaz dicitur: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt (Job xv, 34)*. Require in cap. De tabernaculo, infra lib. xiii, cap. 7, dist. 3.

Ignis nomine flamma invidiæ designatur, sicut per B. Job dicitur: *Ignis Dei cecidit de cælo, et tactus oves puerosque consumpsit et ego solus effugi ut nuntiares tibi (Job i, 16)*. Require in cap. De cælo, supra, lib. i, cap. 3, dist. 7.

(668) Ignis nomine compunctionis calidior designatur, sicut in Judicum libro scriptum est. *Quod cum Jeroboal a paleis frumenta excuteret, angelum vidit ad cujus imperium protinus hædum coxit, quem super petram posuit et jus carniū desuper effudit quæ angelus virga tetigit eaque ignis exiens de petra consumpsit (Jud. vi, 11)*. Quid est enim frumentum virga cædere nisi rectitudine iudicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora nuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit,

(667) Ex l. xxi, in Job cap. ix.

(668) Ex lib. iii in Job cap. xvii, 22.

A id est omnem appetitum nostræ carnis immolari, carnesque super petram poni, et jus carniū desuper fundi. Quid namque alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur. *Petra autem erat Christus? (I Cor. x, 4)*. Carnes ergo supra petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carniū desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam carnales cogitationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petram funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnes consumpsit, quia afflatus a Redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis coneremat ut omne quod in eo illicitum est et operis, et cogitationis exurat.

**501** (669) Ignis nomine ardor gehennæ intelligitur, in libro beati Job per Sophar de impij damnatione dicitur: *Devorabit eum ignis, qui non succeditur (Job xx, 26)*. Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus in semetipso, reprobos corporaliter exurit, nec studio humano succenditur nec lignis nutritur; sed creatus semel durat inextinguibilis et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de iniquo dicitur: *Devorabit eum ignis qui non succenditur*, quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet; sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum ergo est quod omnes reprobi, quia ex anima simul peccaverunt et carne illic in anima pariter et carne cruciantur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus intra sua conturbabit eos, devorabit eos ignis (Psal. xx, 10)*. Clibanus namque intrinsecus ardet, is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori incipit parte concremari, ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interiorius reprobos demonstrarent, eos ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente.

## CAPUT II.

### DE FLAMMA.

(670) Flammæ nomine æstus carnalium desideriorum designatur, sicut per Eliphaz de iniquo quolibet dicitur: *Ramos ejus arefaciat flamma (Job xv, 30)*. Rami namque dicuntur hi qui alteri familiariter adhærent; flamma vero desideriorum carnalium, ardor intelligitur. Ramos **502** ergo iniqui arefacit flamma, quia exemplo ejus hi, qui ei

(669) Ex lib. xv in Job cap. xvii, 14.

(670) Ex lib. xii in Job cap. xxii, xxiv disperse.

adhærent, terrenis profectibus anhelant, avaritiæ facibus accenduntur, desideriorum carnalium ignibus uruntur. Si enim sibi quosdam æternam patriam quærentes adjungeret, ramos in se virides haberet. Sed quia ipsi quoque, qui ei conjuncti sunt, terrenis desiderijs æstuant desideriorum flamma, clientum ejus animos accendit, scilicet ramos ejus arefacit, ut fructum boni operis non ferant, quia ad appetenda infirma per nequitiam anhelant.

## CAPUT III.

## DE SCINTILLA.

*In Scriptura sacra scintillarum nomine, aliquando exempla justorum, aliquando verba prædicatorum designantur.*

(671) Scintillarum nomine exempla bonorum designantur, sicut de justis per Sapientiam dicitur: *Fulgebunt justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (Sap. III, 7). Arundinetum namque vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. Justi autem sicut sancti in arundineto discurrent, quia, dum peccatoribus permiscerunt, eos exemplorum suorum igne succedunt, atque omne quod nitet in cinerem redigunt, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciant, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiæ suæ duritia resoluti per pœnitentiam cum Psalmista dicant: *Memento, Domine, quoniam pulvis sumus* (Psal. CIII, 29).

Scintillarum nomine prædicatorum verba flammantia designantur, sicut per Ezechielem dicitur: **503** *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis* (Ezech. I, 7). Require in cap. De ære, lib. VIII, cap. 10, dist. 4.

## CAPUT IV.

## DE FUMO.

*In Scriptura sacra fumi nomine, aliquando compunctio, aliquando caliginosa dubietas designatur.*

(672) Fumi nomine compunctio designatur, sicut in Canticis canticorum in laudem Sponsæ dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* (Cant. III, 6.)

Fumi nomine caliginosa dubietas designatur, sicut Deus Antichristo sub nomine Leviathan voce Dominica dicitur: *De naribus ejus procedit fumus* (II Reg. XXII, 9). Require in cap. De naribus, supra lib. V, cap. 13, dist. 1.

## CAPUT V.

## DE CARBONIBUS.

*In Scriptura sacra carbonum nomine, aliquando occulti sancti, aliquando quilibet sancti, aliquando mentes in peccatis frigidæ designantur.*

Carbonum nomine specialiter occulti sancti designantur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et similitudo animalium aspectus eorum, quasi carbonum ignis*

(671) Ex lib. XXXIII in Job cap. III, in med. 4.

(672) Ex lib. I in Job cap. XIX, 39.

*ardentium, et quasi lampadarum* (Ezech. I, 13). Bene namque aspectus animalium carbonibus ignis ardentibus atque lampadibus comparatur. Quisquis enim carbonem tangit, incenditur, quia qui sancto viro adheret **504** ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit, ut jam per verum amorem ardeat, qui prius in iniquitate tantum mortuus quantum frigidus jacebat. Lampades vero lucent suam longius spargunt et cum in alio sic loco, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiæ, verbo doctrinæ, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longe lateque ut lampas lucent. Et quique bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cœlestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos quasi tangendo ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt. Quia vero quibusdam longe positus lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades sunt. Illoc vero inter carbonem et lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci, in quo jacuerint, tenebras non expellunt. Lampades autem, quia magno flammæ lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant. Qua ex re notandum est quod sunt plorique sanctorum ita simplices et occulti sese quæ in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? et qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino sciri refugiunt. Sibimetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui et exempla virtutum spargunt, et lumen boni operis per vitam et verbum errantibus demonstrant, jure lampades appellantur, quia et per ardorem desiderii et flammam verbi a peccatorum cordibus erroris tenebras repellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstratur, lampas est, quia et sibi ardet, et aliis lucent.

**505** (673) Carbonum quoque nomine generaliter quilibet sancti intelliguntur, sicut per Psalmistam dicitur: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (Psal. XVII, 47). Præ fulgore enim nubes transeunt, quia prædicatorum sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati sunt: quia et per correctionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt.

Carbonum nomine mentes in peccatis frigidæ designantur, sicut per Jeremiam de Nazaræis dicitur: *Denigrata est super carbonem facies eorum et non erant*

(673) Ex I. XXIX in Job cap. XI.

*cogniti in plateis* (Thren. iv, 8). Vide horum verborum expositionem lib. v, cap. 35, dist. 1.

## CAPUT VI.

## DE PRUNIS.

(674) Prunarum nomine mentes terrena concupiscentia ardentur designantur, sicut ad beatum Job de diabolo voce Dominica dicitur: *Habitus ejus prunas ardere facit* (Job xli, 12). Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat? Ardent enim cum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum urunt desideria, quæ quietum vel integrum esse animum non permittant. Toties igitur antiquus hostis alicujus prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat. *Superbiæ quippe faciem menti Evæ supposuit* (Genes. iii), *cum hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit. Invidiæ quoque flamma Cainam succendit* (Genes. iv), *cum de accepto fratris sacrificio doluit, et per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit; luxuriæ facibus cor Salomonis exarsit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut usque ad idolorum venerationem deductus dum carnis delectationem sequitur, Conditoris reverentiæ oblivisceretur* (III Reg. xi). *Avaritiæ igne Achab animum, cum eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, et per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit* (III Reg. xi). Tanto ergo malignis **506** spiritus alicui in prunis fiat, quanto in eis suggestionis occulte humanas mentes ad illicita inflammat.

## CAPUT VII.

## DE CINERE.

*In Scriptura sacra cineris nomine aliquando cura sæcularis, aliquando pœnitentia designatur.*

(675) Cineris nomine cura sæcularis designatur, sicut de qualibet anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie per prophetam dicitur: *Cur factus est Ephraim panis subcinericius qui non reversatur* (Ose. vii, 8). Ex natura quippe bene condita est nobis intentio quæ surgat in Deum, sed ex conversatione nequiter assueta inest voluntas, quæ præsens premit in sæculum. Panis autem subcinericius est mundior ex ea parte quam inferius occultat, atque ex ea sordidior qua desuper cinerem tolerat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisse querere negligit, quasi more pœnis subcinerici mundio rem partem inferius premit, et cum curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur autem panis subcinericius si desideriorum carnalium cinerem repelleret, et intentionem bonam quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari tenuit, cum mens amore curarum sæcularium pressa, molem superpositi cineris abjicere negligit; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundio rem faciem subter premit.

Cineris nomine pœnitentia designatur, sicut per Job ex persona pœnitentis dicitur: *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.* (Job xvi, 16). Require in cap. De cute. lib. v, cap. 24, dist. 2.

## INCIPIT LIBER DUODECIMUS.

**507** CAPUT PRIMUM.

## DE LUCE.

*In Scriptura sacra lucis nomine, aliquando Christus, aliquando claritas æternæ patriæ, aliquando gloria vel prosperitas vitæ præsentis, aliquando cognitio legis, aliquando gaudium inane, aliquando justitia, aliquando claritas prædicationis intelligitur.*

Lucis nomine Christus designatur, sicut ipse in Evangelio dicit: *Ego sum lux mundi* (Joan. vi, 12).

Lucis nomine claritas æternæ patriæ designatur, sicut per Job de perversis hominibus dicitur: *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant* (Joan. iii, 19). Tenebræ namque præsentem vitam non inconvenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur. Lux vero nostra æterna patria est in qua dum vultus aspiciamus, corda in nobis nostra vicissim videmus. Iniqui ergo, quia vitam præsentem jam diligunt, atque hæc exsili temporaria ita complectuntur, ac si jam in patria regnent recte dicitur. Sic in tene-

bris quasi in luce, quia sic in præsentis cœcitate læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfuantur.

**508** (676) Lucis nomine gloria vel prosperitas vitæ præsentis designatur, sicut per Baldad dicitur. *Nonne lux impii exstinguetur* (Job. xviii, 9): habent namque impii in præsentis lucem suam, prosperitatem scilicet vitæ præsentis. Sed lux impii exstinguetur, quia fugitivæ vitæ prosperitas cum ipsa citius vita terminatur. De hac tamen luce voce Dominica ad Job dicitur: *Auferetur ab impiis lux sua* (Job xxxviii, 15). Mors etenim carnis, quæ electos luci suæ restituit, lucem suam reprobis tollit. Lux namque superbientis est gloria vitæ præsentis, qui tunc ei subtrahitur, cum per carnis interitum ad retributionum suarum tenebras vocatur.

(677) Lucis nomine cognitio legis potest intelligi. Quæ quia propter Judæorum superbiam eis ablata est, recte dicitur: *Auferetur ab impiis lux sua* (Job

(674) Ex lib. xxxiii in Job c. 28, 40.

(675) Ex lib. xxxii in Job cap. vii, post med. 18.

(676) Ex lib. xiv in Job cap. xv, 3.

(677) Ex lib. xxx in Job cap. iii.

xxxviii, 15), quia dum credere veritati renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt, et dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiæ suæ gloria cæcantur. Scriptum quippe est: *Obscurentur oculi eorum, ne videant (Psal. lxxviii, 24)*. Rursusque scriptum est: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata (Isa. vi, 10)*. Et rursus: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant (Joan. ix, 39)*.

(678) Lucis nomine gaudium inane designatur, sicut per Baldad, de eo qui in temporalibus gaudium suum ponit, dicitur: *Lux obtenebrescit in tabernaculo illius (Job xviii, 6)*. Tabernaculum namque conscientia dicitur. Sicut autem plerumque tristitiam tenebras dicimus, sic non immerito lucem accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo impii tenebrescit, quia in ejus conscientia qua male inhabitat gaudium, quod de temporalibus rebus fuerat, deficit.

(679) Lucis nomine justitia designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia: in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquemque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus (Job xxxviii, 20)*. Quid enim lucis nomine nisi justitia accipitur? et quid per tenebras, nisi iniquitas designatur? Unde quibusdam conversis a peccatorum nequitia dicitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (Ephes. v, 9)*. Beato itaque Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia: in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit (Job xxxviii, 4)*. Ac si dicatur ei: Si plenam te scientiam habere suspicaris, dic, vel in cujus corde ea quæ nunc deest innocentia veniat, vel in cujus corde quæ nunc est malitia perseveret. In qua via habitat lux, id est cujus mentem justitia veniens impleat; et tenebrarum quis locus sit, id est in quo iniquitas cæca perduret, ut ducas unumquemque ad terminos suos, id est ut judices vel is qui nunc iniquus cernitur iniquitate vitam finiat, vel is qui justus cernitur extremitatem vitæ suæ cum justitiæ perfectione concludat; et intelligas semitas domus ejus, id est consideres atque discernas vel cui bona actio perseverans mansionem æternam præstet in regno, vel quem usque ad terminum suum actio prava constringens in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansionem ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit.

(680) Potest autem lucis nomine claritas prædicationis intelligi. Ipse quippe via est, qui ait: *Ego sum via, veritas, et vita (Joan. xiv, 6)*. Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per ejus præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata atque coarctata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit.

(678) Ex lib. xiv in Job cap. iv, 3.

(679) Ex lib. xxix in Job cap. ix.

(680) Ex ejusdem lib. cap. xii.

(681) Ex lib. lxxx in Job cap. xvii, sub fine.

## CAPUT II.

## DE LUCERNA.

*In Scriptura sacra lucernæ nomine, aliquando Christus, aliquando claritas prædicationis, aliquando claritas bonorum operum, aliquando Scripturæ sacræ lumen, aliquando gaudium inane designatur.*

**510** Lucernæ nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ab ipso dicitur. Aut quæ mulier habens drachmas decem, et si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat? Require in capite lib. iv. cap. 4, dist. 1.

(681) Lucernæ nomine claritas prædicationis designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis de bonis doctoribus dicitur: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, scilicet super candelabrum (Matth. v, 15)*. In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux prædicationis accipitur; lucernam autem sub modio ponere, est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere: quod nemo utique electorum facit. Et bene additur: scilicet super candelabrum; in candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna superponitur, dum corpori cura prædicationis antefertur.

(682) Lucernæ nomine claritas bonorum operum designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis sanctis prædicatoribus dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes (Luc. xii, 35)*. Per lumbos luxuria, per lucernam autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere et lucernas tenere, ac si aperte audiant, prius in vobismet ipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. (683) Duo ergo sunt quæ jubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione; Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit; aut is qui castitate præminet, nec dum se per bona opera exercet. Non castitas enim magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquod sine castitate.

(684) Lucernæ nomine Scripturæ sacræ lumen designatur sicut per beatum Job ex persona sancte Ecclesiæ in **511** ultima tribulatione positæ dicitur: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris (Job xxix, 2)*. Tunc quippe videt ex se, persecutione cogente infirmorum multos cadere, quos nunc ut mater intra pacis sinum parvulos fovet, et intra tranquillas fidei cunas continet, quia admitti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc vero tales multi casuri sunt, et per viscera charitatis quidquid in damno

(682) Hæc ex lib. xxviii in Job cap. xlvii.

(683) Ex homil. 13. in Evang.

(684) Ex lib. xix in Job cap. viii, 9.

parvulorum sustinet, se perpeti anima perfectorum dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror (I Cor. xi, 29)*. Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. Unde sancta Ecclesia infirmis tunc cadentibus angustata, cum horum reminiscitur temporum, jure dictura est: *Secundum dies quibus Deus custodiebat me*. Bene autem dicitur: *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris*. Lucernæ enim nomine signatur sacræ lumen Scripturæ. De qua ipse Ecclesiæ pastor dicit: *Habemus firmiter propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec luceat dies, et lucifer oriatur in cordibus vestris (II Pet. i, 19)*: Et Psalmista ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine (Psal. cxviii, 105)*. Quia autem principale nostrum mens est, appellatione capitis mens vocatur: unde Psalmista ait: *Impinguasti in oleo caput meum (Psal. xxii, 5)*. Ac si aperte dicat: *Claritatis pinguedine replesti mentem*. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras nostræ mentis irradiant, ut in hoc caliginoso vitæ præsentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videamus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienæ occulta cogitationis non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis directa lumine supernæ locutionis.

Lucernæ nomine gaudium in carne designatur, sicut per Baldad de impio dicitur: *Et lucerna quæ 512 super eum est, exstinguetur (Job xviii, 5)*. Ut usu multorum loquar lucerna lumen in testa est: lumen in testa, est gaudium in carne. Lucerna ergo quæ super implum est, exstinguetur, quia cum malorum suorum retributio eum sequitur, in ejus mente gaudium carnale dissipatur. Bene autem de hac lucerna non dicitur quæ apud eum est, sed quæ super eum est, quia iniquorum mentem terrena gaudia possident, sicque eam in voluptatibus absorbent, ut super ipsam sint, non apud ipsam. Justi autem etiam cum prosperitatem vitæ præsentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt, ut hoc quod apud se in bonis hilarescunt, gravitatis consilio transeant et virtutis regimine excedant. Lucerna ergo impii quæ super eum est exstinguitur, quia citius ejus gaudium deficit, quod eum totum in hac vita possedit. Et qui nunc male se in voluptatibus dilatat, eum post in suppliciiis pœna coangustat.

### CAPUT III.

#### DE AURORA.

(685) Auroræ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per beatum Job de diabolo, vel ejus corpore sub noctis appellatione dicitur: *Expectet lucem et*

(685) Ex lib. iv in Job cap. xiiii.

*A non videat nec ortum surgentis auroræ (Job v, 9)*. Lux quippe Christus dicitur sicut ipse: *Ego sum lux mundi (Joan. viii, 12)*. Nox ergo illa, videlicet tenebrosus hostis in membris suis lucem exspectat, et non videt, quia vel hi qui fidem sine operibus retinent cum pro eadem fide in extremo judicio salvari se posse confidunt, spes eorum frustrabitur, quia hanc male vivendo demoliti sunt, quam confitendo tenuerunt; vel hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum a veniente Judice retributionem honorum operum sperant, quid hæc in ostentatione faciunt laudis jam præmium ab humano ore receperunt, Veritate attestante, quæ ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (Matth. vi, 2)*, ubi et bene subditur. **B** ortum surgentis auroræ. Aurora quippe Ecclesia dicitur, quæ a peccatorum suorum tenebris ad lucem justitiæ permutatur. Unde et hanc sponsus **513** in Canticorum canticis miratur dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens (Cant. vi, 9)*. Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ pravitate pristinae tenebras deserit, et sese in novi luminis fulgorem convertit. In illa igitur luce, quæ in districti Judicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt, quia, dum districtus Judex ad retributionem venerit, iniquus quisquis suorum caligine meritorum pressus quanta claritate sancta Ecclesia in æternum cordis lumen surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur, ut Divinitatis radiis illustretur, et quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se gratia coruscante sublevatur. Tunc sancta Ecclesia plene aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantie suæ tenebras funditus amittit. In judicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies, quia etsi jam cum restauratione corporum videre lumen in judicio inchoat, ejus tamen visum plenus in regno consummat. Ortus itaque auroræ est exordium crescentis Ecclesiæ, quem videre reprobi nequeunt: quia a conspectu districti [Judicis] malorum suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur. Unde recte per prophetam dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isa. xxvi, 10)*. Hinc est quod de hac aurora per Psalmistam dicitur: *Abcondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum (Psal. xxx, 21)*. Electus enim quisque in judicio per internum visum in vultu Divinitatis absconditur, dum reproborum foris cæcitas districta animadversione justitiæ repulsa turbatur.

### CAPUT IV.

#### DE DILUCULO.

*In Scriptura sacra diluculi nomine aliquando præsens electorum Ecclesia, aliquando cognitio veritatis intelligitur.*

**514** (686) Diluculi vel auroræ nomine præsens electorum Ecclesia designatur, sicut ad beatum Job voce Dominica dicitur: *Nunquid post ortum tuum*

(686) Ex lib. xxix in Job cap. ii, 1.



*præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum* A (Job xxxviii, 12)? Subaudis, ut ego. Ortus quippe Divinitatis ejus ante et post non habet. Cui dum semper esse est per æternitatem, dum omne quod labitur circumscribit, intra semetipsum temporum cursus claudit. Ortus vero humilitatis ejus, quia et cœpit, et desiit: et ante et post habere a tempore accepit. Sed quia, dum ipse umbras nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit, recte per hunc ortum quem Creator sibi in tempore condidit, locum suum sibi tempore aurora cognovit. Quia enim diluculum vel aurora a tenebris in lucem vertitur, non immerito diluculi vel auroræ nomine omnis electorum Ecclesia designatur ipsa; namque dum ab infidelitatis nocte ad fidei lucem ducitur, velut diluculi vel auroræ more in diem post tenebras splendore supernæ charitatis aperitur.

Diluculi nomine cognitio veritatis designatur, sicut per Job Domino de homine dicitur: *Visitas eum diluculo et subito probas illum* (Job vii, 18). Quis enim nostrum nesciat quia diluculum dicitur, cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur? Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur cum corda nostra justitiæ fulgor illuminat, quam cæcitas culpæ deprimebat. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum quod Dominus, postquam diluculo visitat, subito hominem probat, quia et accendendo corda nostra ad virtutem provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo et firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, **515** per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per recessum quid a semetipso sit, probatur. Quod bene nobis in historia sacræ locutionis innuitur qua Salomon et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut gratiam tantæ revelationis accepit, certamen turpium mulierum pertulit, quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam luridæ cogitationes turbant, ut quæ sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata quid sit, inveniat: *Sic Elias visitatus diluculo sermone cælos aperuit, et tamen probatus subito, infirmus per deserta fugiens unam mulierem expavit* (III Reg. xix). *Sic Paulus ad tertium cælum ducitur, paradisi penetrans secreta considerat, et tamen ad semetipsum rediens contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet cujus in se rebellionem fatigari spiritus legem dolet* (II Cor. xii). Dilu-

culo ergo Dominus visitat hominem, sed subito post visitationem probat: quia et collato munere sublevat, et abstracto paululum ipsum sibi hominem demonstrat.

## CAPUT V.

DE MANE.

*In Scriptura sacra mane nomine adventus Dominicæ incarnationis, aliquando adventus Judicis, aliquando vitæ nostræ exordium, aliquando præsentis vitæ prosperitas, aliquando mundi exordium, aliquando intellectus nostri pueritia intelligitur.*

(687) Mane nomine adventus Dominicæ incarnationis designatur, sicut per prophetam dicitur: *Venit mane, et nox* (Isa. xxi, 12). Quia nimirum novæ lucis primordia in Redemptoris **516** nostri præsentia fulserunt, et tamen a persecutorum cordibus perfidiæ suæ tenebræ non sunt detersæ.

(688) Mane nomine adventus Judicis designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris, non subsistam* (Job vii, 21). Peccanti enim primo homini dicitur: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (Genes. iii, 19). Mane autem dicitur, illa tunc manifestatio mentium quæ in adventu judicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. De quo nimirum mane per Psalmistam dicitur: *Mane astabo tibi, et videbo* (Psal. v, 5). Quærere autem Dei est hominem, subtili interrogatione discutere, et districte discutiendo judicare. Beatus igitur Job humanæ dejectionis damna considerans videat quia et præsentis jam pœna premitur, et adhuc de futuris gravius urgetur, et dicat: *Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris non subsistam*. Ac si apertius deplorat dicens: In præsentis quidem mortem jam carnis patior, et tamen adhuc de venturo judicio graviorem mortem restrictionis tuæ sententiam pertimesco.

(689) Mane nomine vitæ nostræ exordium designatur, sicut per Biphaz, de peccatoribus dicitur: *De mane usque ad vesperam succidentur* (Job. iv, 20). A mane namque usque ad vesperam succiditur peccator, dum a vitæ suæ exordio usque ad terminum iniquitatis perpetratione vulneratur. Omni namque tempore reprobi per augmentum malitiæ contra se ictus ingeminant quibus succisi in profundum ruant. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos* (Psal. lrv, 26). Dies quippe dimidiare, est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad penitentiam lamenta dividere, atque hoc ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia perversam mentem, nec in extremo tempore mutant. Quod contra Paulus admonet dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (Ephes. v, 16). Tempus quippe

(687) Ex lib. xvi in Job cap. xxv, 127.

(688) Ex lib. viii in Job cap. xxi, 25.

(689) Ex lib. v in Job cap. xxviii.

redimimus, quando anteactam vitam quam lasci-  
viendo perdidimus, flendo reparamus.

(690) **517** Mane nomine vitæ præsentis prosperitas designatur, sicut per beatum Job de perverso quolibet dicitur: *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem: per noctem vero erit quasi fur (Job, xxiv, 14)*. Cum homicida in proximorum nece per nocturnum maxime silentium soleat grassari, cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum et pauperem dicitur, in nocte vero quasi fur esse perhibetur? Sed ipsis verbis litteræ dum sibi congruunt ad indaganda spiritus secreta revocamur. Mane ergo præsentis vitæ prosperitas signatur, sicut per Salomonem dicitur: *Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt (Eccl. x, 16)*. Quia mane primum diei tempus est, et vespere extremum nequaquam reficiendi sumus de hujus vitæ prosperitate quæ prævenit, sed de iis quæ in fine diei, id est in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedunt, qui de hujus mundi prosperitatibus extolluntur, et dum præsentia vehementer curant, futura non cogitant. *Omnis autem qui odit fratrem suum, sicut dicit Scriptura, homicida est (I Joan. iii, 20)*. Mane itaque primo consurgit homicida, quia in præsentis vitæ gloria perversus quisque erigitur, et illorum vitam deprimit, qui dum sequentem gloriam sitiunt, quasi satiari in vespere exquirunt. Qui ergo contra egenum et pauperem mane homicida est, per noctem quasi fur absconditur, quia perversus quisque qui in prosperitate vitæ præsentis humilium vitam deprimendo interimit, in adversitate ac defectione positus per iniqua consilia latenter lædit, atque id quod per se explere non valet, adhærendo hujus mundi potentibus exercet.

(691) Mane nomine mundi exordium designatur in Evangelio, voce Veritatis: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (Matth. xx, 1)*. Quis patris familias similitudinem rectius tenet quam Conditor noster, qui regit quæ condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet quasi subiectos Dominus in domo? Qui habet vineam universam, scilicet Ecclesiam, qui, ab Abel **518** justo usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hic itaque Pater familias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima operarios conducit: quia a mundi hujus initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non destitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham, Sexta quoque ab Abraham usque ad Moyson. Nona vero a Moyse usque ad adventum Domini. Undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi.

(690) Ex lib. xvi in Job cap. xxv.

(691) Ex homil. 19 in Evang.

## CAPUT VI,

DE HORA TERTIA, SEXTA, NONA ET UNDECIMA.

(692) Possumus autem in easdem diversitates horarum etiam ad unumquemque hominem per ætatum momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri, pueritia est: hora autem tertia adolescentia intelligi potest, quia quasi sol in altum profecit, dum calor ætatis crescit. Sexta vero juvenus est, quia velut in centro sol figitur: dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona autem senectus intelligitur, in qua sol velut ab alto axe descendit, quia ea ætas a calore juventutis defecit. Undecima vero hora est ea ætas quæ decrepita vel veterana dicitur. Unde et Græci valde seniores, non γήρσκας, sed πρεβύτερους appellant, ut plusquam senes esse insinuent, quos provectiores vocant. Quia ergo ad vitam bonam, alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diversis horis operarii in vineam vocantur.

**519** CAPUT VII.

DE DIE.

*In Scriptura sacra diei nomine, aliquando claritas futuræ vitæ, aliquando peccati delectatio, aliquando claritas intellectus, aliquando spiritualis doctor, aliquando claritas conversationis Redemptoris nostri in carne intelligitur. Cum vero pluraliter dies dicuntur, aliquando singulæ electorum animæ, aliquando angelici spiritus, aliquando virtutes, aliquando æternitatis longitudo, aliquando intelligentia designatur.*

Diei nomine claritas futuræ vitæ designatur, sicut sponsi voce Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur: *Duo ubera tua sicut hinnuli capræ gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies (Cant. x, 3)*. Require in capitulo de uberibus, lib. v, cap. 44, dist. 1.

(693) Diei nomine peccati delectatio designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo (Job iii, 3)*. Per diem peccati delectatio intelligitur; per noctem vero cæcitas mentis per quam se homo patitur in culpæ perpetratione prosterni. Optat igitur perire diem, ut omne quod blandiri culpa cernitur, culpa vigore justitiæ interveniente destruat. Optat etiam perire noctem, ut quod cæcata mens etiam per consensum perpetrat, animadversione penitentia extinguat. **520** Sed quærendum nobis est, cur in die homo natus dicitur, in nocte conceptus. Sane homo in die nascitur, sed in nocte concipitur, quia nequaquam ad delectationem peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Ante enim cæcus in mente fit, et postmodum se reprobræ delectationi substermit. Dicat ergo: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo*. Pereat delectatio quæ in culpam hominem rapuit, pereat incauta mentis infirmitas quæ usque ad tenebras pravi consensus excæcavit: homo enim dum blan-

(692) Ex homil. prox.

(693) Ex lib. 4, in Job c. xvii.

dimenta delectationis incaute non perspicit, etiam in noctem nequissimæ perpetrationis ruit. Solerter ergo vigilandum est, ut cum blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trabatur, agnoscat.

(694) Diei nomine claritas intellectus designatur, sicut per beatum Job de filiis suis dicitur : *Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos : unusquisque in die suo* (Job 1, 4). Filiorum nomine, sancti apostoli designantur. Filii ergo facturi convivia per domos ibant, cum prædicatorum apostoli in diversis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabant. Unde et eisdem filiis de esurientibus plebibus dicitur : *Date illis vos manducare* (Matth. xiv, 16) : Et rursum : *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (Matth. xv, 32). Id est in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore succumbant. Hinc rursum eisdem filiis dicitur : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (Joan. vi, 27). Quæ convivia quomodo exhiberentur, adjungitur, cum subditur, *unusquisque in die suo*. Si ignorantia obscuritas sine dubitatione nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Unde per Paulum dicitur : *Alius judicat diem inter diem ; alius judicat omnem diem* (Rom. xiv, 5). Ac si aperte dicat : alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia ad intellectum possibile, ita ut sunt videnda, cognoscit. Unusquisque ergo in die suo convivium exhibet, quia sanctus quisque prædicator juxta mensuram illuminatæ intelligentiæ, mentes audientium epistolis veritatis **521** pascit. In die suo Paulus convivium fecerat, cum dicebat : *Beatiores erunt si sic permanserint secundum meum consilium* (Cor. vii, 40). De die suo unumquemque admonerat cogitare, cum diceret : *Unusquisque in suo sensu abundet* (Rom. xiv, 5).

Diei nomine spiritalis doctor designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (Psal. xviii, 3), id est, spiritalis spiritali de pleno profert verbum quod erat Deus in principio apud Deum.

(695) Diei nomine claritas conversationis Redemptoris nostri in carne designatur, sicut de Judæis ipsius persecutoribus Eliphaz dicit : *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie* (Job. v, 14). Clare quippe per diem cernitur, per noctem vero acies nostra obscuratur. Persecutores igitur Redemptoris nostri dum divinæ virtutis miracula cernerent et tamen de ejus divinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce prodiderunt. Per diem itaque incurrunt tenebras, quia in ipsa Veritatis præsentia perfidiæ errore cæcati sunt. Hinc est quod eos ipsa lux admonet dicens : *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (Joan. xii, 35). Hinc est quod de Judæa dicitur : *Occidit ei sol, cum adhuc*

*esset dies* (Jer. xv). Hinc est quod vocem penitentium in se iterum sumpsit propheta dicens : *Impingimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui* (Isa. lxx, 10). Hinc iterum dicit : *Custos quid de nocte, custos quid de nocte?* (Isa. xxi, 11). Dixit custos : Venit mane et nox ; de nocte etenim venit custos, quia humani generis protector, et manifestus in carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime agnovit. Ubi bene ex voce custodis additur : Venit mane et nox, quia per ejus præsentiam, et nova lux mundi inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. Bene autem dicitur : Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Hoc quippe palpando exquirimus quod oculis non videmus. Judæi autem aperta ejus miracula viderant, et adhuc eum quasi palpantes inquirebant, cum dicerent : *Quousque animam nostram **522** tollis. Si tu es Christus, dic nobis palam* (Joan. x, 24). Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, et tamen in cordis sui tenebris offerentes adhuc requirendo palpabant.

(696) Dierum nomine singulæ electorum animæ designantur, sicut per beatum Job de nocte in qua conceptus est dicitur : *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus* (Job iii, 6). Annum namque prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus, quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum, quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerablem universitas expletur. Hunc namque annum perfecte multitudinis Isaias prædicat dicens : *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad annuntiationem mansuctis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domini* (Isa. lxi, 1) : annus enim placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda prædicatur. Quid vero per dies nisi singulæ quæque electorum mentes? Quid per menses nisi multiplicatæ eorum Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, designantur? *Illa erga nox non computetur in diebus, nec numeretur in mensibus* ; quia antiquus hostis, qui per noctem intelligitur, superbæ suæ tenebris pressus adventum quidem Salvatoris conspiciat, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit* (Hebr. ii, 16) (697). Idcirco namque Redemptor noster non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semetipso apprehendendo repararet.

Possunt etiam dies ii qui in æterna luce perma-

(694) Ex lib. 1. in Job cap. vii, 20.

(695) Ex lib. vi in Job cap. xiii, 14.

(696) Ex lib. iv in Job cap. xi, 10.

(697) Ex ejusd. lib. cap. xii, 14.

ment angelici spiritus, menses autem eorum ordines et dignitates intelligi. Singuli enim quique spiritus, quia lucent, dies sunt : sed quia certis quibusdam dignitatibus **523** distinguuntur, ut alii throni, alii dominationes, alii principatus, alii potestates sint pro hac ipsa distributione agminum, menses vocantur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur, nec in mensibus numeratur. Sic quippe illum perpetratae superbiae cæcitas aggravat, ut ultra ad illa claritatis intimæ agmina superna non redeat. Nequaquam jam stantibus lucis dignitatibus admiscetur, quia tenebrarum suarum merito semper ad ima deprimitur.

Possunt quoque per dies singulæ virtutes intelligi. Quia ergo quod nos stendo insequimur, nequaquam nobis a venturo Iudice hæc objici nobis certe speramus, bene nunc de nocte hac, id est, perpetratiõe culpæ dicitur. Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus. Illuminationis etenim nostræ annus tunc perficitur, quando apparente æterno Iudice, sanctæ Ecclesiæ peregrinationis suæ vita completur. Tunc laboris sui remunerationem recipit, cum expleto hoc belli tempore ad patriam redit. Unde per Prophetam dicitur : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ (Psal. lxxiv, 12)*. Quasi enim corona anni benedicatur, cum, finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur. Dies vero hujus anni sunt singulæ virtutes ; menses autem multiplicata facta virtutum. Sed ecce cum per fiduciam mens erigitur, ut speret quod veniente Iudice de virtutibus remuneretur, occurrunt ejus memoriæ etiam mala quæ gessit, et valde formidat ne districtus Iudex, qui venit ut virtutes remuneret, etiam ea quæ illicite gesta sunt, examinans subtiliter penset, ne cum annum complet, etiam nocte dicat : Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus. Ac si districtum Iudicem exoret, dicens : Cum completo Ecclesiæ sanctæ tempore, extremo te examine manifestas, sic dona quæ contulisti remunera, ut mala quæ commisimus non requiras. Si enim nox illa in diebus anni computatur, omne quod egimus ex pravitatis nostræ æstimatione confunditur, et dies virtutum jam non lucent si hos in conspectu tuo annumerata nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret

**524** (698) Dierum nomine æternitatis longitudo designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora : qui autem noverunt eum, ignorant dies illius (Job xxiv, 17)*. Quid dies Domini nisi ipsa æternitas designatur ? Quæ nonnisi quam unius diei pronuntiatione exprimitur, sicut scriptum est : *Melior est dies una in atriis tuis super millia (Psal. lxxxiii, 11)*. Nonnunquam vero pro sua longitudine dierum multorum appellatione designatur de quibus scriptum

A est : *In sæculum sæculi anni tui (Psal. ci, 29)*. Nos itaque intra tempora volumur per hoc creatura sumus. Deus autem, quia creator est omnium æternitate sua tempora nostra comprehendit. At ergo : *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora*, quia ipse quidem nostra comprehensibiliter concipit, nos autem ea quæ ejus sunt comprehendere nullatenus valeamus. Sed cum natura Dei simplex sit, mirandum valde est, cur dicitur : *Qui noverunt eum, ignorant dies illius*. Neque enim aliud ipse, atque aliud dies ejus sunt. Deus namque hoc est, quod habet : *Æternitate* quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Quid est itaque dicere : *Qui noverunt eum, ignorant dies illius*, nisi quia qui cognoscit eum, adhuc nesciunt ? Nam et qui eum jam fide tenent, adhuc per speciem ignorant. Et cum ipse sibi sit æternitas, quem veraciter credimus, qualiter tamen sit ipsa æternitas ignoramus. Dicatur ergo recte : *Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius*, quia etsi jam Deum per fidem novimus, qualiter tamen sit æternitas sine præterito ante sæcula, sine futura post sæcula, sine mora longa, sine præstolatione perpetua non videmus.

Dierum nomine intelligentia designatur, sicut in libro Job de amicis ejus dicitur : *Sederuntque cum eo septem diebus et septem noctibus (Job ii, 13)*. In die enim, quæ videmus agnoscimus, in nocte autem aut cæcitate nihil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem vero ignorantia signatur. Septenario autem numero universitatis summa exprimitur. Unde etenim non amplius, quam septem diebus omne hoc tempus **525** transitorium consumatur. Quid est ergo quod amici beati Job consedere septem diebus et septem noctibus referuntur, nisi quod hæretici vel in iis in quibus ignorantia tenebras patiuntur, quasi infirmanti sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, eique sub blandimentorum specie, dolos deceptionis parant ? Et quamvis vel in iis quæ intelligere non possunt elationis typo turgidi, magnos se apud semetipsos existiment, nonnunquam tamen sanctæ Ecclesiæ se specie tenuis inclinant, et dum verba molliunt, virus infundunt. In terra ergo condescere est aliquid de imagine humilitatis ostendere, ut, dum humilia exhibeant, persuadeant superba, quæ docent.

## CAPUT VIII.

### DE VESPERA.

*In Scriptura sacra vesperi vel vespere nomine, aliquando terminus vitæ vel adversitas, aliquando otii torpor, aliquando adversitas, aliquando peccati tentatio intelligitur.*

Vesperæ nomine ejus terminus vitæ, vel adversitas designatur, sicut per Eliphaz de perversis dicitur : *De mane usque ad vesperam succidentur (Job*

xx, 26). Require in cap. De mane, supra, cap. 5, A distinct. 3.

(699) Vesperæ nomine otii torpor designatur, sicut Job dicit : *Si dormiero, dico : Quando consurgam ? (Job vii, 4)* Et rursus : *Exspectabo vesperam (ibid., iv, 11)*. Somno namque torpor otii, sur-rectione autem exercitatio actionis exprimitur. Vesperæ quoque nomine, quia somno congruit, rursus otii desiderium figuratur. Sancta vero Ec-clesia quousque vitam corruptionis ducit, flere muta-bilitatis suæ damna non desinit. Ad hoc namque homo conditus fuerat, ut stante mente, in arcem se contemplationis erigeret et nulla hunc corruptio a Conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quod ab ingenta standi soliditate voluntatis pedem ad culpam movit : **526** a dilectione Conditoris in se-metipsum protinus cecidit. Amorem vero Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consi-tere potuit : quia lubricæ mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem corruens etiam a semet-ipso discessit. Varietatem ergo humanæ mentis exprimens dicat : *Si dormiero, dicam : Quando con-surgam ?* Et rursus : *Exspectabo vesperam*. Ac si aper-te diceret : Nil perceptum menti sufficit, quia ip-sum, qui vere sufficere potuit, amisit. In somno namque sur-rectionem desidero : in resurrectione vesperam exspecto, quia et quietus exercitium actionis appeto, et exercitatus otium quietis quero.

(700) Potest autem vesperæ nomine adversitas designari, unde et Job verba hæc aliter intelligi possunt. Dormire namque, est in peccatis jacere. Si enim somni appellatione culpa non esset, nequa-quam Paulus discipulis diceret : *Evigilate, justii, et nolite peccare (I Cor. xv, 34)*. Unde auditorem suum admonet dicens : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephas. v, 14)*. Et rursus : *Hora est jam nos de somno surgere (Rom. xiii, 21)*. Unde et Salomon peccantem increpat di-cens : *Usquequo, piger, dormies ? (Prov. vi, 19)*. Elec-tus igitur quisque cum peccati somno premitur, ad justitiæ vigiliis exsurgere conatur ; sed sæpe cum surrexerit, ipsa se extollit magnitudine virtutum sentit. Unde et tentari se præsentis vitæ adversita-tibus post virtutes desiderat, ne pejus ex confiden-tia virtutum cadat. Si enim servari se melius per-tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista diceret : *Proba me, Domine, et tenta me (Psal. xxv, 2)*. Bene ergo nunc dicitur : *Si dormiero, dicam : Quanda consurgam ?* Et rursus : *Exspectabo vesperam*. Quia et in peccati somno lumen justitiæ quæritur, et cum virtutum prospera mentem elevat [f. elevant], adiutrix adversitas desideratur, ut profecto animus cum virtutum suarum gaudio, plusquam debet, at-tollitur, per contrarietatem vitæ præsentis edito mærore solidetur. Unde et nequaquam, formidabo.

vesperam, dicitur, sed exspectabo. Exspectamus et enim prospera, formidamus adversa. Vir igitur jus-tus vesperam exspectat, quia cum exerceri hæc tribulatione necesse est, ipsa ei fit adversitas prospera.

**527** (701) Potest etiam vesperæ nomine peccati tentatio designari, quæ sæpe tanto acrius mentem lacessit, quanto et eandem mentem spiritus ad su-perna altius evehit. Nequaquam enim sic in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneatur, quia, etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa, quæ repellitur, cogitationis nos-træ foribus assidens, ut sibi aperiat pulsat. Quod Moyses quoque spiritaliter innuit, cum facta corpor-aliter temporum momenta narravit dicens : *Facta est lux (Genes. i, 5)*. Atque paulo post subjicit : *Factum est vespere (ibid., 5)*. Creator quippe omnium, humanæ culpæ præsciens, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vespe-rum ducitur, quia nimirum lumen rectitudinis um-bra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux in tentatione non exstinguitur, nequaquam nox sed ves-pera facta perhibetur, quia nimirum sæpe tenta-tio in corde electorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit, quasi ad pallorem pertrahit, sed fun-ditus non exstinguit.

Electi ergo post somnum resurrectionem appe-tunt, post resurrectionem vesperam præstolantur, quia et de peccato ad justitiæ lumen evigilant, et in ipso justitiæ lumine positi semper se contra illece-bras tentationis parant. Quas nimirum non timent, sed exspectant, quia utilitati suæ rectitudinis et ten-tamenta proficere non ignorant.

## CAPUT IX.

### DE NOCTE.

In Scriptura sacra noctis nomine, aliquando antiqua hostis, aliquando consensus ad culpam, aliquando vita præsens, aliquando obscuritas ignorantie, ali-quando tristitia designatur.

**528** (702) Noctis nomine antiquus hostis desi-gnatur, sicut per beatum Job dicitur : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo (Job iii, 3)*. Et rursus : *Noctem illam te-nebrosus turbo possideat (ibid.)*. Scriptum quippe est : *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. xlix, 4)*. Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiri-tum a conspectu districti Judicis ad æterna suppli-cia, pavenda illa tempestas rapit. Turbine ergo nox ista possidetur, quia superba ejus cæcitas districta animadversione percussit.

(703) Potest autem noctis nomine ipse jam con-sensus ad culpam designari. Sicut enim per diem prævæ delectationis gaudium exprimitur, ita et per

(699) Ex lib. viii in Job cap. vi, 9.

(700) Ex sup. cap. et lib.

(701) Ex lib. et cap. sup.

(702) Ex lib. iv in Job cap. xi, 10.

(703) Ex lib. iv in Job cap. xvii, 20.

noctem non immerito ipse consensus ad culpam intelligitur. Sicut enim minoris culpæ est, cum carnaliter mens in delectationem rapitur, sed tamen delectationi suæ per spiritum reluctatur: ita gravioris et plenæ est nequitiae ad peccati illecebram non solum delectatione pertrahi, sed etiam consensu familiari. Tanto igitur arctiori manu poenitentiae, mens a pollutione tergendæ est, quanto se per consensum conspiciit sordidius inquinatam. Unde bene nunc dicitur: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*. Quasi enim quidam turbo tempestatis, est concitatus spiritus mœroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit, intelligit, dum pravitate suæ nequitiam subtiliter pensat, mœrore mentem obnubilat, et quasi concusso serenæ lætitiæ aere omnem in se tranquillitatem cordis poenitentiae turbine devastat. Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo contereret, nequaquam Propheta dixisset: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis (Psal. XLVII, 8)*. Tharsis quippe exploratio gaudii dicitur. Sed cum vehemens poenitentiae spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat ut nihil et nisi [f. nisi quod] flere libeat, nihil nisi quod se terere possit, attendat. Ponit namque ante oculos illinc distractionem **529** justitiæ, hinc meritum culpæ; conspiciit quo digna supplicio sit, si parentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æterna eruere pœna consuevit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naves conterit, cum vis compunctionis validas mentes nostras huic mundo, quasi mari, deditas salubri terrore confundit. Dicat igitur: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, id est perperationem culpæ non blandimenta securæ quietis foveant, sed pie sæviens mens amaritudo poenitentiae irrumpat.

(704) Noctis nomine vita præsens designatur, sicut per prophetam dicitur: *Anima mea desideravit te in nocte (Isa. xxvi, 9)*; ad videndum namque Deum quadam se premi caligine sentiebat. Bene ergo dicit: *Anima mea desideravit te in nocte*. Ac si diceret: In hac obscuritate vitæ præsentis videre te appeto, sed adhuc infirmitatis meæ nubilo circumscibor.

(705) Noctis nomine obscuritas ignorantiae designatur, sicut per Eliu beato Job dicitur: *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis (Job. xxvi, 2)*. Ac si aperte arrogantes dicant: Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, ut in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari consuetudini dediti in cunctis quæ appetunt, passim vivunt. Noctem vero protrahere est, ut pro robustis populi ascendant, si per negligentiam agitur, ut doctorum etiam fortium loca indoctiæ debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt, quando ii qui vivere inique didicerunt pastorum loca pereipiunt.

(706) Potest autem noctis nomine tristitia orta ex tentatione signari. Sine magna namque tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Ipsa namque tentationis adversitas dum se menti inserit, quasdam in illa tenebras gignit, eamque amaritudinis suæ obscuritate turbat, quæ apud se dudum virtutum dulcedine irradiante claruerat. Bene ergo tentato dicitur. **530** Ne protrahendo noctem, ut ascendant populi pro eis. Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur, quia mœroris animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione considerat quod a virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis mœroribus quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab omni luce gaudii ejus oculus clauditur, dum sollicita trepidat, ne hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Unde et bene dicitur quod in hac nocte populi pro robustis ascendunt, quia videlicet in hoc mœrore tentationis pro robustis motibus cogitationes indignæ et multiplices in corde prosiliunt.

## CAPUT X.

## DE TENEBRIS.

*In Scriptura sacra tenebrarum nomine, aliquando caligo ignorantiae, aliquando lamenta poenitentiae, aliquando occulta Dei judicicia, aliquando adversitates, aliquando supplicia æternæ damnationis, aliquando peccatores, aliquando vita præsens, aliquando iniquitas designatur,*

(707) Tenebrarum nomine caligo ignorantiae designatur, sicut per Eliu dicitur: *Non sunt tenebræ, et non est umbræ mortis ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem (Job xxxiv, 22)*. Quid enim per tenebras nisi ignorantiam, et quid per umbram mortis, nisi oblivionem studuit designare? De quorundam quippe ignorantia dicitur: *Tenebris 531 obscuratum habentes intellectum (Ephes. iv, 18)*. Et rursum de oblivione quæ in morte contingit, scriptum est: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. cxlv, 4)*. Quia ergo per mortem funditus oblivioni traditur, quidquid vivendo cogitatur, quasi quædam umbra mortis oblivio est. Sicut enim agit mors interveniens non esse quod fuit in vita, ita interveniens agit oblivio non esse quod fuit in memoria. Recte itaque ejus umbra dicitur, quia velut de ipsa exprimitur, dum vim illius sopiendo, sensus imitatur. Deus autem, quia mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliviscitur, nisi ab ejus oculis poenitendo deleantur, congrue dictum est: *Non sunt tenebræ, et non est umbræ mortis, ut abscondant eos qui operantur iniquitatem*. Ac si diceret: Idcirco ejus judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest autem non videre quod facimus, aut oblivisci quod videt.

(704) Ex lib. xliii in Job cap. xii, 21.

(705) Ex lib. xxvi in Job cap. xxviii, 35.

(706) Ex lib. sup. cap. xxviii, 38.

(707) Ex lib. xxv in Job, c. iv.

(708) Tenebrarum nomine lamenta pœnitentiæ designantur, sicut per Job dicitur : *Dies ille vertatur in tenebras* (Job III, 4). Dies quippe in tenebras vertitur, cum culpa in ipso delectationis exordio, ad quem perditionis finem rapiat, videtur. In tenebras ergo diem vertimus, cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis pravæ blandimenta per districtæ pœnitentiæ lamenta cruciamus, cum flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccamus. Quia enim fidelis quisque cogitationes in iudicio exquiri subtiliter non ignorat, Paulo attestante, qui ait : *Inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, semetipsam introrsus discutiens* (Rom. II, 15) ante iudicium vehementer examinatur, ut districtus Iudex ei jam tranquillus veniat, quo reatum suum quem discutere appetit, jam pro culpa punitum cernit.

(709) Tenebrarum nomine occulta Dei iudicia designantur, sicut paulo post subditur : *Obscurent eum tenebræ et umbra mortis* (Job III, 5). In luce namque quod videmus agnoscimus, in tenebris vero aut animo nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo iudicia quasi quædam oculos nostros tenebræ sunt, **532** quia perscrutari nequaquam possunt. Unde et de Deo scriptum est : *Posuit tenebras latibulum suum* (Psal. XVII, 20). Et quia absolvi non meremur, agnoscimus, sed præveniente nos divina gratia per ejus occulta iudicia liberamur. Diem igitur tenebræ obscurant, cum flendum nostræ delectationis gaudium ab illo justæ animadversionis radio, incrustabilia ejus iudicia misericorditer occultant. Unde et apte subditur ; Et umbra mortis. Umbra enim mortis, mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Unde recte voce martyrum dicitur : *Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuisti nos umbra mortis* (Psal. XLIII, 20). Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicuntur mortis operiri. Quid est ergo quod Job, ad obscurandum diem pravæ delectationis postulat umbram mortis, nisi quod ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei et hominum Mediatorem requirit, qui solam pro nobis mortem carnis susciperet, et veram mortem delinquentium per umbram suæ mortis deleteret? Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus carnisque tenebamur : unam ad nos suam mortem detulit, et duas nostras, quas reperit, solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret. Sed unam misericorditer accepit, et juste utrumque dampnavit. Simulam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens subegit. Unde et non immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris nostræ duplæ mortis adjunxit. Qui ergo so-

lam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, et a Dei oculis culpam quam fecimus abscondit. Dicatur igitur recte : *Obscurent eum tenebræ et umbra mortis*. Ac si aperte diceretur : Ille veniat, qui ut a morte carnis et spiritus eripiat debitores, mortem carnis non debens solvat.

(710) Tenebrarum nomine adversitates designantur, sicut Job de hæreticis dicit : *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi* (Job XXIV, 16). Quid namque hoc loco domorum nomine nisi conscientiæ designantur **533** in quibus habitamus, cum tractando quid agimus. Unde cuidam sanato dicitur : *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit* (Luc. VIII). Id est a peccati vitio jam securus ad conscientiam revertere, et in vocem prædicationis excitare. Justitæ itaque cum in præsentis sæculo clarescunt, eis [is] error, magistri perversa suadere metuunt, sed consilia exquirunt, dejectionem prosperitatis eorum summo opere præstolantur, ut in adversitatis tenebris mentes eorum suadendo perfodiant, quibus prospere viventibus perversa loqui minime audebant. Quos mox ut in adversitate viderint, exsurgunt, et non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt, quia solam præsentis vitæ gloriam diligentes, flagellum damnationem credunt. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliantur. Bene autem dicitur : Sicut in die condixerant sibi, quia cum justos conspicerent prosperitatis luce claruisse, quoniam loqui non poterant, ad maligna solummodo contra eos consilia vacabant.

(711) Tenebrarum nomine supplicia æternæ damnationis designantur, sicut de Antichristi damnatione dicitur : *Expellet eum de luce in tenebras* (Job XVIII, 18). De luce enim ad tenebras ducitur, cum de honore vitæ præsentis ad supplicia æterna damnatur. Hinc de illo qui sine nuptiali veste ad nuptias intraverat, voce Dominica in Evangelio dicitur : *Ligati pedibus et manus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. XXII, 15). Ligantur tunc pedes et manus per restrictionem suam, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ, vel certe tunc ligat pœna, quos modo a bonis operibus ligavit culpa. Pedes enim qui visitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, a bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio tunc in supplicio. Bene autem dicitur, quod in exteriores tenebras projiciantur. Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores vero tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores **534** tenebras mittitur, quia illic invitatus projicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cæcitatem cordis. Ubi fletus quoque et stridor dentium esse perhibe-

(708) Ex lib. IV in Job cap. xv, 17.

(709) Ex lib. sup. cap. xvii, 20.

(710) Ex lib. XVI in Job cap. xxv, 28.

(711) Ex hom. 58 in Evang.

tar, ut illic deinceps strideant qui hic de edacitate gaudebant; illic oculi dedeant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur, quatenus singula quæque membra supplicio subjaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subjecta serviebant.

Tenebræ peccatores designant, sicut quibusdam conversis per Paulum dicitur: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Ephes. v, 9). Vide supra cap. 1, dist. 6.

Tenebris vita præseus designatur, sicut voce Dominica ad Job dicitur: *Sic in tenebris quasi in lumine ambulant* (Job xxiv, 17). Require incap. de luce supra dist. 2.

Tenebræ designant iniquitatem, sicut ad Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitat lux, etc.* (Job xxxviii, 18.) Vide supra cap. 1, dist. 6.

#### CAPUT XI.

##### DE CALIGINE.

*In Scriptura sacra, caligo erroris confusionem et mentis designat.*

(712) Caliginis nomine erroris confusio designatur, sicut per beatum Job de antiquo hoste sub figura diei in qua natus est dicitur: *Occupet eum caligo, et involvat amaritudine* (Job iii, 5). Antiquus quippe hostis nequitiae suæ vinculis strictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim a lucis intimæ ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur. Dicatur ergo: Is qui serenitatem lucis intimæ perdidit, quid est quod ante extremum supplicium tolerat? Occupet eum caligo: subjungitur etiam quæ illum poena subsequens etiam sine termino devastat: **535** Involvat amaritudinē. Omne quippe quod involutum est, finem suum quasi nusquam indicat, quia sicut non ostendit quo incipit, ita non detegit quo desistit. Involvi ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiæ ejus supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur.

(713) Caliginis quoque nomine potest mentis confusio ex poenitentia veniens designari. Nullum namque peccatum Dominus inultum relaxat, aut enim nos hoc fiendo insequimur, aut ipse judicandum reservat, ut ad emendationem suam semper mens solerter invigilet. In quo ergo sibi quisque misericorditer subveniri desiderat, hic necesse est ut poenitens tergat. Aptè igitur de delectatione peccati dicitur: *Occupet eum caligo*. Quid enim caligine confunditur oculus, ipsa per poenitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur: *Est confusio adducens gloriam* (Ecclē. iv, 15). Cum enim ad mentem male gesta

poenitendo reduciuntur, gravi mox mœrore confundimur, perstrepat in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur et quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hæc namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Paulus dicebat: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (Rom. vi, 21). Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est blandimentum nequitiae, afflictio poenitentiae digno mœrore perturbet. Unde et aptè subjungitur: *Involvat amaritudine*. Dies enim amaritudine involvitur, cum ad sui cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus poenitentiae sequuntur. Diem amaritudine involvimus, cum pravæ delectationis gaudium quæ supplicia sequantur aspicimus, et asperis hoc fletibus circumdamus. Quia enim hoc quod involvitur, ex latere omnis partis operitur; involvi dies amaritudine optatur, quatenus quæ mala incorrectis imminent, ex omni parte quisque conspiciat, et voluptatis suæ lasciviam tristitiæ lamentis tergat.

#### 536 CAPUT XII.

##### DE UMBRA.

*In Scriptura cum umbra singulariter ponitur, aliquando mentis refrigerium ex superna protectione, aliquando Incarnatio Domini, aliquando torpor frigidæ mentis, aliquando obscuritas allegoriæ, aliquando instabilitas vitæ præsentis, aliquando oblivio designatur, aliquando imitatio diaboli, aliquando perfidus Judæorum populus, aliquando refrigerium quietis æternæ. Cum vero umbræ pluraliter dicuntur, omnes iniqui intelliguntur.*

(714) Umbræ nomine mentis refrigerium ex superna protectione designatur, sicut Psalmista ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (Psal. xvi, 8), vel sicut sponsa in Cantico adventum sponsi præstolata prænuuntiat dicens: *Sub umbra illius quem desiderabam, sedit* (Cant. ii, 5). Ac si dicat: Ab æstu desideriorum carnalium sub adventus illius protectione requievi.

(715) Umbræ vel obumbrationis nomine, Incarnatio Domini designatur: sicut angelicus sermo testatur, qui ad Mariam dicit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. i, 35), umbra enim formatur a lumine et corpore. Deus autem per divinitatem lumen est qui mediante anima in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus utero **537** fuerat incorporandum ei, quæ incorporeum concepta ad corpus, dicitur *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Divinitatis.

(716) Umbræ nomine recedente charitate torpor frigidæ mentis designatur, sicut de peccante homine scriptum est: quia secutus est umbram. Calorem enim charitatis fugiens, virtutis solem homo deseruit, et sub umbra se interni frigoris abscondit:

(712) Ex lib. iv in Job, cap. 10.

(713) Ex lib. sup. cap. xvii in medio 21.

(714) Ex lib. xxxiii in Job, cap. iii.

(715) Ex lib. xviii in Job, cap. 12 sub finem

(716) Ex lib. xxxiii in Job cap. iii post initium.



unde voce ejusdem Veritatis dicitur : *Abundavit iniquitas et frigesceat charitas multorum* (*Matth. xxiv, 12*), unde primus homo post culpam inter arbores paradisi ad auram post meridiem absconsus invenit [invenitur] (*Genes. iii, 8*). Quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, jam sub peccati umbra quasi sub frigore auræ torpebat. Hinc ad beatum Job voce Dominica de antiquo hoste dicitur : *Sub umbra dormit* (*Job xl, 16*). Per umbram quippe nequitiae torpor accipitur, in qua diabolus dormit, quia contra corda charitate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus jacet. Dormire enim in sanctorum cordibus non potest, quia et quando se in eis ad breve momentum collocat, ipse eum desideriorum caelestium æstus fatigat. Et quasi toties ut recedat pungit, quoties ab eis amore intimo ad æterna suspiratur. Tantæ enim eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cælum clamant. Unde fit ut bonarum actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat malitiæ umbram quærat.

(717) Umbræ nomine obscuritas allegoriæ designatur, sicut per Habacuc dicitur : *Deus a Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenseo* (*Habac. ii, 17*). Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit (718). Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur : quia spissis allego-  
 C  
 riarum obscuritatis umbram opacatur.

(719) Umbræ nomine instabilitas vitæ præsentis designatur, sicut per beatum Job de homine dicitur : **538** *Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job xiv, 2*). Quasi flos enim egreditur qui nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem vitæ præsentis, et ecce quasi tot floribus quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in feno est. Unde bene per Psalmistam dicitur : *Homo sicut fenum dies ejus, et sicut flos agri ita florebit* (*Psal. cii, 15*). Isaias quoque ait : **D** *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos agri* (*Isa. xl, 6*). Homo etenim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico : qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus, quasi flos arescimus qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, recte adjungitur : *et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job xiv, 2*). Sed cum sol quoque cursum

A suum indesinenter peragat, nunquamque se instabilitate figat, cur cursus vitæ hominis umbræ potius quam soli comparatur, nisi quia amisso amore Conditoris, calorem cordis perdidit, et in solo iniquitatis suæ frigore remansit? Quia nimirum juxta Veritatis vocem : *Abundabit iniquitas, et refrigesceat charitas multorum* (*Matth. xxiv, 12*). Qui igitur in amore Dei, calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit tenet, scilicet *velut umbra fugit*; bene autem dicitur, *et nunquam in eodem statu permanet*, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus, atque hoc ipsum vivere nostrum, quotidie a vita transire est.

(720) Umbræ nomine quando cum adjunctione mortis ponitur, oblivio designatur, quia sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita, ita oblivio **539** hoc quod intercipit, agit ut non sit in memoria. Unde recte quia Joannes Hebræorum populo eum cujus obliti fuerant Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur : *Illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (*Luc. i, 79*). In umbra etenim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione lassescere.

(721) Umbræ mortis nomine imitatio diaboli designatur. Ipse enim, quia mortem intulit, mors vocatur, Joanne attestante qui ait : *Et nomen illi mors* (*Apoc. vi, 8*). Per umbram igitur mortis antiqui hostis imitatio accipitur, quia sicut umbra juxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis ejus exprimitur. Unde recte Isaias cum gentiles populos in antiqui hostis cerneret imitatione defecisse, eosque ad veri solis ortum resurgere, quæ certo futura considerat, quasi ex præteritis narrat dicens : *Sedentibus in tenebris, et umbra mortis, lux orta est eis* (*Isa. ix, 2*).

(722) Per umbram mortis spiritualiter perfidus Judæorum populus designatur, sicut Job de ipsius populi damnatione dicitur : *Lapidem quoque caliginis, et umbra mortis dividit torrens a populo peregrinante* (*Job xxviii, 4*).

Umbræ nomine quietis æternæ refugium designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi* (*Job, vii, 2, 3*). Require in capitulo de mensibus, infra dist. 2, cap. xiiii.

Umbrarum nomine omnes iniqui designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de diaboli imitatoribus dicitur : *Protegant umbræ umbram ejus* (*Job xl, 27*). Umbræ quippe diaboli sunt omnes ini-

(717) Ubi pro Libano, Hier. legit Themam.

(718) Ex lib. xxxiii in Job cap. 1.

(19) Ex lib. ii in Job cap. xxvi, post initium.

(720) Ex lib. iv in Job cap. xvii, 20.

(721) Ex lib. et cap. sup.

(722) Vide lib. xviii in Job cap. xviii, 17.

qui, dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, A quasi ejus corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem umbræ diaboli pluraliter sunt omnes reprobi, ita singulariter umbra ejus est unusquisque peccator. Sed dum doctrinæ justorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittant, umbræ diaboli **540** umbram ejus protegunt, quia peccatores quique in quo sibi male sunt consci in eo et alium peccantem defendunt. Umbræ ergo umbram ejus protegunt, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur.

## CAPUT XIII.

## DE MENSE.

In Scriptura sacra mensium nomine, aliquando perfectio, aliquando actiones nostræ, aliquando vel multiplicatæ fidelium Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, vel cælestium spirituum ordines et dignitates, aliquando collectiones animarum intelliguntur.

(723) Mensis nomine perfectio designatur, sicut per prophetam dicitur. *Et erit mensis ex mense perfectio (Isa. LXVI, 23)*, videlicet eis ex collectione animarum erit in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione.

(724) Mensium nomine actiones nostræ designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi (Job. VII, 2)*. Umbram quippe servo desiderare est, post tentationes, æstum sudoremque operis, æterni refrigerii requiem querere. Hanc namque umbram servus ille desideraverat, qui dicebat : *Sitivit anima mea ad Dominum fontem virum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini (Psal. XLII, 3)*. Bene autem qui desiderare umbram dicitur, servus vocatur quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominantis corruptionis jago quasi sub æstu anxietate retinetur. **541** Qui nimirum cum a corruptione exutus fuerit, tunc sibi metipso liber et tranquillus innotescit. Unde etiam recte per Paulum dicitur : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom. VIII, 15)*. Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exultat, et quantum ad presentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur ; tamen ad subsequens libertatis gloriam tunc in Dei famulis de servitute corruptionis exuta, et dignitate libertatis accepta in filiorum Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum quasi hoc quod creatura est, transisse ac subegisse declarat. Sed quia adhuc umbram desiderat, servus est, quia quousque æstum tentationum tolerat, jugum miseræ conditionis portat. Mercenarius autem cum facienda opera conspicit, mentem protinus ex longinquitate et pondere laboris addicit ; cum vero lassescentem animum ad considerandum operum præmium revocat,

vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat, et quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione. Sic, sic electi quique cum mundi hujus adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia quibus exercentur pensant, sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii quam sit leve quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valde importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur ; hinc est enim quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Grave namque quod sustinet æstimat, sed leve hoc præmii consideratione pensat.

Ipsa quippe quam sit grave quod patitur, indicat qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur : *Qui a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit : qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte et die in profundo maris fuit : qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit : qui in labore, et ærumna, in jejuniis **542** multis, in fame, in siti, in frigore, et nuditate laboravit : (II Cor. XI, 24-30) : qui foris pugnas intus timores sustinuit (II Cor. VII, 5) ; qui ultra vires gravatum se asserit dicens : *Supra modum gravati sumus supra virtutem : ita ut tæderet nos etiam vivere (II Cor. I, 8)*. Sed quomodo remunerationis linteo sudorem tanti laboris tergat, ipse denuntiat, dicens : *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (Rom. VIII, 17)*. Finem itaque operis quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat. Aptè autem subditur : Sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Electi quippe Conditori rerum serviunt, et sæpe rerum inopia coangustantur : per amorem Deo inhærent, et tamen subsidiis vitæ præsentis egent. Qui igitur per actiones suas presentia non querunt, a mundi compendiis vacuos menses ducunt ; noctes quoque laboriosas tolerant, quia adversitatum tenebras non solum usque ad inopiam, sed sæpe usque ad corporis cruciatum portant. Despectum namque egestatemque perpeti laboriosum bonis mentibus non est. Sed cum usque ad afflictionem carnis adversitas vertitur, labor proculdubio ex dolore sentitur.*

Mensium nomine vel multiplicatæ fidelium Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, vel cælestium spirituum ordines, et dignitates designantur, sicut Job de nocte conceptionis suæ dicit : *Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus (Job III, 6)*. Require in capite de die, supra cap. 7, dist. 6 et 7.

(725) Mensium nomine collectiones animarum

(723) Ex lib. XIX in Job cap. VIII.

(724) Ex lib. VIII in Job cap. IV, 7.

(725) Ex lib. XIX in Job cap. VIII.

designantur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ in ultimis tribulationibus positæ dicitur : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos?* (Job xxix, 2.) Multa enim talia sancta Ecclesia doloribus pressa, dictura est. Tantis quippe illam futurum est tribulationibus angustari, ut hæc tempora cum magno suspirio desideret, quæ nos cum magno dolore toleramus. Dicat ergo, dicat per vocem Job : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos?* Quia enim statutus 543 dierum numerus, menses vocantur, quid nomine signat mensium nisi collectiones animarum? Dies quippe dum colliguntur in mensibus, subtrahuntur. Quia et in hoc tempore sancta Ecclesia dum virtutis luce splendentes animas colligit, in intimis abscondit. Reminiscatur ergo perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta prædicationis suæ collectis animabus reportabat lucra et angustata tribulationibus dicat : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos?*

## CAPUT XIV.

DE ANNO.

Anni nomine vel prædicationis supernæ gratiæ vel multitudo redemptorum designatur, sicut Job de antiquo hoste sub figura noctis dicit : *Non computetur in diebus anni.* Require in capite de die, supra cap. 7, dist. 6.

## CAPUT XV.

DE ORIENTE.

(726) Orientis nomine Redemptor noster designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt* (Job. x, 12). Quid enim hoc loco vocabulo dexteræ nisi fidelis populus sanctæ Ecclesiæ designatur? *Unde et venturus iudex hædos ad sinistram, agnos ad dexteram ponit* (Matth. xxv, 33). Sed cum sanctam Ecclesiam adversitatis tempore ipsi quoque lacescunt qui fideles esse videbantur, procul dubio calamitates ad dexteram surgunt. Ad sinistram quippe calamitates surgent, si a quibuslibet extra religionem positis et aperte Christum negantibus persecutionis adversa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriuntur : quia hi qui sub nomine Christi militant, Christi in ea nomen impugnant. Bene autem hæc ipsa dextera Orientis 544 vocatur (Zach. vi, 12). De ipso quippe ejus capite scriptum est. *Oriens est nomen ejus* (ibid). Nam quia ab Oriente lux surgit recte Oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ injustitiæ nox illustratur. Ad Orientis ergo dexteram calamitates surgunt, quia hi quoque ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur. Juxta quam videlicet et calamitates recte illico asserit surgere :

(726) Ex lib. xx in Job cap. xviii, 20, 21.

(727) Ex lib. xxviii in Job cap. ii, 13.

(728) Ex lib. xxx in Job cap. xviii, 34.

A quia dum non erant extranei qui persequuntur, ab eis repente mala et illico fiunt.

## CAPUT XVI.

DE MERIDIE.

(727) Meridiei nomine fervor charitatis designatur, sicut de Adam per Moysen dicitur : *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi* (Gen. iii, 8). Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa se a corde hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem, amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, et per auram fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret et per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.

(728) Meridiei nomine fervor carnalium designatur, sicut sponsæ voce in Canticis canticorum sponsæ dicitur : *Ubi pascas, ubi cubes in meridie?* (Cant. i, 7.) Pascitur quippe Dominus cum nostris actibus delectatur. Cubat verò in meridie, cum ex desideriis carnalibus arenti corde reproborum apud electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonæ.

## 545 CAPUT XVII.

DE ÆSTATE.

In Scriptura sacra æstatis nomine, aliquando regnum cælorum, aliquando dies judicii designatur.

(729) Æstatis nomine regnum cælorum designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur, ubi prænominatis signis quæ in fine sæculi futura sunt ponit similitudinem : *Videte ficulneam, et omnes arbores : cum producant jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstus* (Luc. xxi, 29). Ita et vos cum videritis hæc fieri scitote quoniam prope est regnum Dei. Quibus profecto verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat, ad hoc germinat, ut quæque germinavit, cladibus consumat. Aperte ergo demonstratur, quia sicut ex fructu arborum vicina æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Bene autem regnum Dei æstati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, et vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt.

(730) Æstatis nomine dies judicii designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei* (Prov. xxvii, 4). Qui enim nunc propter pavorem mentis atque torporem bene operari negligit cum sol justi-

(729) Ex hom. i in Evang.

(730) Ex fine hom. 3 in Ezech.

tia in iudicio velut in ætate claruerit, mendicat vitam, sed non accipit, quia propter illam bona operari contempsit.

## CAPUT XVIII.

## DE HIEME.

(731) Hiemis nomine vita præsens designatur, sicut per Eliu de Domino dicitur : *Qui præcepit nivii, ut descendat in terram (Job. xxxvii, 6)*. Hiemis pluviis. Hiems **546** quippe est vita præsens in qua nos etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit, quia scriptum est : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. ix, 15)*. Habet autem hæc hiems pluvias, rectorum procul dubio prædicationes. De quibus videlicet pluviis per Moysen dicitur : *Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea (Deut. xxxii, 2)*. Hæ nimirum pluviæ hiemi congruunt, ætate cessabunt, quia, cum nunc carnalium oculis vita cœlestis absconditur necesse est ut sanctorum nobis prædicationibus irrogetur. Cum vero æterni iudicii æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit. Quia veniente Iudice ad cor suum quisque

reducitur, ut sancta, jam cum agere non valet, sentiat, et rectum quod sequi debuit ex torpedinis suæ pœna cognoscat. Unde bene per prophetam dicitur : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis (Jer. xii, 3)*. In die enim occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quæ debuerant agere sentiunt, cum digna pravitate suæ supplicia jam declinare non possunt. Quia autem prædicationes sanctæ cum vita præsentis, id est pluviæ cum hieme cessabunt, recte exeunti animæ atque ad æterna æstiva properanti Sponsi vocis suadentis dicitur : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit (Cant. ii, 10)*. Transiente quippe hieme imber recedit, quia, cum vita præsens peragitur in qua nos ignorantia nubilo, carnis corruptibilis torpor strinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum, nunc vocibus obscurius audimus. Præcipit ergo Dominus nivii et hiemis pluviis, ut in terram descendant, dum aspiratione sancti Spiritus pro corrigendis peccatoribus corda sanctorum ad ministerium prædicationis humiliat.

## INCIPIT LIBER DECIMUS TERTIUS.

**547** CAPUT PRIMUM.

## DE CIVITATE.

*In Scriptura sacra cum civitas singulariter ponitur, aliquando cœlestis patria, aliquando sancta Ecclesia, aliquando anima humana intelligitur. Cum vero pluraliter civitates dicuntur, aliquando Ecclesiæ fideles, aliquando cogitationes pravorum intelliguntur.*

(732) Civitatis nomine cœlestis patria signatur, sicut per Salomonem dicitur : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit sibi columnas septem, immolavit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam; misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et mœnia civitatis (Prov. ix, 3)*. Recte namque domus sapientiæ Ecclesia vocatur. Quæ septem columnas excidit : quia ab amore præsentis sæculi disjunctas ad portandam ejusdem Ecclesiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero signantur. **548** Immolavit victimas : quia vitam prædicantium mactari persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis et humanitatis suæ pariter nobis arcana prædicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo præparavit. Ancillas etiam suas misit, quæ ad arcem nos atque ad civitatis mœnia vocarent : quia prædicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos

C ad spiritualis patriæ ædificia superna colligerent.

(733) Civitatis nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam anguli et exibit ultra normam mensuræ (Jer. xxxi, 38)*. Civitatem quippe esse Domini sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Hananeel vero Dei gratia interpretatur. In angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Hananeel usque ad portam anguli ædificari perhibetur : quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans usque ad ingressum susceptionemque construitur virorumque populorum Judaici videlicet, atque gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, apte subditur : *Et exibit ultra normam mensuræ*, quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiæ transientes intra mensuræ cœlestis numerum non sunt.

(734) Civitatis nomine anima humana designatur, sicut per prophetam Dominus quæ iratus fecerit, narrans dicit : *Plui super civitatem unam, et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quæ compluta non est, aruit (Amos iv, 7)*. Cum sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit,

(731) Ex lib. xxvii in Job cap. xiv, 19.

(732) Ex lib. xxxiii in Job cap. xv.

(733) Ex lib. xxv in Job cap. viii, 11.

(734) Ex hom. 10 in Ezech., ante med.

alia suscipere recusat : super civitatem unam Dominus pluit, et super alteram non pluit. Cura vero et ipse qui proximos audit, ab aliis se vitis corrigit, atque ab aliis emendare contemnit, nimirum una eademque civitas, et ex parte compluit, et ex parte arida remanet, in qua a se prædicationis pluviam repellit. Sunt etenim quidam qui exhortationis verba omnino non audiunt : Hi penitus suscipere pluviam nolunt : et sunt nonnulli qui audiunt, sed hanc medullitus **549** non insequuntur : quia alia in se vitia reseccant, sed in aliis graviter perdurant. Sæpe enim quosdam videmus quia per prædicationis verbum a semetipsis avaritiæ æstum repellunt, et non solum jam aliena non rapiunt, sed et propria indigentibus largiuntur, nec tamen iræ stimulos edomant nec patientiæ moderamina per mentis tranquillitatem servant. Et sæpe alii ad exhortationis verbum in semetipsis tanto carnalis immunditia vincunt, corpus in castitate custodiunt, nec tamen adhuc animum, sicut debent, proximis inclinant : sed per rigorem superbiæ in cogitatione se elevant : in istis pars una compluta est, quia fructum fecit, et pars quæ compluta non est, aruit, quia exhortationis verbum non plene suscipiens a bono sterilis remansit.

(735) Civitatum nomine Ecclesiæ fideles designantur : sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *De civitatibus fecerunt viros gemere (Job xxiv, 12)* Quia civitates a conviventibus populis appellantur, non immerito civitatum nomine veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ quæ in singulis mundi partibus positæ unam catholicam faciunt in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. Hanc namque in Evangelio Dominus conviventium populorum etiam per locorum distinctionem concordiam designavit : *Cum satiaturus de quinque per turmas vel centenos panibus populum, quinquagenos discumbere præcepit, ut videlicet turba fidelium escam suam et locis disjuncta et moribus conjuncta præcepit (Marc. vi).* Jubilæi quippe requies quinquagenarii numeri mysterio continetur, et quinquagenarius Dis dicitur, ut ad centenariam perducatur. Quia ergo prius a malo quiescit opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii centeni discumbunt, quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent jam requiem mentis. Hæretici igitur quia perversis sæpe hujus mundi potentibus adhærentes, bonorum sociale vitam atque concordiam persequuntur, recte nunc dicitur : *De civitatibus viros fecerunt gemere.* Quos recte beatus Job memorat **550** viros, quia illos magis hæretici extinguere ambiunt qui perfectis gressibus per viam Dei non fluxe et enerviter, sed viriliter currunt.

(736) Civitatum quoque nomine congregationes

(735) Ex lib. xvi in Job cap. xxiii.

(736) Ex lib. xii in Job cap. xxii.

(737) Ubi Aug. ita legit.

pravorum designantur, sicut per Eliphaz de pravo divite dicitur : *Habitat in civitatibus desolatis, et in domibus desertis quæ in tumulos sunt redactæ (Job xv).* Quia enim a conversatione conviventium civitas appellatur, civitates desolatæ sunt ipsi obsequium cunei perversorum, quorum clamoribus perversus laudatur, cum ad prava opera per nequitiam rapitur. Unde scriptum est : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur (Psal. ix, 17).* (737) Domus vero desertæ sunt cogitationes prævæ, quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit, iniquorum placere cogitationibus appetit. Quæ civitates desolatæ, et domus desertæ recte nominantur, quia nisi omnipotens Deus talium conversationes cogitationesque præcedentibus eorum culpis relinqueret, ad graviora perpetranda minime pervenirent. Bene autem dicitur : *Quæ in tumulos sunt redactæ, Ruentia namque domorum atque civitatum ædificia tumulos faciunt, quoniam, dum privati quique confusis actionibus sibi met ad perversa opera junguntur, ostendunt procul dubio, quia de ædificio vitæ ceciderunt.*

## CAPUT II.

### DE MURO.

*In Scriptura sacra muri nomine aliquando incarnatus Dominus, aliquando fidei christianæ munimen, aliquando munitio disciplinæ, aliquando impedimentum bene faciendi intelligitur.*

**551** (738) Muri nomine incarnatus Dominus designatur, sicut de sancta Ecclesia per prophetam dicitur : *Ponetur in ea murus, et antemurale (Isa. xxvi, 1).* Ipse enim nobis murus est, qui nos undique custodiendo circumdat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerunt, qui, priusquam Dominus appareret in carne, ad construendam fidem missi sunt. De hoc muro per Ezechielem iterum dicitur : *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique (Ezech. xl, 5).* Ubi notandum quod murus spiritualis ædificii esse forinsecus dicitur. Murus quippe qui ad munitiorem construitur, non interius, sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit, ut diceretur forinsecus dum nunquam poni murus intrinsecus soleat? quia necesse est ut exterius positus ea quæ intus sunt defendatur [defendat]. Sed in hoc verbo quid aperte nisi Dominica Incarnatio demonstratur? Murus enim nobis intus est Deus : murus vero foris est Deus homo. Unde et per prophetam dicitur : *Existi in salutem populi tui, ut salvos faceres christos tuos (Habac. iii, 13)* (739). Iste namque murus, incarnatus videlicet Dominus, murus nobis non esset, si forinsecus non fuisset; quia intus non protegeret, si exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter prætereundum, quod idem murus positus dicitur in circuitu domus undique. Domus quippe Dei non solum angeli sancti, de quibus Psalmista ait : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum tabernaculi gloriæ tuæ (Psal. xxv, 8).* (470)

(738) Ex hom. xiv in Ezech.

(739) Juxta LXX vide Hier. in hunc locum.

(740) Sic Hier. Juxta vers. læbr.

(741) Sed etiam nos sumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Murus itaque undique in circuitu domus est, quia unigenitus Patris, qui sursum est, firmitas angelorum ipse deorsum factus est redemptio hominum. Illis enim fortitudo ne cadant, nobis adiutorium, ut surgamus post casum.

Muri nomine fidei Christianæ munimen designatur, sicut per Job de pravis persecutoribus fidelium dicitur: *Quasi rupto muro, et aperta janua irruerunt super me (Job xxx, 14)*. Quasi enim murus rumpitur, cum pravorum persuasionibus fides quæ in Redemptore nostro est, in quorundam corde dissipatur. Cumque perversis **552** in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? Quasi ergo rupto muro et aperta janua, super bonos mali irruunt, cum accepta temporaliter potestate perversi ipsa quoque in quorundam corde destruere manimen fidei conantur.

(741\*) Muri quoque nomine potest intelligi munitio disciplinæ. Quasi enim rupto muro hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum, vel pravorum hominum persuasionem callida disciplinæ munimenta in corde dissipantur.

(742) Muri nomine impedimentum bene faciendi designatur, sicut in psalmo dicitur: *Et in Deo meo transgrediar murum (Psal. xvii, 30)*. Murus quippe est omne quod itineri nostro obicitur, ne ad eum qui diligitur transeat. Sed murum transgredimur, cum pro amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus.

### CAPUT III.

#### DE MACERIA.

In Scriptura sacra maceriæ nomine, aliquando munitio disciplinæ, aliquando difficultas perfectionis intelligitur.

(742\*) Maceriæ nomine munitio disciplinæ designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa est. (Prov. xxiv, 30)*. Per agrum namque hominis pigri atque per vineam viri stulti transire est cujuscumque vitam negligentis inspicere, et ejus opera considerare. Quam urticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, et punitiones pullulant vitiorum. Quippe, quia scriptum est: In desiderii est otiosus omnis. Maceria autem **553** lapidum destructa erat, id est disciplina Patrum ab ejus corde dissoluta. Nam quia destructam maceriam lapidum dissolutam esse disciplinam vidit, illic protinus adjunxit: *Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam (Prov. xxiv, 32)*.

(743) Maceriæ nomine difficultas perfectionis designatur, sicut sub specie uniuscujusque animæ de infirmante Judæa atque in pravis itineribus gradientes per prophetam Dominus dicit: *Ece ego sepiam*

*A viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos et quæret eos, et non inveniet et dicit: Vadam et revertar ad virum meum priorem: quia mihi bene erat tunc magis quam nunc (Ose. ii, 67)*. Spinis enim electorum viæ sepiuntur, dum dolorem punitionis inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt. Et quasi interposita maceria vis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animæ amatores suos quærant, et non inveniunt, dum sequendo malignos spiritus nequaquam eas, quas appetunt, hujus sæculi voluptates apprehendunt. Bene autem subditur quod ex ipsa mox difficultate dicit: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc*. Prior quippe vir, Dominus est qui castam sibi animam sancti Spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in eis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi quem diligit morderi anima cœperit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plurimum adversitas corrigit. Unde nimis timendum est, ne sequantur prospera cum desiderantur injusta, quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis etiam prosperitate fulcitur.

### 554 CAPUT IV.

#### DE ANTEMURALE.

(743\*) Antemuralis nomine prophetæ designatur, sicut de sanctæ Ecclesiæ ædificatione per prophetam dicitur: *Ponetur in ea murus et antemurale (Isa. xxvi, 20)*. Plurimum enim in sacro eloquio ex protestationis suæ munimen muras dici ipse incarnatus Dominus solet. Ipse enim nobis murus est, qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum incursum vetat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerunt, qui priusquam Dominus appareret in carne ad construendam fidem prophetando missi sunt. In sancta ergo Ecclesia Dominus nobis murus est, et prophetæ ejus antemurale sunt positi, quia ad nos quos ipse perfecte protegit, etiam prophetarum verba in fidei constructionem venerunt. Unde et bene prius murus, et post antemurale ponitur, quia vocati ex gentibus nisi prius Dominum cognosceremus, prophetarum illius dicta minime suscepissemus.

### CAPUT V.

#### DE TURRE.

Turris nomine circumspectio designatur sicut in Cantico sponsæ a sponso dicitur: *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano (Cant. vii, 1)*. Require in cap. de Ducibus lib. iv, supra cap. 10, dist. 2.

Turris altitudinem gratiæ designat, sicut per Je-

(741) Sic Hier. juxta vers. Hebra.

(741\*) Ex eod. lib. et cap.

(742) Ex l. xxvi in Job, c. x.

(742\*) Ex l. xx in Job, cap. xx, 22.

(743) Ex l. xxxiv in Job, c. ii, 1.

(743\*) Ex ho. xiv in Ezech.

remiam prophetam dicitur : *Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam angeli* (Jerem. xxxi, 38). Require in cap. De civita. supra dist. 2.

### 555 CAPUT VI.

#### DE DOMO.

*In Scriptura sacra domus nomine aliquando cœlestis Ecclesia, aliquando corpus Christi, aliquando conscientia, aliquando cœli habitaculum, aliquando virtutum fabrica.*

Domus nomine cœlestis Ecclesia designatur, sicut Salomone templum ædificante aperitur cum dicitur : *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est. Et malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur* (III Reg. vi, 7). Vide l. viii, c. 14.

Domus corpus Christi designat, sicut Salomon dicit : *Sapientia ædificavit sibi domum* (Prov. ix, 1). Sapientia quippe sibi domum condidit, cum unigenitus Dei Filius in seipso intra uterum virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit. Sic namque corpus unigeniti domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur, ita vero ut unus idemque Dei, atque hominis filius ipse sit qui inhabitat ipse, qui habitatur.

(744) Domus nomine conscientia designatur, sicut ad Ezechielem dicitur : *Ingredere et includere in medio domus tuæ* (Ezech. iii, 24). Quid est quod exire propheta ad campum jubetur nisi quod unusquisque qui prædicat, propter eos quos extra se positos corrigit atque ab iniquitate compescit loquendo, ad campum exit ibique gloriam Domini videt? Sed quia semper prædicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque munditiam intus custodire, post campum necesse est ut ad domum redeat quatenus in iis quæ dicit qualis etiam ipse sit intra conscientiam agnoscat. **556** Si enim autem hoc quod loquitur minime custodit, aut de iis quæ loquitur temporalem gloriam quærit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogitando semetipsum ad domum redire contemnit. Accepto etenim spiritu in medio domus includimur, quando per ejus gratiam ad discutienda mentis nostræ secreta revocamur, ut apud seipsum in Deo animus requiescat, et non jam per exteriores concupiscentias in appetitu laudis et gloriæ cogitationis mobilitate discurrat. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam Veritas dicit : *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (Marc. ii, 9). Hinc de perfecta anima dicitur : *Considerat semitas domus suæ, panem otiosa non comedit* (Prov. xxxi, 27) (744'). Semitas quippe domus suæ considerat, qui cunctas conscientia suæ cogitationes subtiliter investigat : Panem otiosa non comedit, quia hoc quod de sacro

eloquio intelligendo percepit, ante æterni judicis oculos exhibendo operibus ostendit.

Domus cœli habitaculum designat, sicut dicitur : *Passer invenit sibi domum* (Psal. lxxxiii, 4). Require in cap. De passere, lib. ii, cap. 12.

Domus virtutum fabricam designat, sicut Salomon dicit : *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (Prov. xxiv, 27). Require in cap. De agro lib. vi, cap. 8, distinct. 3.

### CAPUT VII.

#### DE TABERNACULO.

*In Scriptura sacra tabernaculi nomine, aliquando habitaculum mentis, aliquando corporea habitatio, aliquando cogitationes, aliquando ædificatio terrenæ felicitatis designatur.*

**557** (745) Tabernaculi nomine habitaculum mentis designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Quis mihi tribuat, ut sim, sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo* (Job xxix, 4). Sicut uniuscujusque hominis, sic sanctæ Ecclesiæ ætas describitur. Parvula quippe tunc erat cum a nativitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur : *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* (Cant. viii, 8). Quia nimirum sancta Ecclesia priusquam proficeret, per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præbere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando verbo Dei copulata sancto repleta Spiritu per prædicationis ministerium in filiorum conceptione foetatur, quos exhortando parturit, convertendo parit. De hac ejus ætate Domino dicitur : *Adolescentulæ, dilexerunt te* (Cant. i, 3). Universæ quippe Ecclesiæ, quæ unam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur non jam vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam, non senio steriles, sed ætate mentis ad spiritalem congruæ fecunditatem. Tunc ergo cum in diebus Antichristi Ecclesia quasi quodam senio debilitata per prædicationem parere non valet, reminiscitur fecunditatis antiquæ dicens : *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ quando secreto Dominus erat in tabernaculo meo*. Quid enim hoc loco tabernaculum nisi habitationem mentis accipimus? Per omne namque quod cogitando agimus, in consilio cordis agimus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto illi Deus in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante Dei esse oculos viderat, qui dicebat : *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (Psal. xlviii, 4). Ut ergo demonstret quantum justus profecerit, dicat ex se, dicat ex persona universalis Ecclesiæ : Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.

(745') Tabernaculi nomine corporea habitatio designatur. Sicut legitur quia Hebraicus populus de Ægypti servitute liberatus, cum loquente Deo co-

(744) Ex hom. 12 in Ezech.

(744') Ex cap. 1, 25, l. xxxv in Job.

(745) Ex l. xix in Job, c. ix.

(745') Ex ho. 13 in Ezech. ante finem.

lucanā **558** nubis cerneret, nūsq̄ue in tabernaculi sui foribus stabat et adorabat. Ibi enim stamus, ubi mentis oculos ūgimus. Unde Elias ait : *Vidit Dominus in conspectu cuius sto* (III Reg. xvii, 7). Ibi quippe stabat, ubi cor fixerat. Quid est autem populū columnam nubis aspicere, atque in tabernaculi sui foribus stare, et adorare, nisi quod humana mens cum superiora illa atque cœlestia utcumque in ænigmate conspiciat, jam claustra habitationis corporeæ per sublevatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat? Cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem spiritus miratur. Item quia per tabernaculum corpus intelligitur, docet Job qui de impio loquens ait : *Affligetur relictus in tabernaculo suo* (Job xx, 26). (746) Inquit enim : tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, et si sit possibile, optat ut eam nunquam relinquat. Justī vero quia gaudium suum in spe cœlestium ponunt, eorumque conversatio in cœlis est, cum adhuc in carne sunt, quasi in carne jam non sunt, quia nulla carnis delectatione se pascuntur. Unde et quibusdam dicitur : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (Rom. viii, 1). Neque enim in carne non erant, qui magistri epistolas, exhortationis eloquia suscipiebant; sed quasi jam non in carne esse, est de amore carnalium nihil habere. At contra iniquus iste qui omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitavit. Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit; tunc ejus tormenta evadere, si valeat querit; tunc incipit velle vitare quod amavit. Sed quia eandem carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur : illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti, et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. Quia ergo ejus spiritus carnem quam sibi male amando præposuit, evadere in tormento volet et non valet, recte nunc dicitur : *Affligetur relictus in tabernaculo suo*.

**559** (746\*) Tabernaculorum nomine cogitationes designantur, sicut per Eliphaz dicitur : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiant* (Job xv, 34). Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens inhabitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula devorat, cum æstus avaritiæ cogitationes devastat. Et fit plurimum, ut hypocrita aurum vel quæque bona temporalia ab hominibus accipere contemnat; sed quia hæc non accipit, majores ab eis accipere laudes querat. Et fortasse munus se accepisse non æstimat, quia bona temporalia accipere recusat. Unde sciendum est quia aliquando munus a manu, aliquando ab ore porrigitur. Nam qui

(746) Ex lib. xv in Job, c. xviii, 14.

(746\*) Ex l. xii; in Job cap. xxv, 27.

A nimum tribuit, munus ex manu dedit. Qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Hypocrita itaque etsi exteriora dona quæ terrenæ forsitan necessitati congruant, accipere recusat, plus est quod sibi tribui appetit, cum ultra meritam laudati desiderans munus ab ore querit. Quia ergo in ipso laudis appetitu, nimio cor ardore succenditur, dicatur recte : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt*. Sin vero eorum tabernacula, corpora debemus accipere in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula devorat, quia qui hic in mente ardent igne avaritiæ, illic etiam in carne cremantur ignibus gehennæ.

(747) Tabernaculi nominæ ædificatio terrenæ felicitatis designatur, sicut per Baldad dicitur : *Tabernaculum impiorum non subsistet* (Job viii, 22). Tabernaculum quippe construitur, ut ab æstu corpus et frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicat, ut se a præsentis vitæ necessitatibus quasi ab æstu et imbribus defendant? Honoribus namque excrescere ambiunt, ne despecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabescant. Contemnunt curare quod sequitur et tota intentione satagunt, ne quid in præsentibus desit. Student nomen dilatare ne lateant, etsi cuncta ad desiderium suppetant, munitos **560** se in omnibus et felices putant. Ubi ergo mentis habitationem construnt, ibi procul dubio tabernacula fixerunt. Adversa impatienter perferunt, remisse in prosperis lætantur, sola quæ adsunt cogitant, nec ad affectum cœlestis patriæ ulla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona quæ cupiunt, atque ubi carnis requiescunt, ibi et mentem extinguendo sepeliunt, quia sæcularis curæ telo trucidati terrenarum rerum aggerem quem foras exquirendo multiplicat, hunc semper interius per cogitationem portant. At contra justī nec oblata bona, hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt; sed et cum bonis præsentibus utuntur, ventura mala metuunt, et, dum de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur; sicque temporali foventur subsidio, sicut viator stabulo utitur, lecto pausat, et recedere festinat, quiescit corpore, sed aliud tendit mente. Bene ergo dicitur : *Tabernaculum impiorum non subsistet*, quia vitæ fugientis amatores dum studiose se in præsentibus construnt, repente ad æterna rapiuntur.

## CAPUT VIII.

### DE TEMPLO.

*In Scriptura sacra templi nomine, aliquando anima justī, aliquando corpus Christi, aliquando fidelis populus intelligitur.*

(747\*) Templi nomine anima justī designatur, sicut Isaias, cum se Dominum vidisse fateretur, dicit : *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidit Dominum*

(747) ex l. viii, in Job, xxxii 41.

(747\*) Ex ho. 14, in Ezech. post med.



*sedentem super solium excelsum et elevatum; protinus adjunxit: Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum (Isai. vi, 1).* Quando enim Osias rex superbus ac præsumptor moritur Dominus videtur; quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, **561** tunc mens Domini gloriam contempletur. Et notandum quod Dominus super solium excelsum et elevatum sedet. Quid namque est ejus solium, nisi creatura angelica vel humana, cum per intellectum, quem dedit, præsidet? Quod videlicet solium excelsum, elevatum dicitur, quia et natura humana ad cælestem gloriam elevata proficit, et creatura angelica dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in cælo ne cadat, inde etiam elevata est unde confirmata. Templum vero ejus, hoc est quod solium, quia æternus Rex ibi habitat ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea quæ sub ipso erant, replebant templum, quia quicquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob angelum vidit, et vidisse Deum fatetur; quia cum ministeria ejus conspicimus, jam multum est quod super nosmetipsos levamur. Notandum vero quod dicitur, *implebant templum*, quoniam etsi angelus apparet, infirmæ tamen menti satisfacit, ut si adhuc majus non potest, jam tamen minus, quod videt, admiretur. Ea ergo, quæ sub eo sunt, replent templum, quia cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse, sed id quod sub ipso est contempletur.

(748) Templi nomine corpus Christi designatur, sicut ipsius Christi voce Judæis dicitur: *Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud (Joan. ii, 19).* Ex qua templi resolutione, id est corporis destructione quantus fructus processerit, Bene Samson in semetipso dudum figuratiter expressit, qui paucos quidem, dum viveret, interemit, destruito autem templo, hostes innumeros, cum moreretur, occidit (Judic. xvi). Quia nimirum Dominus ab elatione superbis paucos cum viveret, plures vero, cum templum sui corporis solveretur, exstinxit, atque electos ex gentibus quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit. Pauci quippe ex plebe Israelitica ipso prædicante crediderunt, innumeri vero populi gentium, viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita mortuus stravit.

**562** (748\*) Templi nomine fidelis populus designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et altare ante faciem templi (Ezech. xl, 44).* Quid enim est templum nisi fidelis populus, sicut per Paulum apostolum discipulis dicitur: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos (I Cor. iii, 17)?* Et quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? Qui peccatorum suorum memores lacrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se mundi hujus actionibus miscent,

(748) Ex l. xxix in Job, c. vii.

(748\*) Ex ho. xxii in Ezech.

(749) Ex l. xxviii, in Job, c. vi, 9.

A quæ habeant indigentibus tribuam, et habere quæ non habent non concupiscunt. Recte ergo horum cor altare Dei dicitur, ubi ex mœnore compunctionis ignis ardet et caro consumitur. Nunquid non tales quotidie in sancto hoc fideli populo quasi in templi atrio videmus? Nunquid non nobis eorum vitam ad exemplum propositam indesinenter aspicimus? Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt positi, qui æterni judicii semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant. Qui, ut prædictum est, corporea castigant quatenus hoc quod per magistrum gentium dicitur, impleant: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (Rom. xii, 1).* Hostia quippe occiditur, ut offeratur. Sed hostia vivens est, Domino corpus afflictum. Quod et hostia dicitur, et vivens, quia vivunt in virtutibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo a pravis actibus mortuum; vivens autem quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur.

## 563 CAPUT IX.

### DE FUNDAMENTO.

*In Scriptura sacra cum fundamentum singulariter ponitur, aliquando ipse Dominus, aliquando fideles intelliguntur. Cum vero pluraliter fundamenta dicuntur sancti apostoli designantur.*

(749) Fundamenti nomine ipse Dominus designatur, per cujus potentiam divinitatis, infirmitatis nostræ corda solidantur, sicut Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Jesus (I Cor. iii, 11).* Ipse quippe fundamentum est fundamentorum, quia et origo est inchoantium, et constantia robustorum.

(749\*) Fundamenti nomine fides designatur, sicut per Prophetam dicitur, qui sub Jerusalem specie inimicorum destruentium verba memorat dicens: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (Psal. cxxxvi, 7).* Inimici namque destruentes usque ad fundamentum Jerusalem exinaniant, quando perversi spiritus a corde fidelium destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanivisse, est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse.

(750) Fundamentorum nomine sancti apostoli designantur, sicut voce Domine ad beatum Job dicitur: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? (Job xxviii, 4.)* Quid enim terræ nomine nisi sancta Ecclesia designatur? Quid vero, aliud per fundamenta quam prædicatores accipimus? Quos dum primos Dominus **564** in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit: *Unde et sacerdos cum tabernaculum ingreditur, duo-*

(749\*) Ex l. xxv, in Job, c. x, 15.

(750) Ex l. xxviii, in Job, c. vi, 9.

*de: im lapides portare in pectore jubetur* (Exod. xxviii, A 9), quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaque apostoli et pro prima ostensione ornamenta lapides sunt in pectore, et pro prima soliditate ædificii in solo fundamenta. Unde et David propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus apostolorum mentibus poni ædificarique conspiceret, dixit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (Psal. lxxxvi, 1). Quia igitur fundamenta nostra sunt hi qui iniquitatum nostrarum pondera portaverunt, ne beatus Job in superbiam de virtutum suarum potentia sublevetur, in ipsa Domini prima parte sermonis de sanctorum prædicatorum commemoratione discutitur, ut quanto illos admirabiles venire conspiceret, tanto in eorum comparatione de se vilis æstimaret. Quod idcirco a Domino quasi jam præteritum describitur, quia quidquid foris futurum est in opere, iatus jam factum est in prædestinatione. Dicitur itaque ei: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Ac si aperte diceretur: Virtutem fortium considera, meque eorum ante sæcula auctorem pensa. Ecce eos quos in tempore condidi, mirabiles suspicies, perpende quantum mihi subdi debeas, quem auctorem mirabilium sive temporum esse cognoscis.*

## CAPUT X.

## DE PARIETE.

*In Scriptura sacra parietis nomine, aliquando humanitatis natura, aliquando peccati duritia designatur.*

(750\*) Parietis nomine humanitatis natura designatur, sicut sancta Ecclesia sub sponsæ voce sponsum aperte jam videre desiderans, ait: *En ipse 565 stat post parietem nostrum* (Cant II, 9); qui enim humanis oculis hoc quod de humana natura assumpsit, ostendit, et in seipso invisibilis permansit, in aperto se videre quærentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifesta majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit, ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde illic subditur: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (ibid.); quisquis enim per fenestras vel cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur, sic nimirum Redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens, nil pertulisset ut homo, plane eis apparuisset Deus; et rursus humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, parus putaretur homo. Sed quia et divina fecit, et humana pertulit, quasi per fenestras vel cancellos ad homines prospexit, ut Deus et appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus, et homo cerneretur

ex passionibus, sed tamen ultra nomen ex miraculis agnosceretur.

(751) Parietis nomine peccati duritia designatur, sicut scriptum est: *Ipse ædificabat parietem, illi autem lineabant eum* (Ezech. xiii, 10). Quid enim parietis nomine nisi peccati duritia intelligitur? Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur ut quod illi perverse agentes ædificant, isti adulantes quasi nitidum reddunt.

## 566 CAPUT XI.

## DE PORTA.

*In Scriptura sacra cum porta singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando prædicator sanctus, aliquando Scripturæ sacræ scientia, aliquando fides, aliquando dies judicii, aliquando actio, aliquando exitus ab hac vita signatur. Cum vero pluraliter portæ dicuntur, aliquando exitus ab hac vita, aliquando sancti doctores, aliquando iniqui doctores, aliquando actiones bonæ seu actiones prævæ, aliquando potestates adversæ, aliquando cogitationes prævæ intelliguntur.*

(751\*) Portæ nomine Christus designatur, sicut per Eliphaz de filiis Judaici populi, id est, pravus ejus sequacibus dicitur: *Et conterentur in portam, et non erit qui eripiat* (Job v, 4). Quis enim alius portæ nomine nisi Mediator Dei et hominum debet intelligi? Qui ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur* (Joan. x, 9). Filii igitur hujus stulti extra portam proficiunt et in porta conteruntur, quia prævæ Judæorum soboles ante Mediatoris adventum in legi observatione floruerunt; sed in ipsa Redemptoris nostri præsentia a divinitatis obsequio perfidiæ suæ meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat, qui scilicet dum ipsum Redemptorem extinguere persequendo conati sunt, oblatae sibi remedium ereptionis absconderunt.

567 (752) Potest portæ nomine unusquisque prædicator intelligi: quia quisquis januam regni cœlestis ore suo aperit, porta est: *Unde duodecim portæ vel in Joannis Apocalypsi, vel in extrema Ezechielis prophetæ visione describuntur* (Apoc. xxi).

(752\*) Potest etiam nomine portæ Scriptura sacra non inconvenienter intelligi, quæ dum nobis intellectum aperit, cœlestis regni januam pandit.

(753) Possumus portæ nomine etiam fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad virtutum ædificia intremus.

(753\*) Portæ nomine dies judicii designatur sicut superius per Eliphaz dicitur: *Et conterentur in portam, et non erit qui eripiat* (Job v, 4). Nam sicut urbis aditus porta dicitur, ita est dies judicii porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intramus. Filii ergo hujus stulti ante portam elati sunt, sed in porta conterentur, quia amatores hujus sæculi in præsentia vita superbiunt, sed

(750\*) Ex ho. 13, in Ezech. post. med.

(751) Ex l. xviii, in Job, c. iv, 13.

(751\*) Ex l. vi, in Job, c. ii.

(752) Ex ho. 13, in Ezech. post initium.

(752\*) Ibidem.

(753) Ibidem.

(753\*) Ex l. vi in Job, c. v.

in ipso regni aditu æterna animadversione feriuntur. Bene autem subditur : *Et non erit qui eripiat*. Illos quippe veritas ab æterna adversitate eripuit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui autem nunc renuit premi, tunc non valet eripi, quia iniqui eum quem per disciplinam habere negligunt, patrem, afflictionis suæ tempore per adiutorium non inveniunt ereptorem.

Portæ nomine bona actio designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi (Job xxix, 7)*. Require in capitulo De platea, lib. vi, cap. 11, dist. 1.

(754) Portæ nomine exitus ab hac vita designatur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur : *Stabat autem in porta (Ezech. xl, 5)*. Quisquis in porta stat, ex quadam parte intus est, ex quadam parte foris, quia aliud ejus foris aspicitur, aliud intus absconditur. **568** Redemptor itaque noster qui per eundem virum intelligitur, pro nobis misericorditer incarnatus, ante humanos oculos quasi in portastetit, quia et per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem per divinitatem servavit.

Vir itaque qui apparuit in porta stetit, etque ita locutus est, quia Mediatur Dei et hominum homo Christus Jesus in ipso quoque passionis suæ tempore præcepta vitæ discipulis dedit, ut hi qui in eum credunt, ad portam respiciant et passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu, cordis oculos non avertant. Nos quoque cum jam claustra carnis despiciere, mortalitatis nostræ angustias per immortalitatis desiderium transire, ad supernæ lucis libertatem tendere, ad cælestis patriæ gaudia anhelare cœperimus, ad portam oculos tenemus, quia dum a sacramentis temporalibus transire ad æterna cupimus, quasi jam præsentis vitæ terga dedimus, et cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Scriptum quippe est : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensuum multa cogitantem (Sap. ix, 15)*. Etsi igitur per contemplationem mentem jam extra carnis angustias tendimus; adhuc tamen in sacramentis quæ cognovimus, ipsa carnali angustia, intra portam tenemur. Sæpe namque animus ita in divina contemplatione suspenditur, ut jam se percipere de illa æterna libertate, quam oculus non vidit, nec auris audivit, aliquid per quamdam imaginem lætetur. Sed tamen reverberatus pondere mortalitatis ad ima relabatur, quibusdam poenæ suæ vinculis ligatus tenetur. Portæ igitur intendit, qui veræ libertatis suæ gaudia conspiciat, jamque exire concupiscit.

Portarum nomine sancti doctores designantur, sicut venienti Ecclesiæ per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Eccæ ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris : Et ponam jaspidem propugnaculata, et portas in lapides sculptos (Isa. lrv, 12)*. Re-

(754) Ex ho. 13 in Ezech. post med.

(754\*) Ex l. xxxiii in Job, c. xxiii, 29.

(755) Ex l. xix in Job, c. xi, 13.

quire in capitulo de lapidibus, lib. x, cap. 2, dist. 6.

(754\*) Portarum nomine iniqui doctores designantur, sicut voce Dominica ad beatam Job de diabolo **569** sub nomine Leviathan interrogando dicitur : *Portas vultus ejus quis aperiet (Job xli, 5)*. Portæ quippe ejus sunt iniqui doctores. Qui idcirco portæ vultus ejus vocati sunt, quia per ipsos quisque ingreditur, ut Leviathan iste, id est diabolus quasi in potestatis suæ principatu videatur. Sicut enim Scriptura sacra sanctos viros portas Sion vocare consuevit, Sion quippe speculatio interpretatur, et non immerito prædicatores sanctos portas Sion dicimus, quia per eorum vitam atque doctrinam abscondita supernæ contemplationis intramus : ita etiam per portas Leviathan istius errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio perversa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Ait ergo : *Portas vultus ejus quis aperiet?* Subaudis, nisi ego qui clectis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos perspicua cognitione manifesto.

(755) Portarum nomine actiones bonæ seu pravæ designantur sicut per Psalmistam dicitur : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion (Psal. ix, 14)*. Portæ quippe mortis sunt actiones pravæ, quæ ad interitum trahunt. Quia autem Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

(755\*) Portarum nomine potestates adversæ designantur, sicut voce Dominica sub interrogatione beato Job dicitur : *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis? (Job xxxviii, 18)*. Portæ quippe mortis sunt potestates adversæ, quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superavit.

(756) Possunt autem portarum nomine cogitationes pravæ intelligi, quas Deo pandimus quando eas in poenitentia flendo confitemur. Quas etiam non confessas intuetur, sed confessas ingreditur. Tunc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando solutis pravæ cogitationibus ad nos post confessionem venit. Quæ portæ mortis idcirco vocatæ sunt, quia profecto via ad interitum per iniquas semper cogitationes aperitur.

## 570 CAPUT XII

DE LIMINE.

*In Scriptura sacra liminis nomine aliquando patres testamenti novi, aliquando Scriptura sacra, aliquando unusquisque.*

(756\*) Liminis nomine Patres Testamenti Novi designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et mensas est limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno (Ezech. xl, 8)*. Dum enim lineum quod modo describitur, juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, aperte ostenditur, quia limen quod prius scriptum est, extrinsecus fuit. Sed si

(755\*) Ex l. xxix in Job, c. vii, 6.

(756) Ex l. sup. c. viii. by Google

(756\*) Ex ho. 14 in Ezech.

porta est Dominus, quod sit limen portæ intrinsecus et quod extrinsecus, requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur : et quæ hæc duo limina nisi Patres testamenti veteris et Patres testamenti novi sunt? Non solum quippe hi, de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes testamenti veteris Patres portæ hujus limen fuerunt, quia hi qui eum prædicare et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt adiutum fidei, ut omnis qui crediderit Dominum, jam portam hujus liminis intraret. Sed cur ante limen exterius, et post limen interius dicitur, nisi quia prius testamenti Veteris Patres, et postmodum testamenti novi doctores fuerunt? Recte autem limen exterius testamenti veteris Patres designat, quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt. Per dicta vero novorum Patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt. Isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid **571** nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde et ipsa Veritas loquitur dicens : *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides : Qui autem occiderit reus erit iudicii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio* (Matth. v, 21). Recte quoque exterius limen illos Patres designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt; et quidem ab Abel passio jam cœpit Ecclesiæ : et una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (Luc. x, 14), antiquis Patribus quasi foris stetisse, et Redemptoris nostri præsentiam, corporaliter non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, prædicatione ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos adhuc præstolando, sed jam habendo conspiciamus.

(757) Si vero portam per Scripturam sacram hoc in loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet interius et exterius. quia in littera dividitur, et allegoria. Quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine quod est exterius ad hoc quod est interius venimus. Et sunt in ea permulta quæ juxta litteram mentem ædificant, ut per hoc quod interius agitur, audientis animus interius trahitur. Ibi quippe invenimus prædicamenta operis, et exempla virtutis : ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus. Ibi hoc quod ad operandum præcipitur, ut sanctorum ac fortium virorum actione monstratur, ut postquam nos apertiora præcepta atque exempla justorum ad bonam operationem instruunt,

(757) Ex ho. sup.

(758) Ex huc ho. super.

A tunc ad limen interius, id est intellectum mysticum intimæ contemplationis tendamus, si possumus, pedem mentis. Notandum vero quod limen portæ uno calamo mensuratur. Calamus autem in sex cubitis et palmo tenditur, quia videlicet in sacra Scriptura doctrina perfectæ operationis, et initium superne contemplationis invenitur

**572** (758) Si vero porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen autem interius vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide; per hæc vero festinatur ad speciem. Illa exterius ducit, ut unusquisque bene vivere debeat : ista interius perducit ut ex bona vita ad gaudia æterna pertingatur.

### CAPUT XIII.

#### DE SUPERLIMINE.

(759) Superliminaris nomine mentis intentio, quæ præminet actioni, designatur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur : *Sumet de sanguine agni, et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum* (Exod. xii, 7). Quis namque sit sanguis agni, non jam audiendo sed bibendo didicimus. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste agni sanguis est positus, quando sacramentum passionis illius, cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius, nec dum velit, in uno tamen poste sanguinem posuit, qui etiam superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritaliter domos nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? Cujus domus superliminare, est ipsa intentio quæ præminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit; vel certe domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus habitamus; et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus.

### 573 CAPUT XIV.

#### DE OSTIO.

D In Scriptura sacra ostii nomine, cum singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando fides seu visio Dei, aliquando initium cognitionis divinæ, aliquando intellectus, aliquando exitus designatur. Cum vero pluraliter ostia dicuntur, aliquando desideria carnalis concupiscentiæ, aliquando sancti prædicatorum, aliquando claustrum divini timoris, aliquando virtutes intelliguntur.

Ostii nomine Christus designatur, sicut ipse in Evangelio testatur dicens : *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur* (Job x, 1).

Ostii nomine fides seu visio Dei designatur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur : *Et mensus est ostium contra ostium* (Ezech. xl, 13).

(759) Ex ho. 22 in Evang. circiter medium.

Hoc loco, contra, non ad adversitatem ponitur, sed ad rectitudinam. Ostium enim contra ostium est, cum recto itinere ab exteriori ad interioram aditum pervenitur. In cognitione vero omnipotentis Dei primum ostium nostrum fides est, secundum vere species illius ad quam per fidem ambulando pervenimus. In hac etenim vita hanc ingredimur, ut ad illam postmodum perducamur: ostium ergo contra ostium est, quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei.

(760) Ostii nomine initium cognitionis divinæ designatur, sicut sacræ historiæ verbis ostenditur, cum de cognitione Dei propheta Elias edocetur, **574** cui cum transiturum ante eum se Dominus promitteret dicens: *Ecce Dominus transit, spiritus grandis et fortis subvertens montes, conterens petras ante Dominum*, illico adjunxit: *Nos in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio, non in commotione Dominus. Et post commotionem, ignis, non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ lenis* (III Reg. xix, 11). Spiritus quippe ante Dominum evertit montes, et petras conterit, quia pavor qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquescit. Sed spiritui commotionis et ignis non inesse Dominus dicitur, esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspiciere prævalet, Deus non est; cum vero subtile aliquid conspiciat, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit; quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subitiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur: *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et ingressus stetit in ostio spelunçæ* (III Reg. xix, 13). Post auræ tenuis sibilum vultum suum propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo contegatur, agnoscit, Vultui namque pallium superducere, est ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui hæc agens in spelunçæ ostio stetit describitur. Quid namque spelunçæ nostra est nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione Divinitatis incipimus, quasi jam in spelunçæ nostræ ostio stamus. Quia enim progredi perfecte non possumus, cogitationem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo spelunçæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo ad cognitionem veritatis incipere exire.

**575** (761) Ostii nomen intellectum designat.

(760) Ex l. v in Job, c. xxvi.

(761) Ex homil. 20 in Ezech. circiter medium.

A sicut per Ezechielem dicitur: *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum* (Ezech. xl, 38). Gazophylacia sunt corda doctorum quæ scientiæ divitias servant. Frontes autem portarum sunt verba atque opera prædicatorum, in quibus eos foris agnoseimus, quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per singula gazophylacia in frontibus portarum in quos unusquisque doctoris corde auditoris intellectum aperit in dictis operibus Patrum. Cum enim Petri apostoli prædicationem discutimus, cum Pauli verba perscrutamur, cum Joannis Evangelium investigamus, atque ex eorum verbis auditores nostros ad interioram intellectum trahimus, quid aliud agimus, nisi ostium in portarum frontibus aperimus? Dicatur ergo: *per singula gazophylacia*. Ostium in frontibus portarum, quia si doctor hoc quod loquitur apostolorum dictis minime confirmat, in frontibus portarum ostium non habet. Et si ostium non habet, dici jam gazophylacium spiritualis ædificii non potest: quem si intellectum non aperit, doctor non est.

Ostii nomine exitus designatur, sicut scriptum est: *Cum egredietur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, aspiciebat terga ejus, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui* (Exod. xxxiii, 8). Cum enim sanctus quisque prædicator alta de Deo loquitur, supernæ habitationis jam utcumque tabernaculum ingreditur. Cujus prædicationis infirmi quique etsi virtutem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt; quem postrema, quæ prævalent per intellectum sequuntur. Sed in ipsis quoque minimis quæ capere sufficiunt, jam de suis papilionibus quasi exeunt atque in ostiis stant; qui et habitacula carnis relinquere, et ad illa æternæ vitæ gaudia quæ audiunt, progredi conantur (Isa. xxvi).

Ostiorum nomine desideria carnalis concupiscentiæ intelliguntur, de quibus per prophetam dicitur: **576** *Intra in cubicula tua, claude ostia tua* (Isa. xxvi, 26). Cubicula quippe ingredimur, cum secreta nostræ mentis intramus. Ostia autem claudimus cum desideria illicita coercemus.

(762) Ostiorum nomine sancti prædicatores designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulva procedens?* (Job xxxviii, 8.) Quid enim mare nisi sæculum, quid vulvam nisi conceptum carnalia cogitationis accipimus? Hoc enim loco vulvæ nomine occulta et malitiosa carnalium cogitatio designatur. Quæ videlicet vulva non ad proferendam prolem concipit substantiam corporis, sed ad explendam nequitiam causam doloris. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur: *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (Psal. vii, 15). Per hanc vulvam pravi quam concipiunt pariunt, cum mala cogitant. Per hanc vulvam, cum mala quæ cogitaverint, operantur. Erumpebat ergo mare quasi de vulva proce-

(762) Ex lib. xxviii in Job, cap. 8, 15.

dens, cum miseriarum sæcularium fructus de carnali iniquitate concepti, in sanctæ Ecclesiæ interitum sævirent. Sed auctore Deo ostiis hoc mare conclusum est, quia contra tumores persequentium sancti viri quasi quædam ostia oppositi sunt, ut eorum miraculis atque reverentiâ iræ persequentium frangerentur. Humilitatis quippe Dominus terrenis principalibus, per eos sanctam Ecclesiam supra mundi culmen erexit, et sævientes maris impetus erecta ejusdem Ecclesiæ potestate coercuit. (763) Quia enim sancti doctores prædicatione quidem sequentibus aperti sunt, auctoritate autem sua resistantibus clausi non immerito ostia vocantur, id est aperta conversationi humilium, et clausa terroribus superbiorum. Non immerito ostia vocantur, quia et ingressum regni fidelibus aperiant, et rursum sese perfidis, ne ingrediantur, opponunt.

Ostiorum nomine claustra divini timoris designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Quis concludit ostiis mare?* (Job xxxviii, 8.) Require in cap. De mari, lib. vii, c. 3, d. 5.

Ostiorum nomine virtutes designantur, ut Job insinuat dicens : *Et posui ostia et vectes, et dixi : Hucusque venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (Job xxxviii, 10, 11). Require in capitulo De fluctibus, lib. vii, cap. 15, dist. 1.

## 577 CAPUT XV.

### DE FENESTRIS.

In Scriptura sacra fenestrarum nomine, aliquando prælati sanctæ Ecclesiæ, aliquando sensus corporis, aliquando mentes contemplativæ designantur.

(764) Fenestrarum nomine prælati sanctæ Ecclesiæ designantur, sicut propheta revelatione ultima templum videns, quæ in eodem templo conspexerit, inter cætera narrat dicens : *Terra usque ad fenestras, et fenestræ clausæ* (Ezech. xli, 16). Paulus quippe apostolus dicit : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I Cor. iii, 17). In hoc autem templo fenestræ sacerdotes et speculatores sunt qui in populo fidei lumen prædicationis fundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt.

(765) Fenestrarum nomine sensus corporis designantur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras* (Jerem. ix, 21). Cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori, quædam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus et tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, et eorum quæ extrinsecus sunt substantiam concu-

(763) Ex cap. 9, lib. super 16.

(764) Ex fine homil. 11 in Ezech.

aspicit. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit ; respiciens concupiscit. Bene ergo dicitur : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*. Mors quippe per fenestras ascendit, et domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum mentis intrat. Quo contra de justis per Isaiam dicitur : *Qui sunt hi qui ut nubes volant : et quasi columbæ ad fenestras ?* (Isai. lx, 8.) Vide l. i, c. 12, dist. 6.

**578** (766) Fenestrarum nomine mentes contemplativæ designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et fecit fenestras obliquas in thalamis : et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum* (Ezech. xl, 16). Per thalamos quippe intelliguntur corda Dei amore ferventia. In fenestris autem obliquis pars illa per quam lumen intrat, angusta est ; secundum pars interior quæ lumen suscipit, lata. Quia nimirum mentes contemplantium, quamvis aliquid tenuiter de vero lumine videant in semetipsis, tamen magna amplitudine dilatantur. Quæ videlicet et ipsa quæ aspiciunt capere pauca vix possunt. Exiguum valde est quod de æternitate contemplantes vident, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmento fervoris et amoris. Et inde apud se amplæ sunt, unde ad severitatis virtutis lumen quasi per angustias admittunt. Quæ magnitudo contemplationis, quia concedi non nisi amanti-bus potest, in thalamis fenestræ obliquæ esse memorantur, vel in his quæ juxta thalamos non jam extrinsecus, secundum intrinsecus esse dicuntur. Nam de eisdem fenestris subditur : *Et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum*. Erant enim in thalamis fenestræ, erant et in frontibus eorum, quæ intra portam undique per circuitum fuerant constructæ ; quia qui intus cor habet ipse quoque lumen contemplationis suscipit, hæc paulo inferius. Notandum vero quod intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur, et minimis non datur ; secundum sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpe remoti, aliquando eam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet illustrari etiam lumine contemplationis potest : quem intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate gloriatur. Nullus igitur se donum veri luminis æstimet habere privatum, quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est diior quem habere apud se boni aliquid non putat.

## 579 CAPUT XVI.

### DE COLUMNIS.

In Scriptura sacra columnarum nomine, aliquando quælibet contra diaboli tentamenta fortis, aliquando

(765) Ex lib. xxi in Job, cap. 2 in initio.

(766) Ex lib. ii in Ezech. hom. 17.

*angelicæ virtutes, aliquando summi Ecclesiæ prædicatores, aliquando evangelistæ designantur.*

(767) Columnæ nomine quilibet contra diaboli tentamenta fortis designatur, sicut in Apocalypsi a Domino dicitur : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei (Apoc. iii, 12).* Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur : ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit, et decori.

(768) Columnarum nomine virtutes, vel summi Ecclesiæ prædicatores designantur, sicut per Job dicitur : *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus (Job xxvi, 11).* Quid enim aliud columnas quam cæli vel sacrosanctos angelos vel summos Ecclesiæ prædicatores appellat super quos in cælestibus crescens universa spiritualis fabricæ structura surrexit? Eos quippe columnas cæli Job nominat quos Apostolos columnas Ecclesiæ vocat, dicens : *Petrus et Jacobus, et Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi (Galat. ii, 9).* (769) Sed quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit quo nos Conditor moderamine judiciorum regit. Dicat ergo : *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* : quem in plerisque nec ipsi pertingere ad voluntatis ejus celsitudinem prævalent, qui ejusdem voluntatis præmia denuntiantes vident. Quod sicut superius diximus, de sanctis quoque angelis nil obstat intelligi, quia ipsæ quidem virtutes cælestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed eisdem tremor ne oculis sit, non timoris est, sed admirationis.

**580** (770) Columnarum nomine evangelistæ designantur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Facies columnas quatuor, et bases earum vesties argento (Exod. ii, 13).* In argento enim quid aliud quam claritas divini sermonis accipitur? sicut scriptum est : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (Psal. xi, 7).* Et quid aliud bases nisi sanctæ Ecclesiæ doctrinæ intelligimus? Bases ergo argento vestitæ quatuor columnas tabernaculi sustinent, quia prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut cunctis se exemplum præbeant, quatuor evangelistarum dicta et ore et operibus portant.

## CAPUT XVII.

### DE BASIBUS.

*In Scriptura sacra basium nomine, aliquando sanctæ Ecclesiæ doctores, aliquando prophetæ, aliquando intentiones animæ intelliguntur.*

(771) Basium nomine sanctæ Ecclesiæ doctores designantur, sicut ad beatum Job voce Dominica de sanctæ Ecclesiæ constructione dicitur : *Super quos bases illius solidatæ sunt (Job xxxviii, 5).* Quid enim aliud per bases, quam sanctæ Ecclesiæ docto-

res accipimus? In lasibus quippe columnæ, in columnis autem totius fabricæ pondus erigitur. Non ergo immerito doctores sancti basium nomine designantur, quia dum recte prædicant et prædicationi suæ vivendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa morum suorum gravitate sustentant, asperas ab insidelibus tentationes ferunt, et quæ in præceptis Dei velut difficilia a fidelibus formidantur, exemplis operum facilia ostendunt.

Possunt per bases etiam prophetæ signari : qui dum primi aperte de Dominica incarnatione locuti **581** sunt, quasi quasdam bases eos conspiciamus a fundamento surgere, et superpositæ fabricæ pondera sustinere. Unde ad Moysen Dominus rursus, cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, *Fundi earum bases argenteas jubet (Exod. xxvi, 19).* Quid enim per tabulas nisi apostoli extensa in mundum prædicatione dilatati ; quid per bases argenteas, nisi prophetæ signantur? qui super impositas tabulas ipsi firmi ac fusiles sustinent. Apostolorum namque vita, dum eorum prædicatione instruitur, eorum et auctoritate solidatur. Nec immerito bases quibus prophetæ signantur, ut ex argento debeant fundi, præcipitur. Argenti quippe claritas ex usu servatur ; sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum autem dicta ante Mediatoris adventum, quia in usu spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant. At postquam Mediator veniens ea ante oculos nostros, incarnationis suæ manu tersit, quidquid lucis in eis latebat, inclaruit, sensusque patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit. Sive itaque prophetas seu doctores extremis temporibus subsequentes basium appellatione significet, dicat : *Super quos bases illius solidatæ sunt? (Job xxxviii, 5.)* Subaudis, nisi super me qui cuncta mirabiliter teneo, et bonis exterioribus intus principaliter originem præsto? Qui enim sibi tribuit quod bonus est, solida basis non est : quia dum fundamento non innititur, ipso suo pondere in ima præcipitatur.

(772) Possunt quoque per bases moraliter intentiones animæ designari. Vigilanti namque cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est : ut nil temporale in his quæ agit appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat : ne si extra fundamentum, actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur. Unde bene dicitur : *Super quos bases illius solidatæ sunt?* Bases quippe uniuscujusque animæ sunt intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, ita in virtutibus vita nostra, virtutes vero in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est : *Fundamentum aliud nemo potest 582 ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I Cor. iii, 11).* Tunc bases in fundamento sunt,

(767) Ex lib. vii, in Job, c. xvii, 14.

(768) Loco supradicto.

(769) Hæc post medium sun

(770) Ex l. xxviii, in Job, c. vi, 9.

(771) Paulo ante prædicta.

(772) Ibidem, ante finem cap

et intentiones nostræ in Christo roborantur. Quia igitur intentiones electæ uniuscujusque animæ spei æternitatis innituntur, recte de anima fidei dicitur: *Super quo bases illius solidatæ sunt?* Ac si aperte diceret: nisi super me, cui dum justa quæque anima intendit omne quod temporaliter facit, in me procul dubio non temporaliter construit.

## CAPUT XVIII.

## DE THALAMO.

(773) Thalami nomine vel sancta Ecclesia vel quilibet Deum valde amans anima designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et mensus est thalamum uno calamo in longum, et uno in latum* (Ezech. xl, 7). Consideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hic quod in sancta Ecclesia agitur colligamus. In thalamo quippe sponsus et sponsa fœderantur, sibi in amore junguntur. Thalamus itaque Dei recte dicitur sive sancta Ecclesia, seu perfecta anima, quæ ita per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem penam deputet, exire festinet et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere. Mens ergo quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illa quæ diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatu vilis ei sit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris: unde et in Canticis dicit: *Vulnerata charitate ego sum* (Cant. ii, 4). Pensemus qualiter thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: *Mihi vivere Christus est, et mari lucrum* (Philipp. i, 4). Omnipotenti Deo in quanto amore se conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dicit: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo; multo enim magis melius* (ibid., 23). Sed ecce, qui dissolvi desiderat, quo amore langueat videamus. Qui interim te differri conspicimus, *Fulciri, quæso, floribus, non requiris?* (Cant. ii, 5). Quærit plane. Nam sequitur: *Permanere autem in carne* **583** *necessarium propter vos* (Philipp. i, 24), et proficientibus discipulis dicit: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum?* (I Thess. ii, 19.) Hinc est quod idem thalamus uno calamo in longum, et uno in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem expectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo thalamus habet in longitudine quantum in latitudine habere potuerit, quia mens cœlesti desiderio succensens, quantum amorem habuerit ad colligendum proximum tantum, longanimitatem exhibet ad expectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis, quia se in profectu proximi dilatata amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem

patientiæ quæ exhibetur proximo, designare. Et quia latitudo charitatem signat, quæ sinum mentis aperit et amicos simul atque inimicos in amorem recipit: tanta est longitudo charitatis, quanta est latitudo thalami, quia quantum mens lata fuerit per amorem, tantum et longa erit per longanimitatem. Nam tantum quisque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas: si desistis amare, desistis tolerare.

(774) Thalami nomine uterum virginis Mariæ designatur, sicut de incarnatione Redemptoris nostri per Psalmistam dicitur: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (Psal. xviii, 6). Tanquam sponsus quippe Redemptor noster de thalamo suo processit qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus de incorrupto utero virginis exivit.

## CAPUT XIX.

## DE GAZOPHYLACIIS.

(775) Gazophylaciorum nomine corda doctorum designantur, sicut Ezechiel propheta dicit: *Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum* (Ezech. xi, 5). Quia sermone Græco *φύλακτον* servare dicitur et gazæ lingua Persica divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, in quo divitiæ servantur.

**584** Quid itaque sunt gazophylacia ex initio nisi corda doctorum sapientiæ atque scientiæ divitiis plena, quia juxta Pauli vocem: *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in eodem spiritu* (I Cor. xii, 8). Sunt enim quidam, qui per donum gratiæ, et ipsa intelligunt quæ exponi a doctoribus non audierunt. Hi nimirum sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam, qui per se ipsos intelligere audita nequeunt; sed ea, quæ in expositoribus legerint, retinent, atque scienter proferunt quæ lecta didicerunt. Unde itaque isti nisi sermone scientiæ pleni sunt? Quanvis hoc intelligi et aliter possit: quia sapientia ad vitam, scientia vero ad doctrinam pertinet. Qui ergo bene vivit et prudenter prædicat gazophylacium spiritualis ædificii recte nominatur, quia ab ejus ore cœlestes divitiæ dispensantur. His divitiis abundare discipulos idem magister gentium viderat, cum dicebat: *Divites facti estis in omni verbo, et in omni scientia* (I Cor. i, 5). (776) Qui ergo has in se veras divitias continent, recte gazophylacia nominantur. *Et habent gazophylacia pavimentum per circuitum*, quia eis adhæret ac subjacet humilitas auditorum. Quod pavimentum recte stratum lapide in atrium dicitur: quia in latitudine charitatis vicissim sibi junctæ sunt fideles animæ. Quæ et lapides appellantur pro fortitudine fidei, et structæ sunt in pavimento in compage humilitatis.

(773) Ex ho. 15 in Ezech. longius ante medium.  
(774) Ex ho. 38 in Evang. post princi.

(775) Hom. 18 in Ezech.  
(776) Paulo post D. Pauli verba hæc sunt.



## CAPUT XX.

## DE VESTIBULO.

*In Scriptura sacra vestibuli nomine, aliquando humilitas, aliquando fides designatur.*

Vestibuli nomine humilitas designatur, sicut per Ezechielem de porta quæ respiciebat ad aquilonem, dicitur: *Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ erant secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem (Ezech. xl, 22)*. Per orientem **585** namque signantur hi, qui in innocentia post conversionem, qua nati sunt, perstiterunt. Per aquilonem vero hi qui in peccatis lapsi sunt, exprimentur. Per portam quoque regni cœlestis aditus intelligitur. Per fenestras autem contemplatio, per vestibulum humilitas, per sculpturam bona operatio designatur. Porta ergo ad aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturas bonæ operationis (777). Omnes namque, qui per hoc quod in conversatione nati sunt, in innocentia perstiterunt portam ad orientem habent, quia eis cœlestis regni aditus patet ex lumine, quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi, corporis sui frigore sunt depressi, sed per pœnitentiam redeunt ad amorem cœlestis patriæ, et recalescunt, portam ad aquilonem habent, quia etiam eis post peccati frigus regni aditus per misericordiam patet. Ea ergo habere dicitur porta ad aquilonem, quæ habet porta ad orientem, quia et conversi peccatores sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt divites qui cadere in peccati pœnitentiam vitaverunt: unde et Psalmistæ voce per Dominum dicitur: *Cinerem sicut panem manducabam (Psal. ci, 40)*. Quia sic pœnitentes recipit, ut justos. Scriptum quippe est de peccatoribus: *Olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent (Math. xi, 21)*. Cinis ergo sicut panis comeditur, quando auctori suo peccator per pœnitentiam sicut innocens revocatur. Porta igitur ad aquilonem habet fenestras, habet vestibulum, habet et sculpturas, quia, cum peccator ad vitam post culpas reducitur, sæpe lumen contemplationis accipit; atque de ipsa memoria iniquitatis quæ gratiam maguæ humilitatis, bonæ quoque operationis efficaciam, ut omne quod fieri præcipitur, in vita ejus quasi sculptum esse videatur.

(778) Potest quoque per vestibulum fides intelligi: unde bene subditur: *Septem vero gradibus erat ascensus ejus, scilicet portæ et vestibulum, ante eam (Ezech. xl, 22)*. Septem quidem gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti spiritus septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur; vestibulum quoque ante gradus et **586** porta est, quia prius ad fidem venimus, et postmodum per spirituum donorum cœlestis vitæ aditum intramus. Non virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cujus elemosynæ ante baptismum angelo attestante lau-

**A** datæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam et ei per angelum dicitur: *Orationes tuæ et elemosynæ ascenderunt in conspectum Dei (Act. x, 2)*. Si enim Deum vere et ante baptismum non crederat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod omnipotens ejus Filius incarnatus esset ignorabat. Neque poterat bona agere nisi ante credidisset. Scriptum namque est: *Sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. xi, 6)*. Fidem ergo habuit, cujus orationes et elemosynæ placere potuerunt. Bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perveniret. Per fidem venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Vestibulum itaque ante gradus est, quia qui prius credidit, ipse post virtutum gradibus ad portæ aditum ascendit.

## CAPUT XXI.

## DE ATRIO.

*In Scriptura sacra, atrii nomine, aliquando latitudo regni cœlestis, aliquando latitudo vitæ præsentis, aliquando latitudo charitatis, aliquando contemplatio, aliquando latitudo æternæ vitæ designatur.*

(779) Atrii nomine latitudo regni cœlestis designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et porta atrii interioris contra portam aquilonis, et orientalem (Ezech. xl, 19)*. Per portam quippe aditus, per atrium interius, regni **587** cœlestis secretum; per orientem Judaicus populus, seu quilibet justus; per aquilonem vero gentilis populus seu peccator quilibet pœnitens designatur. Contra quoque hoc loco, non pro adversitate ponitur, sed pro rectitudine. Ita enim porta interioris atrii posita monstrabatur, ut porta aquilonis et orientis perfecto ad eam aditu tenderet. Quid est ergo quod porta interioris atrii recto itinere posita contra portam, aquilonis et orientis ostenditur, nisi hoc quod aperte datur intelligi quia sine Judaico populo et gentili, seu justis et peccatoribus, sed post peccata conversis æquo aditus regni cœlestis aperitur? Larga enim est misericordia Creatoris nostri. Et porta interior non

**D** solum portam orientis respicit, sed etiam aquilonis, quia non solum iis qui in innocentia permanent; sed etiam peccatoribus peccata sua pœnitendo damnantibus aperiantur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscat, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Hæc æterni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum? quando veniam et apparebo ante faciem Domini? (Psal. xli, 3.)*

Atrii nomine latitudo vitæ præsentis designatur, sicut per eundem Ezechielem dicitur: *Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine*

(777) Ex ho. 19, in Ezech. longe ab initio.

(778) Ex hom. superiori,

(779) Ex ho. sup.

(*Ezech. xl, 5*). Porta enim viam aquilonis respicit, cum prædicator quisque vitam peccatoris agnoscit, eique interiora vitæ per verbum prædicationis aperit. Quæ porta atrii exterioris dicitur; exterius quippe atrium est vita præsens, in qua omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiam videtur. Quæ tam in longitudine, quam in latitudine mensuratur, quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est ut ejus doctor consideret vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex ejus admonitione proficiat. Qui enim ad Deum convertitur, si adhuc bona vitæ præsentis sperat, longitudinem non habet, quia brevis est vita, in qua spem posuit. Si per terrenarum rerum concupiscentiam, et adhuc proximi odio coangustatur, **588** latitudinem non habet, quia nescit vel transitoria contemnere vel se in proximi amore dilatare. Cum vero conversus quisque æternæ vitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias charitate tolerat, et ea quæ non habet concupiscere contemnit: longitudinem, et latitudinem porta habet, quia gloria prædicatoris, est profectus auditoris. Unde quibusdam per magnum prædicatorem dicitur: *Gaudium meum et corona mea (Philip. iv, 1)*, et rursus: *Ecce nunc vivo, si vos statis in Domino (I Thess. iii, 19)*. Atque iterum: *Quæ est nostra spes, aut gaudium? Nonne vos ante Dominum? (ibid.)* Longitudo ergo et latitudo portæ est, quæ ad aquilonem respicit; quia, cum infidelem quempiam et in peccati sui frigore torpentem prædicator ad fidem convertit, per hoc quod cum in longitudinem spei tendit, et in amplitudinem charitatis dilatat, ejus gloriam facit.

(780) Atrii nomine latitudo charitatis designatur, sicut per eundem Ezechielem dicitur: *Et fecit frontes per sexaginta cubitos: et ad frontem, atrium portæ undique per circuitum (Ezech. xl, 9)*. Sæpe jam diximus senario numero perfectionem boni operis designari, non illud sequentes quod conati sunt hujus sæculi sapientes struere, dicentes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, senarius numerus impleatur; vel quia in tribus partibus dividitur, id est, sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno duobus et tribus; sed idcirco senarium numerum esse perfectum, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Quoniam vero peccatori homini legem dedit quæ in decem præceptis scripta est, et sex decies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos honorum operum perfectio designatur: fecit itaque frontes per sexaginta cubitos. Etenim per sexagenarium numerum perfectio: quid per frontes ædificii, nisi ipsa opera designantur, quæ videntur exterius? Prædicationis enim verbum tribuere, alimenta esurientibus, vestimenta algentibus dare, et pro bono opere adversa tolerare: quid aliud sunt quam frontes ædificii cœlestis? Quia

(780) Ex hom. 17 in Ezech.

(781) Isthæc paulo inferius a super scripta sunt.

(782) Ex ho. 18 in Ezech.

pulchritudo operum exteriorum ornat **589** habitaculum Dei quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent atrium undique per circuitum, quia in hoc magna sunt opera si hæc in mente dilatata amplitudo charitatis de charitate, quippe scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis (Psal. cxviii, 25)*. De hac iterum: *Statuisti in loco spatioso pedes meos (Psal. xxx, 9)*. (781) Atrium ergo ante frontes ejus in perfectione operis est latitudo dilectionis. Et notandum quod dicitur: undique per circuitum, ut videlicet homo per omne quod agit semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor, aut odium angustent. Si quis ergo de verbo Dei loquitur, et charitatem quam prædicat in mente non servat, ædificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Si quis elemosynam largitur, et per hanc fortasse in corde extollitur, nec ex charitate proximi inopiæ subvenit, sed se elatione tacita extollit, frontem quidem in ædificio ostendit, sed juxta frontem atrium non fecit. Si quis illatas a proximo contumelias tolerat, et mala objecta tacitus portat, magna est patientia quam demonstrat si dolorem in corde non habeat, si lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis, etiam ipsum qui male excesserat, quærat. Nam si patientiam exterius adhibens, intus dolorem tenet, nec amat eum quem sustinet: habet quidem frontem in ædificio, sed ante frontem atrium non habet, quia is qui se angustia odiorum subdidit, profecto charitatis latitudinem amisit. Patientia enim vera est quæ et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse non est virtus mansuetudinis sed velamen furoris. Porta quippe nostra est aditus ad regnum: et Dominum ac proximum perfecte amare, jam ad ingressum regni est tendere.

(782) Atrii nomine designatur contemplatio, sicut iterum per eundem Ezechielem dicitur: *Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos ad orientem et aquilonem. (Ezech. xl, 7.)* In quibus verbis, si portam accipimus, qua ad cognitionem Domini intramus, porta inferior fides est: atrium vero interius, contemplatio. Habet autem porta inferior latitudinem in facie, quia videlicet **590** fides per charitatis suæ amplitudinem habet ea quæ videtur a proximis operationem. Quam dum fortiter a perfectioribus agi conspiciamus, nos qui in bonis actibus angustamur, exempla per eos magnæ operationis accipimus. Et unaquaque sancta actio quasi quædam nobis fit latitudo itineris quæ prius erat angustia difficultatis. Habet quoque atrium interius frontem: quia contemplativa vita per quædam signa desideriorum et gemituum ostendit quantum justus videat quæ tantum amat. Denarius enim numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit: unde recte per centenarium magna perfectio designatur. (783) Mensus est ergo vir latitudinem

(783) Ante hæc periodi aliquot interponuntur apud Gregor.

a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos, quia Redemptor noster quotidie per magistros atque doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriiis per contemplationem. Multi enim videntur in fide positi magna operari: sed in centum cubitis non mensurantur, quia per ipsa quæ faciunt terrenam gloriam quærunt. Et quidam videntur per abstinentiam cruciari, gemitibus insistere, sed eorum mensura ad centum cubitos non ducitur: quia in his quæ agunt, ab humano iudicio favores requirunt. Quis ergo est, qui per centum cubitos mensuratur, nisi is cujus bona operatio recta intentione utitur, ut in eo quod agit non ad terrenam lucra appetenda aut ad laudes transitorias reflectatur. Ecce enim misericordiam proximis exhibere, possessa largiri cum celeritate indignanti tribuere latitudo in facie portæ inferioris. Sed si tu dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, recte in centenario numero, id est in perfectione mensuraris. Et quia multi in Judæa, plerique vero in gentilitate positi ad hanc perfectionis summam venerunt, recte subjungitur: *ad orientem et ad aquilonem*. Judaicus etenim populus oriens jure dictus est, de cujus carne ille natus est qui Sol justitiæ vocatur. De quo per prophetam dicitur: *Vobis autem, qui timetis Deum, orietur Sol justitiæ* (Zach. vi, 12). Per aquilonem vero gentilitas figuratur, quæ diu perfidiæ suæ frigore **591** torpuit et in cuius corde ille regnavit, qui attestante propheta apud semetipsum dixit: *Ponam sedem meam ad aquilonem*

A (*Isai. xiv, 23*). Quia itaque incarnatus omnipotens Dominus alios perfectos ex Judæa, alios ex gentilitate perfectos intra sanctam Ecclesiam fecit, centum cubitos non solum ad orientem mensus est, sed etiam ad aquilonem. Quamvis per orientem et aquilonem justii et peccatores intelligi possunt.

(784-785) Atriorum nomine latitudo æternæ vitæ signatur apud Psalmistam: *Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis* (Psal. xcix, 4). Quid enim per portas nisi angustia confessionis, et quid per atria nisi æternæ vitæ amplitudo exprimitur? Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam ingredimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitiæ æternæ solemnitate assumpserit. Propter enim confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (Matth. vii, 13): et cum se Psalmista recipere in latitudine gaudia æterna præsumperat, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (Psal. xxx, 9). Ad atria ergo per portas tenditur, quia ad latitudinem solemnitate pertingitur ab angustia confessionis.

## CAPUT XXII.

### DE PAVIMENTO.

Pavimenti nomine humilitas auditorum designatur, sicut Ezechiel dicit: *Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrium per circuitum* (Ezech. xl, 17). Require in cap. De gazophylacio, supra, 19.

## INCIPIT LIBER DECIMUS QUARTUS.

### 592 CAPUT PRIMUM.

#### DE HERBIS.

In Scriptura sacra herbæ nomine, aliquando viror gloriæ temporalis, aliquando sustentatio prædicatorum, aliquando bona operatio, aliquando scientia atque doctrina æternæ viriditatis, aliquando dicta Scripturæ planiora, aliquando verba loquentium, aliquando carnales designantur.

(786) Herbæ nomine viror gloriæ temporalis accipitur, sicut per Prophetam dicitur: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et pertranseat* (Psal. xxxix, 6). Mane namque sicut herbam florere atque transire, est in prosperitate hujus sæculi, temporalis gloriæ decus velociter arescere.

(787) Herbæ nomine sustentatio prædicatorum signatur, sicut per Prophetam dicitur: *Producit in montibus fenum et herbam servituti hominum* (Psal. clxxxix, 8). In montibus quippe fenum et servituti hominum herba producit, cum sublimes hujus

sæculi ad fidei cognitionem vocati sanctis prædicatoribus in hujus vitæ temere transitoria alimenta largiuntur.

**593** Herbæ nomine bona operatio designatur, sicut scriptum est: *Germinet terra herbam virentem* (Genes. i, 1). Quia licet in conditione mundi ita historice factum tenemus, terram tamen Ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus: quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei secunda minæ opera protulit.

Herbæ nomine scientia, atque doctrina æternæ viriditatis accipitur, sicut per Jeremiam dicitur: *Onagri steterunt in rupibus* (ibid. xiv, 6), etc. Require in cap. De onagro. supra lib. iii, c. 22, dist. 7.

Herbarum nomine dicta Scripturæ planiora designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur: *Et mandebant herbas, et arbores eorum* (xxx, 4). Vide lib. ix, cap. 2, dist. 3.

(787) Ex l. et c. sup.

(784-785) Ex principio ho. 16 in Ezech.

(786) Ex l. xxix in Job, cap. xiv, 18.

(788) *Herbæ nomine verba loquentium designantur, sicut scriptum est: Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, operueruntque universam faciem terræ vastantes omnia (Exod. x, 13).* Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit. Quid enim per segregationem locustæ portendunt quæ plusquam cætera minima animantia humanis frugibus nocent, nisi linguas adulantium? Qui terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatus laudando corumpunt. Fructus quippe Ægyptiorum est operatio xenodorum: quam locustæ exterminant, dum adulescentes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor prosperantis inclinant. Herbam vero locustæ comedunt, quando adulescentes quique verba loquentium favoribus extollunt.

(789) *Herbarum nomine carnales designantur, sicut de filiis Ecclesiæ per prophetam dicitur: Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta præterfluentes aquas (Isai. XLIV, 4).* Quid enim per herbas nisi carnalium vitæ signatur? Sed sanctæ Ecclesiæ filii sicut salices inter herbas germinant, **594** dum inter arescentem vitam carnalium, et multiplici numerositate et perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta præterfluentes aquas germinare præhibentur, quia unusquisque eorum libertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii, quæ temporaliter percurrit.

## CAPUT II.

### DE LILIO.

*In Scriptura sacra liliorum nomine, aliquando candor æternæ patriæ, aliquando bene redolens sanctorum vita intelligitur.*

(790) *Lilii nomine candor æternæ patriæ designatur: unde ad Moysen a Domino dicitur: Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo. Hastile ejus et calamos et scyphos et sphæras, ac lilia ex ipso procedentia (Exod. xxv, 11).* Quis enim in candelabro nisi Redemptor humani generis designatur, qui in natura humanitatis infulsit lumen Divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator, in quibus jaceret tenebris, videret? Qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur: quia et Redemptor noster, qui ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum dolores pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia et peccatum non habuit, et tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animæ quibus percussio potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quæ nos sumus, quotidie percussioibus pro-

ficit, quia dum nos tundimur et efflicimur, ut ejus corpus esse mereamur ipse proficit. Hastile vero ejusdem **595** candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus ejus est: quia inter tot adversa libera stat. Calami autem qui de hastili procedunt prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet Canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quæ sanctis prædicantibus, vino scientiæ replentur? Sphæra autem, quid est aliud nisi volubilitas prædicationis? Sphæra quippe ex omni parte volvitur. Et prædicatio quæ nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur sphæra est, et inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiler trahit. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus exsequamur, bene per calamos scyphos et sphæras, in candelabro lilia describuntur, quia post eam, quam diximus, prædicationis gratiam atque volubilitatem, illa, virens patria sequitur, quæ animalibus sanctis, id est floribus vernat æternis. Sphæra ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionem.

Liliorum nomine bene redolens sanctorum vita designatur: unde sponsi voce, sanctæ Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae, qui pascuntur in liliis (Cant. iv, 5).* Require in capit. De uberibus, supra lib. v, c. 44, dist. 1.

## CAPUT III.

### DE MYRTO.

*In Scriptura sacra myrti nomine, aliquando tranquillæ mentis intentio, aliquando compatientes intelliguntur.*

Myrti nomine tranquillæ mentis temperies designatur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro saliuca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus (ibid. lv, 15).* Require in cap. De abietibus, supra lib. ix, c. 6, dist. 2.

**596** (791) *Myrti nomine hi designantur qui compatiendo proximorum tribulationes temperant: unde per Isaiam Dominus promittit dicens: Dabo in solitudine cedrum, et spinam, myrtum, et lignum olivæ (Isa. lxi, 19).* Require in capitulo De cedro, et hoc adde: Myrtus temperativæ virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando constringat. Quid itaque per myrtum nisi hi signati sunt, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant? juxta hoc quod scriptum est: *Gratia autem Deo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omnipressura sunt (II Cor. i) (792).* Qui dum afflictis proximis, verbum, vel opem consolationis ferunt eos procul dubio ad statum rectitudinis

(788) Ex l. xxxi in Job, c. xii, 20.

(789) Ex l. xxxiii in Job, c. vi.

(790) Ex ho. 6 in Ezech. longiuscule ab initio.

(791) Supra li. ix, c. 3, dist. 4. Ex hom. 20 in Evang. paulo post medium.

(792) Gregor. autem repetit particulas, *gratia Deo,*

perstringunt ne immoderata tribulatione in desperationem solvantur. Ad hoc autem myrtus ponatur, ut qui in ardore tribulationis ab ore vel opere proximi compatiens temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum afflictis proximis suæ consolationis temperamentum proferat

## CAPUT IV.

## DE THURE.

*In Scriptura sacra thuris nomine, aliquando hostia amoris, aliquando virtus orationis intelligitur.*

(793) Thuris nomine amoris hostia designatur, sicut de Ecclesia in Canticis canticorum dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* (Cant. III.)

(794) Thuris nomine virtus orationis exprimitur: unde in Evangelio: *Tres Magi aurum, thus et myrrham obtulisse referuntur* (Matth. II). Auro namque sapientia designatur, thure autem, quod Deo incenditur, virtus 597 orationis exprimitur, Psalmista attestante, qui ait: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (Psal. CXL, 2). Per myrrham vero carnis nostræ mortificatio figuratur: unde sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus dicit: *Manus meæ distillaverunt myrrham* (Psal. LXVII, 6). Nato ergo regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, ut suave aliquid Deo per cœlestis desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis vitia mortificamus.

## CAPUT V.

## DE MYRRHA.

(795) Myrrhæ nomine virtutum suavitas intelligitur, sicut Redemptori nostro venienti Propheta dicit: *Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis, a gradibus eburneis ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo* (Psal. XLIV, 9). Quid myrrhæ, guttæ et casiæ nomine nisi virtutum suavitas designatur? Quid eburneis gradibus, nisi magna nitens fortitudine proficiscentium ascensus exprimitur? Redemptor igitur veniens myrrha, gutta et casia vestimento utitur, quia electis suis, quibus se misericorditer induit, myrrhæ virtutis fragrantiam aspergit. In quibus iste odor ab eburneis gradibus ducitur, quia in eis virtutum opinio non ostensione simulationis, sed ex veri ac solius operis assensu generatur. Bene autem dicitur, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Sanctæ namque animæ ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editæ Redemptorem suum in honore ejus delectant, quia ex eo quod bene agunt suæ laudi nihil vindicant.

(793) Ex. l. I, in Job, c. 19, ante finem 40.

(794) Ex ho. x in Evang. post medium.

(795) Ex lib. xxxv in Job, c. XIII, 23.

## CAPUT VI.

## DE HYSSOPO.

Hyssopi nomine fides designatur: unde apud Moysen, dum in sacrificio vacca mactatur offerri cum hyssopo lignoque cedrino et cocco 598 præcipitur. Require in capitulo De vacca, lib. III, cap. 8, distinct. 2.

## CAPUT VII.

## DE NARDO.

(796) Nardi nomine bene redolens electorum vita designatur: unde sancta Ecclesia in electis suis quamdam fragrantiam suavitatis odorata, in canticorum Canticum loquitur dicens: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (Cant. I, 12). Ac si apertius dicat: *Quousque meis obtutibus rex apud se in requie secreti cœlestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut qui adhuc eum quem appetit, non videt, ardentibus per desiderium flagret. Rege quippe in receptu suo posito, nardus odorem dat: dum quiescente in sua beatitudine Domino, sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat.*

## CAPUT VIII.

## DE URTICA.

*In Scriptura sacra urticarum nomine, aliquando ardor vitiorum, aliquando pruritus terrenorum desideriorum, aliquando prurigines cogitationum designantur.*

Urticæ nomine ardor vitiorum designatur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro saluica ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus* (Isai. LV, 13). Require in capitulo De abietibus, lib. IX, cap. 6, dist. 2.

Urticarum nomine prurientia desideria terrena designantur, sicut Salomon dicit: *Per agrum hominis pigri, etc.* (Prov. XXIV.) Require supra l. XIII, c. 3, dist. 1.

Urticarum nomine cogitationum prurigines signantur, sicut per prophetam Dominus sub 599 Babylonis specie mentem confusam redarguit dicens: *Oriuntur in domibus ejus spinæ et urticæ* (Isai. XXXIII, 12). Repete l. IX, c. 13, dist. 4.

Tribuli nomine punctio doloris designatur: unde beatus Job enumeratis bonis suis si hoc non fecerit, maledicto se astringens dicit: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina* (Job XXXI, 40). Require in capitulo De spina ibidem, dist. 2.

## CAPUT X.

## DE PORRIS VEL CEPIS.

(797) Porrorum vel ceparum nomine difficultas vitæ presentis designatur, sicut a populo Israelitico dicitur: *In mentem nobis veniant cucumeres, et pepones, porrique et cepe, et allia* (Num. XI, 5). Pravorum mentes plus per aspera elationis quam per blanda humilitatis ac mansuetudinis ire delectantur.

(796) Ex li. xxxv in Job, cap. XIII, 22,

(797) Ex lib. XX, in Job, c. XVI.

tur. Dura enim præ amore sæculi quasi quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominas a mundi laboribus imperat, et sanctæ quietis dulcedinem persuadet dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. xi, 28). Et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritaliter gaudet; plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur. Quod aperte in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit, qui dum refectionem mannae desuper perciperet, ab Ægypto ollas carniū, pepones, porros cepasque concupivit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ suave sapiens ad refectionem interioris vitæ bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas carniū, nisi carnalia opera vitæ tribulationum laboribus quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones intelligitur, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, et cepas exprimitur, quæ plerumque, qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis quæ a dilectoribus suis et non sine luctu agitur et tamen cum lacrymis amat.

**600** Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnis porros cepasque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt; et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt. Contemnunt habere ubi spiritaliter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi et carnaliter gemant, quia nimirum perverso judicio, perturbata tranquillitas, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt,

## CAPUT XI.

### DE CALAMO.

*In Scriptura sacra calami nomine aliquando verbi æternitas, aliquando doctorum peritia, aliquando nitor gloriæ temporalis, aliquando scriptores sacri eloquii, aliquando Scriptura sacra intelligitur.*

(798) Calami nomine verbi æternitas designatur, sicut voce Patris per Psalmistam dicitur: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (Psal. xlii, 2). Quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet; lingua Patris scribæ calamus dicitur, quia ab eo est Verbum illius cœternum, ac sine transitu generatum.

(799) Calami nomine doctorum peritia designatur, sicut voce prophetica desertæ terræ pollicetur, cum dicitur: *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriatur viror calami et junci* (Isa. xxxv, 7). Quid enim per calamum nisi prædicatores? quid per juncum, qui juxta aquæ humorem semper nascitur, nisi pusillos ac teneros auditores sacri eloquii signant? In draconum ergo cubilibus viror calami et junci oritur: quia in eis populis, **601**

quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia et auditorum obedientia coærvatur.

(800) Calami nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam de Domino apparet in carne dicitur. *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet* (Isai. xlii, 3). Quid enim calami nomine nisi Judaici populi temporale regnum designatur, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, et regnum ejus alienigena possidebat, apte hoc idem regnum, quassatum calamum vocat. Quid vero linum nisi ejusdem populi sacerdotium exprimitur; quod nimirum lineis vestibus utebatur; quod quia in adventu Domini ardorem charitatis perdiderat, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit? Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, et linum fumigans non exstinxit, quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non potestate iudicii perculit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit; hinc iterum voce Dominicæ de diabolo sub figura Behemoth ad beatum Job dicitur: *Sub umbra dormit, in secreto calami* (Job xl, 16) (801). Umbrae quippe nomine, nequitia torpor accipitur, in qua iste Behemoth dormit, quia corda charitate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus jacet. Dormire enim in sanctorum cordibus non potest, quia, etsi quando se in eis ad breve momentum collocat, ipse eum desideriorum cœlestium æstus fatigat. Et quasi toties, ut recedat, pungitur, quoties ab eis amore in animo ad æterna suspirat. Tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cœlum clamant. Unde sit ut honorum actionum armis territus ac suspensorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat, malitiæ umbram quarat. Quæ vero ab illo invenitur, ostenditur, cum protinus subinfertur; In secreto calami, Quid enim appellatione calami, nisi mentes sæcularium temporalium gloriæ deditæ designantur? Qui tanto apud semetipsos intus inanesunt, **602** quanto alti et nitidi exterius ostenduntur, quia, dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus quidem sunt per fatuitatem vacui, sed foris per speciem et ostentationem pulchri.

(802) Calami nomine scriptores sacri eloquii designantur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur: *Et calamus mensuræ in manu ejus* (Ezech. xl, 3). De sancta quippe Ecclesia per prophetam alium Dominus pollicetur dicens: *Orietur in ea viror calami et junci* (Isai. xxxv, 7) (803). Quod quidem alio in loco exposuisse me meminisse, ut per calamum doctores, per juncum vero audi-

(798) Ex lib. xxxiii in Job c. iii, 4.

(799) Ex lib. et c. sup.

(800) Ex epd. l. et cap. sup.

(801) Hæc leguntur ante præcedentia.

(802) Vide dist. 2, 5.

(803) Ex hom. 13, in Ezech.

tores debeant intelligi. Sed quia ad humorem aquæ, A  
et calamus et juncus nasci solet, et ex una eadem-  
que aqua utraque proficiunt, et calanius quidem ad  
scribendum assumitur, cum junco vero scribi non  
potest : quid in junco vero scribi non potest ; quid  
in junco et calamo accipere debemus, nisi quod  
una est doctrina veritatis, quæ multos auditores  
irrigat, sed irrigati alii ad hoc usque proficiunt in  
verbo Dei, ut etiam scriptores fiant, videlicet tan-  
quam calami ? Alii vero verbum vitæ audiunt bonæ  
spei, et rectorum operum viriditatem tenent, sed  
tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt.  
Illi quid in aqua Dei, nisi quidam, ut ita dicam,  
junci sunt, qui quidem virescendo proficiunt, sed  
litteras exprimere nequaquam possunt. Redemptor  
igitur noster, quia verba quæ dixit, etiam per do-  
ctorum studium scribi largitus est, in manu cala-  
mum tenuit. Qui calamus mensuræ dicitur, quia  
ipsa scriptorum studia sub quadam occulta iudicii  
dispensatione detinentur, ut et aliis legentibus pro-  
sint, et aliis legentibus prodesse non possint.

(804) Potest etiam calamo mensuræ Scriptura  
sacra pro eo intelligi quod quisquis hanc legit in  
ea semel ipsum metitur, vel quantum in spiritali  
virtute proficit, vel quantum a bonis quæ præcepta  
sunt, longe disjunctus remansit : quantum jam as-  
surgat ad bona fidei facienda, vel quantum adhuc  
in pravis actibus prostratus jaceat.

### 603 CAPUT XII.

#### DE ARUNDINE.

(805) Arundinis nomine carnalis animus designa-  
tur, sicut Judæorum turbis in Joannis laudem a  
Domino dicitur : *Quid existis videre in deserto ?  
Arundinem vento agitatum ?* (Matth. xi, 7.) Quod vi-  
delicet non asserendo, sed negando intulit. Arundi-  
nem quippe, mox ut aura contigerit, in partem alte-  
ram flectit. Et quid per arundinem nisi carnalis  
animus designatur ? qui mox ut favore vel detra-  
ctione tangitur, statim in partem quamlibet inclina-  
tur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit,  
hilarescit, extollitur, totumque se quasi ad gratiam  
inflectit. Sed si inde ventus detractionis eruperit,  
unde laudis aura veniebat : mox hunc quasi in par-  
tem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo ven-  
to agitata Joannes non erat, quia hunc nec blandum  
gratia, nec cujuslibet ira asperum faciebat. Nec pros-  
pera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare.  
Arundo ergo vento agitata non erat, quem a statu  
sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.

Arundinis nomine nitor gloriæ temporalis exprimi-  
tur, sicut de justis per sapientiam dicitur : *Fulgebunt  
justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrunt*  
(Sap. iii, 7). Require in capitulo de scintillis, lib. ii, c.  
3 distinct. 1.

### CAPUT XIII.

#### DE SCIRPO.

(806) Scirpi nomine nypocrita quilibet designa-  
tur, sicut in libro beati Job per Baldad dicitur :  
*Nunquid virere potest scirpus sine humore, aut ca-  
rectum crescere sine aqua ?* (Job viii, 11.) Cui scirpum  
vel carectum comparet, ipse protinus aperit, cum  
subjungit. Cum adhuc sit in flore nec carpatur ma-  
nu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium,  
qui obliviscuntur Dominum, et spes hypocritæ peribit.

604 Scirpi ergo vel carecti nomine, hypocritæ  
vita signatur quæ speciem quidem viriditatis ha-  
bet, sed ad humanos usus fructum utilitatis non  
habet : quæ sterilitate operis arida permanens, so-  
lo sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine hu-  
more scirpus, neque sine aqua carectum proficit,  
quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem  
quidem superni muneris percipit, sed quia in cun-  
ctis quæ agit, exteriores laudes appetit, a fructu  
perceptæ infusionis inanescit. (807) Scirpus igitur,  
vel carectum sine aqua non vivit, quia nimirum hy-  
pocritæ non nisi ex superno munere viriditatem  
bonæ operationis accipiunt, sed quia hanc in usum  
propriæ laudis arripiunt, in aqua quidem virides :  
sed tamen inanes crescunt. Bene autem subditur :  
Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu ante  
omnes herbas arescit. Scirpus in flore, est hypocrita  
in laude. Acutis vero unguibus surgens carectum ma-  
nu non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam  
sensibus de pravitate sua hypocrita corripitur dedigna-  
tur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in  
laudē hypocrita positus, si hunc quisquam corripe-  
re audeat, asperitate sua protinus vitam corripientes  
secat. Sanctus namque non esse appetit, sed vocari ;  
et cum fortasse corripitur, quasi opinionis gloria  
detruncaur. Deprehensum se in pravitate  
irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia  
velut in occulto vulnere tactus dolet. Recte ergo di-  
citur, cum adhuc in flore, nec carpatur manu, are-  
scit ante omnes herbas. Juxta carnem quippe et  
justi herba sunt propheta attestante, qui ait : *Omnis  
caro fenum* (Isai. xl, 6) ; sed ante omnes herbas  
arescere scirpus dicitur, quia justis in bono suo  
permanentibus, a viriditate assumptæ rectitudinis  
hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbæ etiam  
reliquæ, quia justorum opera cum carnis vita de-  
ficiunt ; sed herbarum ariditatem scirpus prævenit,  
quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea  
quæ in se ostenderit virtutum facta derelinquit.  
Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Dominum, et  
spes hypocritæ peribit. Quid enim in cunctis suis  
operibus hypocrita sperat, nisi honoris reveren-  
tiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus  
ab omnibus vocari ? Sed 605 permanere spes hypo-  
critæ non valet, quia æternitatem non quærens,  
fugit quod tenet. Nequaquam quippe mentis ejus

(804) Ex eadem hom. paulo infra.

(805) Ex hom. 6 in Evang.

(806) Ex l. viii in Job, cap. xxiv, 27.

(807) Hæc sunt paulo post superiora.

intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur; sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, veritate attestante quæ ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth. vi, 1*).

## CAPUT XIV.

## DE PALIURO.

Paliuri nomine quilibet in malitia præpotens, et alios in malo defendens, designatur: sicut per prophetam Dominus sub Babylonis specie pravorum turbam, vel quamlibet perversam mentem redarguit, dicens: *Orietur in domibus ejus spinæ, et articeæ, et paliurus in munitioibus ejus* (*Isa. xxxiv, 13*). Require in capitulo de spina, lib. ix, cap. 13, dist. 4.

## CAPUT XV.

## DE LACTUCIS.

(808) Lactucarum agrestium nomine amaritudo pœnitentiæ designatur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur: *Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrastibus* (*Exod. xii, 8*).

(809) Require in capitulo de igne, et hoc adde; sed sola Redemptoris nostri præcepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque et bona opera jungantur. Quid prodest corpus et sanguinem ore percipere, et ei perversis moribus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur: *Et azymos panes cum lactucis agrastibus*. Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admistione peccati exhibet, ne perverse diripiat, quod quasi recte dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus prophetæ voce per increpationem

**606** Dominus dicebat: *Venite ad Bethel, et impie agite* (*Amos iv, 4*). Atque post pauca: *Et sacrificare de fermentato laudem* (*ibid., 5*). De fermentato namque immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactuce vero agrestes, valde amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrastibus sunt edendæ ut cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humoris vitæ.

## CAPUT XVI.

## DE SINAPI.

Sinapis nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ipsius voce Veritatis dicitur: Cui simile est regnum cælorum, et cui simile æstimabo illud? *Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cæli requieverunt in ramis ejus* (*Luc. xiii, 19*). Require in capitulo de volucris lib. ii, c. 1, dist. 5.

(810) Sinapis nomine fidelis viri fortitudo designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur:

(808) Lib. xi, cap. 1, dist. 6.

(809) Ex hom. 28 in Evang. paulo post medium.

(810) Sic. Aug. et Cassiod. legunt in Psalter,

*Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc, et transibit* (*Matth. xvii, 3; Luc. xvii, 5*). Granum quippe sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur. Nam non contritum lene est, si vero conteritur inardescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus cum non pulsatur despicibilis ac lenis aspicitur; si qua vero illum tritura persecutionis opprimit, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur, quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitated tribulatione coactus innotescit. Unde bene per Prophetam dicitur: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit* (*Psal. xli, 5*). Misericordia autem Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur; in nocte vero declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur, **607** in tribulationibus manifestatur. Sicut enim unguenta nesciunt nisi commota redolere latius, et sicut aromata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur expandunt, ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt.

## CAPUT XVII.

## DE FRUMENTO.

*Scriptura sacra cum frumentum singulariter ponitur, aliquando quælibet electa anima, aliquando sacræ doctrinæ eloquium, aliquando viriditas æternæ retributionis vel spiritalis opus, quod mentem reficit, aliquando interna sacri eloquii intelligentia intelligitur. Cum vero frumenta pluraliter dicuntur, aliquando virtutes, aliquando prædicationis verba designantur.*

Frumenti nomine quælibet electa anima designatur, sicut in libro Job per Eliu dicitur: *Frumentum desiderat nubes* (*Job xxvii, 29*). Require in capitulo de nubibus, lib. i, cap. 12, dist. 5.

(811) Frumenti nomine sacræ doctrinæ eloquium designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Et convalles abundabunt frumento* (*Psal. lxxiv, 14*). Convalles namque frumento abundant, cum corda humilium sacræ doctrinæ eloquio, virtutum gratia replentur, juxta hoc quod alibi per eundem Psalmistam scriptum est: *Qui emittit fontes in convallibus* (*Psal. ciii, 10*). A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Jam videmus, jam convalles frumento abundare conspiciamus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, **608**, qui mites ac simplices huic mundo despicibiles esse videbantur.

(812) Frumenti nomine perfectio justitiæ intelligitur, sicut in Evangelio Veritas demonstrat dicens: *Sic est regnum cælorum, quemadmodum si jaciatur homo semen in terra, et dormiat, et exurgat*

(811) Ex hom. 20. in Evang. paulo post initium.

(812) Ex l. xxii in Job c. xiv, 20.



*nocte ac die, et semen germinet, et crescat dum nascit ille* (Marc. iv, 26). Cujus nimirum seminis incrementa denuntians adjungit: *Ultero enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica* (ibid., 10). Cujus profectus quoque finem subrogat dicens: *Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quia venit tempus messis* (ibid., 26). Ecce Veritatis voce per qualitates frugum distincta sunt incrementa meritum. Ait enim primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica. *Annon herba adhuc fuerat Petrus, cum ancillæ ore, subito unius flatu sermonis inflexus est; jam quidem per devotionem erat viridis, sed adhuc per infirmitatem tener* (Matth. xxvi; Luc. xxi). Plenum vero frumentum in spica inventus est, quando persequentibus principibus resistebat, dicens: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29). Plenum vero frumentum in spica inventus est, quando in tritura persecutionis tot verbera pertulit, et tamen nequam palcarum more imminutus est, sed granum integrum permansit. Paulisper quippe in una quaque anima, ut ita dicam internæ gratiæ humor exuberat, ut herba in frugem crescat. Nemo ergo queinlibet proximum, cum adhuc herbam videt, de frumento desperet. Ab herbarum quippe foliis, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum grana solidantur. Electus etenim quisque a rudimenti sui prius teneritudine inchoat, et sic postmodum ad robusta paulatim et fortia convalescit.

Frumenti nomine viriditas æternæ retributionis vel spiritale opus quod mentem reficit, intelligitur, sicut per beatum Job enumeratis bonis quæ fecerat, si hoc non fecerit se maledictionis sententia feriendū dicitur: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, etc.* (Job xxxi, 40). Require in capitulo de tribulo lib. ix, c. 15, dist. 2.

**609** (813) Frumenti nomine interna sacri eloqui intelligentia designatur, sicut de his qui verba sacræ legis non recte intelligunt per prophetam Dominus quæritur: *Dedi eis frumentum, vinum, et oleum, et argentum multiplicavi eis et aurum quæ fecerunt Baal* (Osee ii, 8). Frumentum quippe a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum Dominus nobis præstat, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos inebriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum nobis luce veritatis plena cloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt, quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt. Et de frumento Dei, vino, atque oleo, argento pariter, et auro Satanæ sacrificium

(813) Ex. iii parte Pastoral. c. 25.

(814) Ex. iii parte Past., c. 26.

A immolant, quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Unde admonendi sunt, ut perpendant, quia dum perversa mente de præceptis pacis discordiam faciunt, justo Dei examine ipsi de verbis vitæ moriantur.

Frumentorum nomen virtutes designat. Vide, lib xi, c. 1, dist. 10.

(814) Frumentorum nomine prædicationis verba designantur, sicut Salomon dicit: *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis* (Prov. xi, 26). Frumenta quippe abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa si silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si populos fames attereret, et occulta ipsi frumenta servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque pœna plectendi sunt considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Si medicinalis artis minime ignari secundum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ **610** morti ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciunt, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare sectione verborum noluerunt. Unde per Prophetam dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jerem. xlviii, 107). Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ in perfectione retinere.

## CAPUT XVIII.

### DE HORDEO.

Hordei nomine littera Veteris Testamenti designatur, sicut in Evangelio dicitur: *Est puer hic unus qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces* (Joan. vi, 9). Breviter ut curramus quinque panes intelliguntur quinque libri Moysis. Merito non triticei, sed hordeacei, quia ad Vetus Testamentum pertinent. Novimus autem hordeum ita creatum, ut ad medullam ejus vix perveniatur. Vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, et ipsa palea tenax est et inhærens, ut cum labore exuatur. Talis enim littera est Veteris Testamenti: vestita est tegminibus carnalium sacramentorum, sed si ad ejus medullam perveniatur, pascit et satiat.

Hordei nomine terrenarum rerum dispensatio intelligitur, sicut per beatum Job dinumeratis bonis quæ fecerat, dicitur: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo* (Job xxxi, 40). Require in cap. de tribulo lib. ix, cap. 15, distinct. 2.

## CAPUT XIX.

### DE MESSE.

*In Scriptura sacra messis nomine, aliquando Scriptura sacra, aliquando donum rectæ intelligentiæ designatur.*

**611** (815) Messis nomine Scriptura intelligitur, sicut in libro Job, per Eliphath de Judaico populo dicitur: *Cujus messem famelicus comedet, et ipsum*

(815) Ex lib. vi in Job cap. ii.

*rapiet armatus* (Job v, 5). Judaici namque populi A messis fuerat sacri seges eloquii. Quædam namque spicarum grana, sunt verba prophetarum, quæ Judaicus populus habuit, sed non comedit, quia legem quidem verbo tenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab ejus intellectu jejunavit. Hujus ergo populi messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quæ plebs Judaica sine intellectu laboravit. Hos famelicos fidei, Dominus prævidit cum diceret: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. v, 6). De his famelicis Anna prophetante dicitur: *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* (1 Reg. 11, 5). Sed quia messem perdidit, recte subjungitur, qualiter ipse etiam periiit cum dicitur: *Et ipsum rapiet armatus* (Job v, 5). B Antiquus namque hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulenter suggestionis jaculis exstinxit, ut unde se Deo inhærere crederet, inde ejus ordini repugnaret. Quod profecto discipulos Veritas præmonet dicens: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo* (Joan. xvi, 2).

(816) Messis quoque nomine potest non solum litera Scripturæ sacræ, verum etiam donum rectæ intelligentiæ accipi: Unde et hic quod prædiximus, moraliter valet non inconvenienter intelligi. Habet namque stultus messem, quando iniquus quisque donum rectæ intelligentiæ accipit: Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur: sed tamen nullo modo hoc quod dicit operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit; laudando exaggerat, vivendo calcæ. Quia ergo stultus iste et intelligit, et dicit: sed cum hæc operando non amat, messem habendo jejunat. Quam nimirum famelicus comedit, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, dicit quod audit, agit quod didicerit; et dum doctoris pravi recta prædicatione reficitur, 612 quid aliud quam stulti fruge satiatur. An non famelicos suos Veritas, ut stulti messem comederent admonebat, cum per desideria sancta flagrantibus, de Pharisæis præceperat dicens: *Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite* (Matth. xxiii, 3). Ac si aperte diceret: Verbi messem loquendo extollunt, sed hanc male vivendo miuime contingunt. Vestram vero famem messis ista reficiat, quia vobis hanc per fatuitatis suæ fastidium servant. Bene autem subditur: *et ipsum rapiet armatus*. Antiquus namque hostis, quasi inermis vincitur, cum mala aperta suggerens humanæ menti bona omnia simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bona alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Nam sæpe quosdam in intellectu non tentat, eisque in sacri eloquii meditatione non obviat, sed tamen eorum vitam in operatione supplantat: qui dum de scientiæ virtute laudantur, nequaquam suorum operum conspiciunt damna, cumque in favore delectationis animus du-

citur, vitæ suæ vulnera non medetur. Hunc ergo armatus hostis rapit, quem fraude tectus in alia deserens, ex alia parte superavit.

## CAPUT XX.

## DE FRUGIBUS.

(817) Frugum nomine conversi, vel Judæi, vel gentiles intelliguntur, sicut per Ezechiel dicitur: *Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum Frugum, ad eos qui habitant juxta flumen Chobar* (Ezech. iii, 11). Cum causa exigeret ut indicare debuisset, quia ad transmigrationem veniret: quæ dicendi necessitas fuit, ut per fruges locum quoque exprimeret dicens: ad acervum novarum frugum, nisi quia sæpe et per loca causæ signantur. Multi quippe Ezechiele prophetante jam captivitatis anni defluerant: atque ex iis qui in captivitatem ducti fuerant, plures jam in morte carnis obierant, ad quorum filios loqui propheta veniebat. Unde et ei superius dicitur: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices quæ recesserunt a me. Patres eorum prævaricati sunt, pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura cervice 613 et indomabili corde sunt, ad quas ego mitto te* (Ezech. xi, 6). Ex quibus quia multi fuerant credituri, atque obedientiam ad fertilitatem boni operis perventuri, acervum frugum vocantur. Quia enim bonæ animæ fruges appellantur, Dei propheta testatur alius dicens: *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus, fruges etenim Domini, etiam conversæ ad fidem gentes postmodum factæ sunt* (Jerem. ii, 1). Sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc propheta frugum ejus primitias appellavit. Quia ergo propheta missus non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, ad acervum frugum novarum venit.

## CAPUT XXI.

## DE SPICA.

(818) Spica profectum boni operis designat, sicut Veritatis voce dicitur: *Sic est regnum Dei quemadmodum si jactat homo semen in terram et dormiat et exurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat dum nescit ille. Ultra enim terra fructificat, primum herbam, demum spicam, deinde plenum frumenti in spica* (Marc. iv, 8). Semen namque homo jactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit.

D Et postquam semen jactaverit dormit, quia jam in spe boni operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat, et crescit, dum nescit ille, quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultra terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanee ad profectum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, eum se virtus animo concepta ad profe-

(816) Ex ejusdem lib. cap. 5, 4.

(817) Ex initio hom. 11. in Ezech.

(818) Ex hom. 15, in Ezech. longius a principio.

ctum boni operis pertrahit. Plenum vero trumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terra mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cumque in ejusdem operationis perfectione **614** solidamur, ita plenum frumentum in spica proferimus.

(819) Spicarum nomine Patrum sententiæ designantur, sicut de hæreticis per Job dicitur: *Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas*; quod ait: *nudis hoc replicat absque vestitu (Job xxiv, 7)*. Sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur nudus est et otiosus. Qui autem mala agit, nudus incedit, quia sine velamine boni operis per iter pravitatis pergit. Sunt vero nonnulli, qui malum suæ nequitiae cognoscentes, satiari pane justitiæ festinant, percipere sacri eloquii dicta desiderant. Qui quoties Patrum sententias pro ædificandis mentibus suis in cogitationibus versant, quasi de bona ægete spicas portant. Hæreticis igitur nudis, et incedentibus absque vestitu, et esurientibus spicas tollunt, quia sive ne quidem otiosi sint, et in nullis se bonis exerceant, seu pariter impudentiæ absque velamine boni operis pergant, etiam si quando jam ad pœnitentiam redire cupiunt, et pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus Patrum sententias destruunt. Nec immerito spicas signare Patrum sententias dicimus, quia, dum sæpe per figurata proferuntur eloquia, ab eis tegmen litteræ quasi aristarum paleas subtrahimus, ut medulla spiritus nos reficiamus.

## CAPUT XXII.

## DE PALEIS.

(820) Palearum nomine iniqui intelliguntur, sicut Job de ipsorum damnatione dicit: *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit (Job xxi, 8)*. Iniquus cum in potestate conspicitur, cum valde in oppressionibus ac violentiis effrenatur, ab infirmorum cogitationibus gravis nimium, et quasi in hoc mundo radicatus æstimatur. Sed cum districti judicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt, quia, ut ita dicam, iræ flatu subito levantur, atque asportantur ad ignem: quos hic in suis quondam **615** præjudiciis quasi duri ponderis superjacentem molem indigentium, lacrymæ movere non poterant, et ad rapientis judicii manum leves sunt, quia per injustitiam proximis graves fuerunt. Et sicut favilla quam turbo dispergit. Ante omnipotentis enim Dei oculos iniqui vita favilla est, quia etsi apparet ad momentum viridia, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur, quia consumptioni est æternæ deputanda. Hanc

A favillam turbo dispergit, quia *Deus manifeste venit, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. xlix, 2)*. Hujus enim tempestatis turbine, ab æterni conspectu judicis iniqui rapiuntur; et qui hic mentem perverso desiderio solidaverant, ibi paleæ et favillæ videbuntur, quia eos ad æterna supplicia turbo rapient asportat

## CAPUT XXIII.

## DE ARISTIS.

(821) Aristarum nomine reprobi divites intelliguntur sicut de eorum damnatione per Job dicitur: *Et sicut summitates spicarum conterentur (Job xxiv, 24)*. Spicarum quippe summitates aristæ sunt. Aristæ autem conjunctæ in spica prodeunt; sed crescendo paulisper, a se hirsutæ et rigidæ disjunguntur. Sic nimirum, sic ad hujus mundi gloriam pravi divites surgunt. Naturæ enim sibi communioni conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur. Alius quippe alium despicit, et alter in alterum invidiæ facibus ignescit. Qui ergo ex tumore mentis a charitatis unitate se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid ergo pravos hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam generis humani? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimiter affligunt: adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Nunc igitur aristæ ad alta prosiliunt, grana latent: quia et reproborum potentia eminent, et electorum gloria non apparet. Illi se honorum facibus ostendunt, isti se in humilitate deprimunt. Sed triturae tempus veniet; quod et aristarum **616** rigiditatem frangat, et solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuit, cum electorum vita quantæ integritate fulgeat declaratur. Quia cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur, ut grana appareant, quæ latebant. Cumque aristæ franguntur, granorum candor ostenditur, quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorum justitia, quanta veritate candeat, demonstratur. Unde recte quoque per Joannem dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua est, et permundabit aream suam et triticum quidem recondet in horrea, paleas autem comburet igni inextinguibili (Matth. iii, 12; Luc. iii, 17)*. Beatus igitur Job, pravorum elatio, quanta animadversione frangatur aspiat, eosque aristis pereuntibus comparans dicit: Sicut summitates spicarum conterentur, quia nimirum rigiditas superbiorum triturae ultimæ formidine frangitur, quæ nunc electorum vitam despiciens elevatur.

## CAPUT XXIV.

## DE CULMO.

(822) Culmi nomine hypocrita intelligitur, sicut per prophetam dicitur: *Culmus stans non est in eo,*

(819) Ex lib. xvi in Job cap. xxiv, 28.

(820) Ex lib. xvi in Job cap. xxx, 22

(821) Ex l. xvi in Job c. vi.

(822) Ex l. viii in Job c. xxv, 29.

*germen et non faciet farinam : quod etsi fecerit, alieni comedent eam* (Ose. viii, 7). Culmus quippe germen non habet cum hypocritæ vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsentis sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit; sed sæpe et cum fecerit, hunc alieni comedunt, quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt de his malignorum spirituum vota satiantur. Quia enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt.

## CAPUT XXV.

## DE STIPULA.

(823) Stipulæ nomine humana abjectio intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentium tuam et stipulam* **617** *siccam persequeris* (Job xiii, 15). Quid est enim homo nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est homo nisi folium, qui tentationis vento rapitur et desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc etenim plurimum ita perturbat; cum recedit ira, succedit inepta lætitia. Luxuriæ stimulis urgetur, æstu ava-

ritiæ longe lateque ad ambienda, quæ terra sunt tenditur. Aliquando hanc superbia elevat : aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus elevatur, et ducitur, recte folio homo comparatur. Unde quoque bene per Isaiam dicitur : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos* (Isa. lxiv, 6). Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos pondere virtutis in vanam elationem levavit. Bene autem post folium, etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium a semetipso factus est in tentatione; sed post stipula apparuit in dejectione. Quia enim de alto cecidit folium, quia vero per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, jam stipula sicca est. Consideret itaque vir sanctus et homo quantæ vilitatis sit, et Deus quantæ districtiois et dicat : *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris*. Ac si aperte deploret dicens : Cur tanta rectitudine impetis, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis?

## INCIPIT LIBER DECIMUS QUINTUS.

**618** CAPUT PRIMUM.

## DE UNITATE.

*In Scriptura sacra unitatis nomine, aliquando bene vivendi initium, aliquando Redemptor humani generis Christus Deus designatur.*

(824) Unius nomine bene vivendi initium designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere ei unum pro mille* (Job ix, 3). In Scriptura sacra mille...ius numerus pro universitate solet poni. Unde Psalmista ait : *Verbi quod mandavit in mille generationes* (Psal. civ, 8). (825) Cum profecto constet quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum, per evangelistam non amplius quam septem et septuaginta propagines numerentur, quid in millenario numero, nisi ad proferendam novam sobolem, perfecta universitas præcitate generationis exprimitur? Hinc et per Joannem dicitur : *Et regnabunt cum eo mille annis* (Apoc. xx, 2), quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur. Quia vero monas in denarium multiplicatus ducitur, et denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur, qui rursus per **619** denarium ductus in millenarium tenditur cum ab uno incipimus ut ad millenarium veniamus : quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium,

C quid millenarii numeri amplitudine nisi ejusdem bonæ vitæ perfectio designatur? Cum Deo autem contendere, est non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir aspiciat, quia qui summa jam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat amittit, et dicat : *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere unum pro mille*. Qui enim cum auctore contendit, unum pro mille respondere non sufficit, quia qui se de perfectione erigit, habere se bene vivendi nec initium ostendit. Unum enim pro mille respondere non possumus, quia cum de bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc nos nec inchoasse monstramus.

(826) Unius nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem, cum de limine et porta, de margine et tabulis loqueretur, subjungitur : *Et cubitus unus finis utrumque* (Ezech. xl, 12). Utrumque autem dicitur, ac si dicatur utrorumque. Per latitudinem quippe liminis et longitudinem portæ, Vetus ac Novum Testamentum diximus designari. Ad extremum vero additur quod *cubitus unus finis* sit utrorumque ; quia videlicet et Testamentum Vetus, unum nobis mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et Testamentum Novum eundem nobis nuntiat in æterna claritate venturum, quem jam

(823) Ex l. ii in Job c. xxii, 24.

(824) Hic Garnerus repetiit dictiones *homo et Deo*, vice pronominum demonstrativorum quæ sunt apud Job.

(825) Ex l. ix in Job c. ii.

(826) De unitate plura vide apud Clichoneum in lib. De signif. numer., et Odonem abbatem Morimundi, et Federi. Morell, in poem. De uno.

pro nobis cognovimus incarnatum. Cubitus ergo unus utrorumque est : quia et quem lex prædixit, in carne apparuit : et spe, quem nunc Testamentum Novum loquitur in gloria majestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in deitatis suæ potentia omnia quæ sunt prædicta, compleverit. Scriptum namque est : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti (Rom. x, 4).* (827) Finis videlicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perficit, cum sicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de ejus judicio multa Novum Testamentum loquitur, adhuc multa de ejus regno narrat, quæ nec dum videmus **620** impleta. Tunc ergo erit et Novi Testamenti finis, cum et quæ de se promisit impleverit. Finitur vero Testamentum Novum, quia perficietur. Nam cum ipse de quo loquitur visus fuerit, ejusdem Testamenti verba cessabunt. Ergo cubitus unus est finis utrorumque, quia unus est ille, qui dixit : *Singulariter sum ego, donec transeam (Psal. cxl. 10).* Qui solus cum Patre et Spiritu sancto præsidet in coelo, sicut passer uticus in ædificio. Qui quemadmodum implevit legem per mysterium Incarnationis et perfectæ humanitatis suæ, ita Testamenti Novi promissa impleturus est per ostensam gloriam claritatis suæ.

## CAPUT II.

## DE BINARIO.

In Scriptura sacra, binario numero, aliquando duo præcepta charitatis, dilectio Dei videlicet et proximi ; aliquando intellectus et operatio, aliquando perfecti in charitate, aliquando duo compunctionis genera, aliquando duo Testamenta designantur.

Binario numero duo præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei et proximi, designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et mensus est frontem portæ (828) duobus cubitis (Ezech. xl, 9).* Frons etenim portæ est meritum vitæ præsentis. Sicut enim vestibulum interioris superna requies debet intelligi, ita per frontem portæ necesse est qualitatem visibilis vitæ signari. (829) Frons ergo portæ duobus cubitis mensuratur : quia quisquis hic dilectionem Dei ac proximi servare studuerit, ipse ad æternitatis atrium pertingit. Vita igitur nostra, ut duobus cubitis sit mensurata, tenet quotidie per charitatem debet **621** in amorem Dei simul et proximi. Non enim charitas est vera, si minus a duobus cubitis habet. Unde Moyses, cum per colores vestium, electorum virtutes exprimeret in ornamento pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi. (*Exod. xxviii, 5*). Quid namque per coccum nisi charitas designatur, quæ semper flamma amoris accenditur ? Sed coccus his tingitur, quando non solum ex amore Dei, sed etiam proximi nostra charitas inflammatur. Nam quisquis sic amat Deum,

(827) Ex hom. 16 in Ezech., post medium.

(828) Vulg. habet pro dictione portæ pronomen ejus.

(829) Ex hom. 16 in Ezech., longiuscule ab initio.

(830) Hæc sunt aliquantum a superioribus dis-

tit commissi sibi curam relinquat, adhuc in eo coccus semel finctus est. Et quisquis sic amat proximum, ut minuat desiderium quo flagrare debet in Deum, non est adhuc in eo color tincturæ geminatus. Dehentus ergo et amare eos, cum quibus vivimus, et ad illum totis desideriis anhelare in qua veraciter vivamus. (830) Sicque his tinctus in nobis coccus est, si et hic proximos nostros sicut nos diligimus, et ad auctorem omnium cum ipsis quos diligimus festinamus. Si igitur vita nostra de perfecta charitate bis tingitur, frons in nobis portæ duobus cubitis mensuratur. Sive igitur doctor, seu sacrum eloquium, vel certe fides portæ nomine signetur, in mensura utriusque cubiti, charitas non inconvenienter accipit. Quia et ille vera prædicat, qui Dei ac proximi amorem docet, et ipsa est certa scientia, quam charitas ædificat, et fides robusta est, quæ se in delectatione Dei ac proximi exercet.

(831) Binario numero intellectus et operatio designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua ; et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum (Matth. xx, 14, 15).* Quinque etenim talentis donum, quinque sensuum, id est exteriorum scientiam exprimitur. Duobus vero intellectus et operatio designatur. unius vero talenti nomine intellectus tantummodo designatur.

(832) Binario numero perfecti in charitate, sicut in Evangelio Lucas dicit : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus (Luc. x, 1).* Dominus **622** et Salvator noster aliquando nos sermonibus, aliquando operibus admonet. Ipsa enim facta ejus præcepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innoscit. Ecce autem binos in prædicationem mittit ; quia enim duo sunt præcepta charitatis Dei, videlicet amor et proximi et minus quam inter duos charitas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum charitatem habere dicitur ; sed dilectione se in alterum tendit ut esse charitas possit : binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit quatenus hic nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.

Binario numero duo compunctionis genera signantur de quibus vide l. III, c. 3, dist. 6.

(833) Binario, duo Testamenta designantur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Duos quoque cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi (Exod. xxviii, 18).* Cherubim unus sit in latere uno et alter in altero : ut utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes juncta.

(851) Ex hom. 9 in Evang.

(852) Ex hom. 17 in Evang.

(853) Ex hom. 6 in Ezech., paulo post medium.

oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus A in propitiatorium. Quid enim per propitiatorium, nisi ipse mediator Dei et hominum signatur, de quo per Paulum dicitur : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus?* (Rom. III, 25) Quid vero per duos cherubim qui plenitudo scientiæ dicuntur, nisi utraque testamenta signata sunt? Ex quibus unus ad summitatem unam propitiatorii, alter vero ad summitatem alteram stat, quia quod Testamentum Vetus de Incarnatione nostri Redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc Testamentum Novum perfecte narrant expletum. Duo autem cherubim ex auro mundissimo facti sunt, quia utraque Testamenta, pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas et oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sunus, a culpis imminentiibus Scripturæ sacræ ædificio protegimur. Cujus dum sententias sollicitè aspiciamus, ab errore ignorantæ alis velamur. Duo vero cherubim se mutuo respiciunt versis **623** vultibus in propitiatorium, quia utraque testamenta in nullo a se discrepant, et quasi ad semetipsa vicissim faciem tenent, quia dum quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum mediatorem Dei et hominum vident.

(834) Facies quippe a semetipsis cherubim averterent, si quod unum testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de mediatore Dei et hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Quia enim Testamentum Vetus designavit, hoc Testamentum Novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar, quid est quod Adam dormiente, Eva producitur (Gen. XI), nisi quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, et ligna portat, aræ superponitur et vivit? nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit, et in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate.

(835) Quid est quod homicida post mortem summi pontificis absolutus ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus quod peccando sibi met ipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri peccatorum suorum vinculis solvitur, et in paradisi possessione reparatur? Bene ergo duo cherubim se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quia sicut jam diximus, quod Testamentum Vetus promisit, hoc Testamentum Novum exhibuit; et quod illud occulte annuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia igitur Testamenti Novi est Vetus Testamentum, et expositio Testamenti Veteris est Novum Testamentum.

(834) Hæc præcedant superiora.

(835) Hæc sunt apud Gregor. ante hæc verba Ezech. : *per quatuor partes earum ibant.* De binario vide alia c. 2 supra citati operis Clichtovei, et Adrian. Turneb. in poem. de Binario.

## 624 CAPUT III.

DE TERNARIO.

In Scriptura sacra ternarii nomine, aliquando tres speciales intelliguntur virtutes, fides, spes, charitas; aliquando fides sanctæ Trinitatis; aliquando tria peccati genera, operationis videlicet, locutionis, et cogitationis : aliquando tria vitæ præsentis tempora designantur.

(836) Ternarii nomine tres speciales virtutes designantur, sicut de Job dicitur : *Nati sunt ei septem filii, et tres filiæ* (Job I, 2). Septem quippe nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis sancti Spiritus in nobis septem virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem dinamærat, cum Spiritus mentem fecundat dicens : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Isa. XI, 2). Cum ergo per adventum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini in animo unicuique nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amor æternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filii, tres sorores suas, quia nimirum quiddam virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei charitatisque conjungunt. Neque enim ad ternarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt.

C Ternarii nomine fides sanctæ Trinitatis designatur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur : **625** Porro thalami ad viam orientalem portæ tres hinc, et tres inde (Ezech. XI). (837) Via etenim nobis ipse est qui dixit : *Ego sum via, veritas et vita.* Ipse etiam via est orientalis de quo scriptum est : *Ecce vultus Oriens nomen ejus* (id. VI, 12). Hi autem qui in sancta Ecclesia frumenti amore Dominum videre sciunt, eique jam per desiderium conjunguntur thalami vocantur. Sed quid est quod dicitur tres hinc, et tres inde. Thalami quippe juxta viam orientalem sunt corda ferventia in amore Dei. Et sive hi, qui electi fuerunt in Veteri Testamento, sive hi qui in Testamento Novo secuti sunt, nimirum constat quia omnes ex amore accensi sunt. Neque enim vere Dominum diligenter, si ejusdem Trinitatis quæ Deus est, gratiam non accepissent. (838) Juxta viam ergo orientalem tres hinc, et tres inde sunt thalami, quia dum inter veteres et novos Patres Dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum via orientalis apparuit, qui thalami ad veram speciem ex Trinitatis sunt cognitione decorati. Sin vero ad virtutes electorum eundem numerum referamus, tres sunt virtutes, sine quibus is qui operari jam valet, salvari non potest, videlicet fides,

(836) Ex lib. I in Job, c. XII, 28.

(837) De ternario Clichtov. et Guillelmus abbas Albræripæ, ms. in Biblioth. Victo. nonnulla tradunt.

(838) Ex hom. 16 in Ezech., post initium.

spes, charitas. Et quia eadem spes, fides, et charitas, in antiquis Patribus quæ in novis doctoribus fuit, juxta viam orientalem tres hinc et tres inde thalami describuntur.

(839) Ternarii nomine tria vitæ peccati genera, operationis videlicet, locutionis et cogitationis, designantur, et nuntius beato Job dixisse perhibetur: *Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos; nec non et pueros percusserunt gladio; et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi (Job 1, 17).* Per camelos quippe qui mundum aliquid habent, dum ruminant, et immundum, dum nequaquam ungulam findunt, bonæ rerum temporalium dispensationes intelliguntur. (840) Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum dispensationum studia modo illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare, ut, dum ad ministrandum se mens exterius efficaciter extendere nititur, a sui consideratione separetur; et eo damna quæ de semetipsa patitur nesciat, **626** quo erga aliena fortiori studio quam decet elaborat. Recta autem mens cum curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat, attendit; et nec per alienæ sollicitudinis immoderationem sua studia negligit, nec per suæ utilitatis vigilantiam aliena postponit. Sed tamen plerumque dum ad utraque mens solerter invigilat, dum magnis erga se et ea quæ sibi commissa sunt circumspeditionibus vacat, repentino turbata enjubilat causæ emergentis articulo, ita in præceptis rapitur, ut ab ea subito cunctæ circumspeditiones ejus obruantur. Unde et custodes camelorum pueros Chaldæi gladio feriunt, sed tamen unus redit, quia inter hæc discretionis ratio mentis nostræ oculis occurrit et sollicita sibimet anima, quid subito impulsu tentationis intrinsecus amittat intelligit.

(841) Ternarii nomen tria vitæ præsentis tempora videlicet ante legem, sub lege, sub gratia designat, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in ea et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio (Luc. XIII, 7).* Quid enim arbor fici nisi humanam naturam signat? Quæ bene quidem plantata est sicut ficus, sed in culpam propriam sponte lapsa fructum non servat operationis. Ad peccatum quippe ex voluntate corrucens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non persistit quod plantata fuerat servare contempsit. Tertio autem Dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani, ante legem, sub lege, sub gratia exspectando, admonendo, visitan-

do requisivit. Dixit autem ad cultorem vineæ: *Ecce anni tres sunt ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, et non invenio.* Venit namque ante legem, quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam; quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed in tribus annis fructum se non invenisse **627** conqueritur, quia quorundam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt nec incarnationis ejus miracula convertunt.

#### CAPUT IV.

##### DE QUATERNARIO.

*In Scriptura sacra quaternario numero, aliquando quatuor evangelistæ, aliquando evangelistarum dicta, aliquando principales virtutes, aliquando quatuor Evangelia, aliquando quatuor mundi partes intelliguntur.*

(842) Quaternarii nomine quatuor Evangelistæ intelliguntur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium (Ezech. 1, 5); et post pauca: Similitudo autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor (ibid. xli, 19).* Require in capitulo de leone, lib. III, cap. 17, dist. 2.

Quaternarii nomine quatuor Evangelistarum dicta intelliguntur. Require in capitulo de columnis, lib. XII, cap. 16, dist. 3.

Quaternario numero quatuor principales virtutes designantur, ut videre est lib. I, cap. 13, distinct. 2.

(843) Quaternario numero quatuor Evangelia designantur, sicut voce Dominica ad Moysen dicitur: *Facies quatuor circulos aureos, quos ponas per quatuor arcæ angulos: duo circuli sunt in latere uno, et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis Sethim, et operies eos auro; inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut **628** portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis (Exod. xxv, 12-15).* (844) Quid namque per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adijungi, quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectes quoque de lignis Sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inserantur, quia fortes perseverantesque doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrarum librorum semper inhærentes sanctæ Ecclesiæ unitate denuntiant, et quasi intronissi circulis arcam portant. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam

(839) Ex lib. II in Job c. xxv, 35.

(840) Hæc sunt post superiora periodis aliquot dissita.

(841) Ex hom. 31, in Evang.

(842) De quaternario vide iterum Jodoc. Clithov.

c. 4 de mystica muner. signific. et Guillel. abbat. m. Alheripæ.

(843) Gregor. autem ex vers. proximo repetit verbum *facie*.

(844) Ex II part. Pastoral., c. 11.

vita splendore fulgescant. De quibus apte subditur: *A Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quia nimirum necesse est ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacrae lectionis studio nunquam recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubetur, ut, cum portari arcam oportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur, quia videlicet, cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes semper inhæreant, ut doctores semper in cordibus suis eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, et quidquid necesse est protinus doceant. Unde primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admonet, dicens: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti de ea quæ in nobis est spe* (*I Petr. III, 15*). Ac si aperte dicat: *Ut ad portandum arcam nulla mora præpediat, vectes a circulis nunquam recedant.*

(845) Quaternario numero quatuor mundi partes, scilicet oriens, occidens, meridies et septentrio intelliguntur.

## 629 CAPUT V.

### DE SENARIO.

*In Scriptura sacra senario numero, aliquando perfectio rei, de qua agitur, aliquando activæ vitæ perfectio, aliquando sex sæculi hujus ætates signantur.*

(846) Senario numero perfectio rei qua agitur intelligitur: *Unde et beato Job in restitutione rerum amissarum pro tribus millibus camelorum, reddita sunt ei sex millia camelorum* (*Job XLII, 12*). Senarius namque numerus apud sæcularem scientiam idcirco perfectus est, quia primus innumeris completur partibus suis, id est sexta sui parte et tertia et dimidia, quo unum et duo et tria sunt quæ in summam ducta sex fiunt. Nec enim alius ante senarium reperitur, qui suis partibus dum dividit, tota ejus summa compleatur. Sed hoc quod per Scripturæ sacrae celsitudinem transcendimus, ibi senarium, unde perfectus sit invenimus. Senarius quippe numerus in Scriptura sacra perfectus est, quia in mundi origine Dominus ea quæ primo die cœpit, sexto die opera complevit. (847) Millenarius autem numerus in sacro eloquio perfectus dicitur, quia appellatione ejus universitas rei, de qua agitur, designatur. Camelorum vero nomine eos accipimus, qui cæterorum mala transeunt exuberantium tortuosa mole vitiorum. Beatus ergo Job sex millia camelorum recepit, quia sancta Ecclesia plenitudinem operis accepit in eorum conversione, qui ab illa dudum vitiorum suorum feditate perierunt.

Senario numero activæ vitæ perfectio designatur, sicut ad Moysen dicitur: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis. Cum 630 quali veste intraverit, cum tali exeat: Si habens uxorem, et uxor egredietur simul. Sin au-*

(845) Hic auctor lectorem mittebat ad c. 20, l. v, sed nihil occurrit ad rem.

(846) Ex l. xxxv in Job c. xi, in fine 19.

*tem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios, et filias, mulier et liberi erunt domini sui, ipse vero exhibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus: Dilego dominum, et uxorem ac liberos: non egrediar liber, offerat eum dominus diis et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæcula* (*Exod. XXI, 2-6*). (848) Hebræus transiens interpretatur. Et servus Hebræus emittitur, quando unusquisque, qui jam ab hoc sæculo mente transit, servitio omnipotentis Dei subditur. Ille etenim vere Deo servire appetit qui ab hoc sæculo transire didicerit: Sic Moyses transit, ut videret visum (*Exod. III*); sic David cum videret impium exaltatum et elevatum super cedros Libani, transivit, et ecce non erat (*Psal. XXXVI, 35*). Quia iniquorum potentias esse magnum aliquid fortasse credimus, nisi permanens sæculum mente transeamus. Servus vero Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum nisi activæ vitæ perfectio designatur? Quid enim per septenarium nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, et septimo egreditur liber, quia per activam vitam quam perfecte exhibuerit, ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia hi postquam omnia fecerint dicunt se inutiles servos: eisque procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. Cum quali veste intraverit cum tali exeat, quia omnino necesse est, ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit, perseveret usque ad finem operis, in eamquam inchoavit intentione perduret. Illè quippe ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suæ vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli qui priusquam omnipotentis Dei servitio in sancta conversatione socientur jam bona operari diligunt. Sunt vero alii qui bona opera priusquam ad servitium omnipotentis Dei venerunt, discunt. Qui ergo operationem bonam priusquam ad Dei servitium veniret, habere studuit, Hebræus servus cum uxore est emptus. Et plerumque is qui talis est, potest ad contemplativam vitam

631 transire, et tamen activam vitam non desere. Unde et illic subditur: *Si habens uxorem et uxor egredietur simul.* Cum eo enim ad libertatem et uxor egreditur, quando is qui ad contemplationem pervenit, etiam foris actionem boni operis, qua prodesse possit aliis non relinquit. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et peperit ei filios, et filias; mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exhibit cum vestitu suo. Servo empto dominus dat uxorem, cum prædicator quisque eum quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonæ actioni conjungit. Nam et prædicatores, domini vocantur, sicut Eliseo prophetæ de prædicatore suo dicitur: *Scis quod dominus tuus tollatur a te* (*IV Reg. II, 5*) (849).

(847) Hæc longius a superioribus sunt.

(848) Ex hom. 3 in Ezech.

(849) In Vulg. arctius oratio hæc offertur.



Uxor vero servi emptitii filios et filias parit, A quando bona actio fortes, vel teneros fructus generat. Sed mulier quæ a domino data est, eidem domino cum filiis remanet, ipse vero servus exit cum vestitu suo, quia bona actio, vel ejusdem bonæ actionis fructus prædicatoris mercede reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. Quod si dixerit servus; diligo dominum meum, et uxores ac liberos, non egrediar liber. Servus dominum suum diligit, quando prædicatoris verba sollicita mente custodit. Uxorem quoque amans et liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructus diligens transire ad contemplativam non vult, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem recusat secedere. Sed offerat eum dominus diis, et applicetur ad ostium et postes, et perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in sæculum. Is enim qui in activa disposuit vita perdurare, a Domino diis offertur, quando a prædicatore suo antiquorum Patrum dictis imbuatur, qui nobis in via omnipotentis Dei sacerdotis fuerunt, atque ad ostium, et postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu celestis habitaculi alterius aliquid audiat, et tremendi iudicii diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera, quæ facit, placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur, ut verbi Dei acumine **632** transfixa per omne, quod agit, noverit ingressum regni semper attendere et quasi ab ostio et poste tabernaculi perforatam aurem portare. Qui erit ei servus in sæculo, ut esse post sæculum liber possit. In sæculo enim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post præsens sæculum ad libertatem veram valeat pervenire, de qua per Paulum dicitur: *Quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei (Rom. viii, 21)*. Tunc etenim nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed ipsa quoque contemplatio, quia super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in ænigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit contemplationis angustia, activa vita jam valde est latior atque sublimior, quæ ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed æterna.

(850) Scenariorum numero sex sæculi hujus ætates designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur: *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respiciebat ad aquilonem et uniuscujusque vas interius in manu ejus (Exod. xxxvi, 25)*. Repetel. lib. III, cap. 2, dist. 5.

(850) De scenariis ibidem Clithov., et Guillel. abb. Alþeripæ, c. 4.

(851) Ex lib. xxxv in Job, cap. 7 ante medium, et

## CAPUT VI.

## DE SEPTENARIO.

*In Scriptura sacra septenario numero, aliquando summa perfectionis, aliquando secutura requies, aliquando universitas temporalitatis, aliquando sanctæ Ecclesiæ universitas, aliquando plenitudo operationis spiritus septiformis intelligitur, aliquando septem virtutes.*

**633** (851) Septenario numero perfectionis summa designatur, sicut de beato Job dicitur: *Natiq̄ sunt et septem filii et tres filiæ (Job 1, 2)*. Septenarius quippe numerus apud sapientes hujus sæculi quadam sua habetur ratione perfectus, quia ex primo pari et ex primo impari consummatur: ex primo qui dividi potest, et ex primo qui dividi non potest.

B Primus enim par quaternarius est, primusque impar ternarius, ex quibus duobus septenarius constat; qui eisdem suis partibus multiplicatus in duodenarium surgit. Nam sive tres per quatuor sive quatuor per tres ducimus, ad duodenarium pervenimus. Sed nos qui superna veritatis prædicamenta percipimus, hæc fixa sententiæ altitudine despiciendo calcamus. Hoc procul dubio inconcussa fide retinentes, quia quos spiritus gratiæ septiformis repleverit, perficit eis non solum Trinitatis notitiam; sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atque justitiæ operationem præbet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur, is quodammodo partibus augetur, dum et per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur; et per operationem virtutum quatuor, usque ad manifestam Trinitatis speciem pervenitur. Et apud nos ergo est septenarius, sed longe dissimiliter, quia plene et nominanter in duodenarium surgit, dum et per fidem opera, et rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque apostoli gratia septiformis spiritus implendi duodecim sunt electi, in quatuor enim mundi partibus Trinitatem quæ est Deus innotescere mittebantur. Duodecim ergo sunt electi, ut etiam ex ipsius numerationis causa claresceret quod per quatuor infima, tria summa prædicarent. Sive itaque hac vel alia qualibet ratione, certissime tamen scimus, quod Scriptura sacra septenarium numerum pro perfectione ponere consuevit. Nati sunt ergo beato

C Job septem filii ad prædicandum, scilicet viriliter iucentes apostoli, qui, dum perfectionis præcepta peragunt, quasi superioris sexus fortitudinem in conversatione tenuerunt.

**634** (852) Septenario numero secutura requies æternitatis invenitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vacatur cui jam vespera inesse non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur, hinc est etiam quod lege data dies septimus feriatus esse præcipitur, ut æterna per illum requies designetur. Hinc est quod in annorum

l. 1, c. 6, 12 carptim.

(852) Ex l. xxxv in Job, c. 7, 6.

curriculo septenarius numerus septies multiplicatus a pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (Isa. xi, 2, 3) (856). Cum ergo per adventum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia pietas ac timor Domini in animo uniuscujusque nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amori æternitatis sociat; sed habent in nobis septem filii tres procul dubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei et charitati conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt.

## CAPUT VII.

## DE OCTONARIO.

(853) Septenario numero hæc universitas temporalitatis accipitur. Hinc est enim quod per septem dies hoc totum vitæ præsentis tempus evolvitur. Hinc est quod in typo sanctæ Ecclesiæ quæ omni tempore mundum prædicando circuit, arca Domini tubis clangentibus muros Jericho diebus septem circumacta confregit (Josue vi, 4). Hinc Propheta ait: *Septies in die laudem dixi tibi* (Psal. cxviii, 164). Quod ipse rursus pro toto atque universo suæ deprecationis tempore se dixisse significans ait: *Semper laus ejus in ore meo* (Psal. xxxiii, 2). Quod vero per septenarium numerum præsentis vitæ universitas designatur, tunc magis ostenditur cum post eum quoque etiam octonarius subinfertur. Septenarium quippe cum adhuc alius sequitur, ex ipso ejus argumento exprimitur quod finienda temporaliter æternitate concludatur.

Septenario numero sanctæ Ecclesiæ universitas designatur. Unde Joannes in Apocalypsi: *Septem Ecclesiis scribit* (Apoc. i, 4); sed per eas quid aliud quam universalem intelligi Ecclesiam voluit? Quæ nimirum universalis Ecclesia ut plena septiformis gratiæ spiritu signaretur, Eliseus super puerum mortuum septies oscitasse describitur (IV Reg. iv). Super extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat qui ei dona Spiritus septiformis gratiæ misericorditer aspirat.

**635** Septenario numero plenitudine operationis spiritus septiformis intelligitur, sicut per Zachariam prophetam de Redemptore nostro sub figura lapidis dicitur: Super lapidem unum septem oculi sunt. Require in cap. de Pleiadibus, lib. i, c. 9, dist. 2.

(854) Septenario numero septem virtutes intelliguntur, quæ in cordibus fidelium operante Spiritu sancto oriuntur, videlicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini (855). Unde et hoc quod prædiximus de filiis Job potest quoque moraliter, non inconvenienter intelligi, scilicet nati sunt ei septem filii et tres filiæ. Septem quippe nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem propheta dinumerat, cum spiritus mentem fecundat, dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et*

(853) Ex eodem lib. et cap.  
 (854) His si lubet junge Clictov.  
 (855) Guill. abb. Albæripæ, c. 8. et Clict. cap. 7 et 8.  
 (856) Ex lib. i in Job, c. 11, 28.  
 (857) Adde Guill. abb. Albæripæ c. 9 et Clictov.,

*pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Isa. xi, 2, 3) (856). Cum ergo per adventum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia pietas ac timor Domini in animo uniuscujusque nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amori æternitatis sociat; sed habent in nobis septem filii tres procul dubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei et charitati conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt.

## CAPUT VII.

## DE OCTONARIO.

(857) Octonario numero, dies æterni judicii, et carnis resurrectio designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitis* (Ezech. xl, 9). Ac ne hoc vestibulum extra portam esse crederemus, subditur: *vestibulum autem portæ erat intrinsecus*. Quid **636** ergo interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo signatur, quæ modo inter angustias vitæ præsentis jam spe mente concipitur? De qua per Psalmistam dicitur: *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum* (Psal. xcix, 1). (858) Cum enim peccata nostra per lacrymas conflentur, angustæ vitæ portam ingredimur. (859) Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum lætitiæ æternæ solemnitatis nos assumpserit. Propter confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (Matth. vii, 13). Et cum se Psalmista recipere in latitudine æterna gaudia præsumpserat, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (Psal. xxx, 9). Ad atrium ergo per portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis, illaque gaudia, quæ apud David atria, apud Ezechielem vestibulum interius vocantur. Unde et hoc ipsum vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum. Ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc in exercitio operis laborant, et ad æterna gaudia per contemplationis gratiam suspirant. Nec immerito mensura vestibuli in octo cubitis ponitur, quia septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est. Octo itaque cubitis vestibulum mensuratur intrinsecus, quia per lucem quæ post septem dies sequitur latitudo nobis æternitatis aperitur.

## CAPUT VIII.

## DE NOVENARIO.

(860) Novenario numero novem angelorum or-  
 c. 7.  
 (858) Ex initio homel. 16 in Ezech  
 (859) Sic autem legit Aug. in Psal  
 (860) Vide Guill. abba Albæripæ, cap. 10, et Clictov., cap. 8.

dines designantur, sicut propheta de antiqui hostis A ruina loquens, et conditiones ejus celsitudinem et primatus ejus potentiam insinuans, post alia dicit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum ; sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus (Ezech. xxviii, 13)*. Novem dixit genera lapidum **637** nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per ipsa sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim atque seraphim aperta narratione memorantur superborum civium ; quantæ sint distinctiones supernorum civium ostenditur (861). Quibus tamen

antiquus hostis opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.

## CAPUT IX.

## DE DENARIO.

(862) Denario numero angelorum et hominum natura designatur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter domem inveniat ? (Luc. xv, 8)*

## INCIPIT LIBER DECIMUS SEXTUS.

**638** CAPUT PRIMUM.

## DE VASIS.

*In Scriptura sacra cum vas singulariter ponitur, aliquando prædicator sanctus, aliquando indisciplinatus quilibet, aliquando intelligentiæ nostræ capacitas designatur. Cum pluraliter vasa dicuntur, aliquando sancti Patres, aliquando animæ fidelium populorum, aliquando conscientiæ nostræ intelliguntur.*

(863) Vasis nomine prædicator sanctus intelligitur sicut in Actibus apostolorum voce Dominica ad Ananiam de Paulo converso dicitur : *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel (Act. ix, 15)*.

Vasis nomine disciplinatus quilibet intelligitur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Vas quod non habebit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit (Num. xix, 14)*. **639** (864) Tegmen namque operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non premitur, quasi immundum pollutumque reprobat. Quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens nullo velamine taciturnitatis operitur.

(865) Vasis nomine capacitas intelligentiæ nostræ intelligitur sicut per Moysen in ædificatione tabernaculi dicitur : *Quidquid in cultum et ad vectes necessarium erat viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, et inaures, annulos et dextralia. Omne vas aureum in donaria Domini separatam est. Si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccumque bis tinctum, byssum, et pilos caprarum (Exod. xxxv, 22)*. In ornamento quippe tabernaculi viri cum mulieribus dona offerunt, quia in explendo cultu sanctæ Ecclesiæ et fortium facta sublimia, et infirmorum

B opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quæ lacertos astringunt, nisi præpositorum valide laborantium opera demonstrantur? Et quid per inaures, nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos, nisi signaculum secretorum accipitur? Plerumque enim magistri signant, quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia, nisi primæ operationis ornamenta monstratur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatam, nisi Divinitatis intelligentia accipitur? quæ tanto ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola, quæ æterna sunt amanda sublevatur. Quid per hyacinthum, nisi spes cœlestium? Quid per purpuram, nisi cruor ac tolerantia passionum, amore regni perpetui exhibita intelligitur? Et quid per bis tinctum coccum, nisi charitas demonstratur, quæ perfectione bis tingitur, quia Dei et proximi dilectione decoratur? Quid per byssum, nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum ex quibus ciliciorum asperitas textitur, nisi dura pœnitentium afflictio designatur? Dum igitur alii per armillas et annulos forte magisterium exercent, alii per inaures et dextralia, devotam obedientiam rectamque operationem exhibent, alii per separatam vas aureum, præclaram subtilioremque **640** Dei intelligentiam tenent : alii per hyacinthum, purpuram et coccum, audita cœlestia sperare, credere, amare non desinunt, etiam quæ adhuc subtiliori intellectu minime cognoscit : Alii per byssum incorruptionem carnis offerunt, alii per pilos caprarum deplorant asperam, quod libenter commiserunt : quasi ex imo et pari obsequio facta fidelium disparia procedunt.

(866) Vasorum nomine sancti Patres designantur,

(861) Præter hæc lege Guillel. Albari panum.

(862) Hic lector mittebatur ad lib. iv, sed nihil ad propositum videat; tamen lect. hom. 34 in Evang.

(863) Lib. xii in Job, c. xii, 11, sed Gregor. hic

expresse non interpretatur.

(864) Ex l. xiiii in Job, c. v. 9.

(865) Ex l. xxx in Job, c. vi, 10.

(866) Ex l. xviii in Job, c. xxvii, 23 carptim.

sicut per Job de sapientia dicitur : *Non commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia* (Job xxviii, 18). Excelsa quippe et eminentia vasa auri priores Patres fuere ; sed Dei sapientia, ut a carnali nos conversatione redimeret, apparuit in carne, et qui illam veraciter non agnovit, mediatorem Dei et hominum hominem Christum, Jesum esse unum ex prophetis putavit ; quem electorum oculi fide tenuerunt Deum, cum viderent hominem, unde ab eo sanctis discipulis dicitur : *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* (Matth. xvi, 28.) Cui cum protinus responderent : *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis* (ibid. viii, 28), de suo mox sensu requiruntur : *Vos autem quem me esse dicitis* (ibid.) ? cui protinus Petrus totius Ecclesiæ voce respondens ait : *Tu es Christus Filius Dei viri* (ibid. xvi, 18). Quia igitur juxta Pauli vocem, *Christum novimus Dei virtutem, et Dei sapientiam* (I Cor. i, 24). Petrus pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia commutare noluit, quia de illa non aliud quam erat intellexit. Magnum quippe vas auri Joannes ; magnum vas auri Elias, vel Jeremias existit. Sed quisquis eundem Dominum quemlibet eorum esse crediderit, vas auri excelsum atque eminentis pro sapientia commutavit. Ecclesia vero pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia non commutat, quia Christum Dei Filium non unum esse prophetarum, sed unum prophetarum Dominum credit.

(867) Vasorum nomine designantur fidelium populorum animæ, sicut per Moysen de Levitis dicitur : *Ut ab anno vicesimo quinto tabernaculo serviant, sed a quinquagesimo custodes vasorum fiant* (Num. viii, 41). Quid enim per annum quintum ac vicesimum, in quo flos juventutis **641** oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur ? Et quid per quinquagesimum, in quo et jubilæ requies continetur, nisi interna quies edomito bello mentis exprimitur ? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur ? Levitæ ergo ab anno vicesimo quinto tabernaculo serviant, et a quinquagesimo custodes vasorum fiant, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensus delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur. Sed quis hæc tentationum prælia sibi perfecte subiciat, cum Paulus dicat : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati?* (Rom. vii, 23.) Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In istis exercetur virtus ne extolli debeat, in illis omnino extinguitur, ne subsistat. Qui igitur scit fortiter tentationem ferre certaminis, et cum tentatione concutitur, in alta arce præsidet quietis, quia etiam apud semetipsum sub se ipso esse con-

attentiones vitiorum conspiciunt, quibus nulla fractus delectatione consentit. De his tunc vasis per prophetam dicitur : *Mundamini qui fertis vasa Domini* (Isa. lvi, 11). (868) Domini enim vasa ferunt qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsonis portant.

(869) Vasorum nomine conscientia nostræ designantur, sicut Veritatis voce dicitur : *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ : Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumperunt oleum secum, prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* (Matth. xxv, 1-5). Quærendum prius est quid sit regnum cælorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes et fatuæ dicantur. Cum enim regnum cælorum **642** constet, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile perhibetur ? Sed sciendum est quod sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, de quo alio loco dicit Dominus : *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala* (Matth. xiii, 41). Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt quæ colligantur. Quid itaque per hanc sententiam regnum cælorum nisi præsens Ecclesia intelligitur ? In quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit, geminatus vero quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis denuntiatur ; in qua quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admisti sunt, recte simile virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, et spe ad interiora rapiuntur, carnem macebant, et toto desiderio ab supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt ; sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt ; sed de ipsa abstinentia favores humanos expetunt, doctrinæ inserviunt, indigentibus multa largiuntur. Sed fatuæ profecto virgines sunt, quia solam laudis transitoria retributionem quærunt. Unde apte dicitur : *Quinque fatuæ non sumperunt oleum secum, prudentes autem acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus*. Per oleum quippe nitor gloriæ designatur. Vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait :

(867) Ex lib. xxviii Job c. vi, 12.

(868) Hæc sunt ex ii part. Pastor. c. 2.

(869) Ex hom. 12 in Evang.

*Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (II Cor. I, 14).* Fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt.

Item vasorum nomine corpora nostra signantur, sicut per Paulum dicitur : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor. IV, 7).*

### 643 CAPUT II

#### DE ARCA.

(870) Arcæ nomine Redemptor noster intelligitur, sicut in lege scriptum est, ubi altare aureum ante arcam fieri præcipitur (*Exod. XL, 5*). Duo quippe altaria in tabernaculo per legem fieri jubentur : unum videlicet exterius, aliud interius ; unum in atrio, aliud ante arcam ; unum quod ære coopertum est, aliud quod auro vestitur. Atque in altari æreo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata. Quid est hoc fratres charissimi, quod foris concremantur carnes, intus aromata, nisi hoc quod quotidie videmus, quia duo sunt compositionis genera ? quia scilicet alii adhuc per timorem plangunt, alii vero per amorem se in lamentis afficiunt. Alia quippe compunctio est quod per timorem nascitur, alia quod per amorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud est præmia desiderare. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt, plangunt mala quæ fecerunt, et incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur. Quid isti nisi altare sunt æreum, in quo carnes ardent ? quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur. Alii autem a carnalibus vitiis liberi, aut longis jam fletibus securi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciunt, supernis jam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus, longitudo peregrinationis suæ : regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant. Quid isti, nisi altare sunt aureum in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent. Bene autem de eodem altari dicitur, quod ante velum arcæ sit positum in Sancta sanctorum ? Arca quippe testamenti ipse nobis factus est de quo scriptum esse novimus : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi (Coloss. II, 3)*. Arca intra velum est, Redemptor noster in cœlo, Altare vero aureum in quo thymiama incenditur **644** ante velum est quia sanctorum corda cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe et altare velum est, quia hoc quod nos adhuc a visione Dei separat, corruptionis nostræ obstaculum remotum non est. Sed quousque ante velum sumus oportet, ut quasi thymiama incensum flamma amoris ardeamus : per compunctionis

(870) Ex homel. ult. in Ezech., ante finem.

A autem lacrymas nil terrenum, nil transitorium quærere debemus. Solus nobis desiderium perficit, qui fecit omnia. Transeamus per desiderium omnia, ut mente colligamur in unum : non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.

(871) Arcæ nomine præsens Ecclesia designatur, sicut ad Noe voce Dominica dicitur : *Facies tibi arcam de lignis levigatis : trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo ejus, et triginta cubitorum altitudo. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus. (Genes. VI, 14-15)*. Quid enim per arcam nisi sancta Ecclesia figuratur, quæ interius ampla est, superius angusta ? Quæ a trecentis et sexaginta ac triginta cubitis ad unum cubitum colligitur quia latitudinem quam sancta Ecclesia in membris suis adhuc infirmantibus habet, paulisper angustata et in altum proficiens ad unum tendit. Ipsa enim ratio exigit, ut credamus quod in illa arcæ latitudine, omnes bestię, cuncta quadrupedia, atque reptilia in inferioribus fuerunt, homo atque volatilia nimirum in superioribus. Juxta superiorem etenim partem fenestra fuit in latere, de qua corvum vel columbam dimisit homo, ut si jam diluvii transisset aqua cognosceret ; et quia arca eadem in uno fuit cubito consummata, homo et volatilia juxta cubitum fuerunt. Recte itaque per arcam universa Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritalibus angusta. Quæ quia ad unum hominem, qui est siue peccatis, colligitur, quasi in uno cubito consummatur ; videmus etenim multos intra ejusdem Ecclesiæ **645** sinum in superbiam erigi, in carnis voluptate dissolvi, acquiritendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritiæ mare transire, deservire iracundiæ, jurgiis vacare, proximos, quos prævalent, lædere. Sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat ut convertat, quasi in arcæ latitudine deorsum bestię morantur. Videmus alios jam aliena non quærere, illatas injurias æquanimiter portare, rebus propriis esse contentos, humiliter vivere, sed quia isti jam pauci sunt angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis judicio premere, per cœleste desiderium contemplationis penna sublevari. Sed quia tales quique valde rari sunt, in arca juxta cubitum ducuntur, ubi homines et volatilia continentur. Quæratur tamen si quis esse valeat sine peccato, et nullus invenitur. Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccato natus est ; in imo ergo cubito consummatur arca, quia unus est auctor, et Redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato ad quem omnes proficiunt qui se esse peccatores noverunt.

(871) Ex hom. 16, in Ezech., post. med.

CAPUT III.  
DE CALICE.

(872-73) Calicis nomine dolor passionis intelligitur, sicut in Evangelio filiis Zebedæi Dominica voce dicitur : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* (Matth. xx, 22; Marc. x, 39.) Duo quippe sunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente simul et actione. Mori namque a persequente martyrium in aperto opere est : Ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur Veritas quæ filios Zebedæi, sicut prædiximus requirit dicens : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Cui cum protinus responderent : *Possumus*, illico Dominus respondit, dicens : *Calicem quidem meum bibetis* (Matth. xx, 23). Quid enim per calicem nisi dolorem **646** passionis accipimus : De quo et alias dicit : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. xxvi, 38). Et Zebedæi filii, id est Jacobus et Joannes, non uterque per martyrium occubuit; et tamen quod uterque calicem biberet, audivit; Joannes namque nequaquam per martyrium vitam sinit, sed tamen martyr existit, quia passionem quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse martyres possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.

CAPUT IV.

DE LAMPADE.

In Scriptura sacra lampadis nomine, aliquando Christus, aliquando sancti illi qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per boni operis exemplum lucent, aliquando opera nostra designantur.

(874) Lampadis nomine, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur, sicut per Job dicitur : *Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum* (Job xii, 4). Ipse enim nobis lampas veraciter existit, qui pro redemptione nostrâ in cruce moriens, tenebrosos nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hæc nos lampade Joannes illuminari conspexerat, cum dicebat : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9). Quam tamen apud cogitationes divitum contemptam videt, cum paulo post subjungit : *In propria venit, et sui se non receperunt* (ibid., 11). Hujus lampadis flammam Herodes explorare voluit, cum miracula videre concupivit, sicut scriptum est : *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, et sperabat signum* **647** *aliquod ab illo videre fieri* (Luc. xxiii, 8). Sed lampas hæc ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei, qui se non pie sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos ad exteriora

A comperit ingratos, foras reliquit, magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Unde et protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illudit indutum veste alba* (ibid., 11). Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cælo lucidius per judicium coruscat; unde hic apte subditur : *Parata ad tempus statutum*. De quo videlicet tempore Psalmista dicit : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* (Psal. lxxiv, 3). Hinc in Evangelio per semetipsum Veritas denuntiat dicens : *Tempus meum nondum venit* (Joan. vii, 6). Hinc Petrus ait : *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus restitutionis* (Act. iii, 21). Lampas ergo quæ nunc contemnitur ad statutum tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die ultima judicat, qui nunc peccantium irrisiones portat, et tanto tunc durius distractionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam lenius patientiam sternit. Qui enim diu convertendos expectat, non conversos sine retractatione cruciat. Quod per prophetam scilicet breviter insinuat, dicens : *Tacui, semper situi, patiens fui, sicut parturiens loquar* (Isa. xlii, 14). Parturiens enim cum dolore ejicit, hoc quod in intus tempore longo gestavit. Qui ergo semper siluit, sicut parturiens loquitur, quia venturus iudex, qui sine ultione diu facta hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis quantæ animadversionis sententiam intus servaverit, ostendit. Nemo igitur hanc lampadem, cum latet despiciat, ne contemptores suos, cum de cælo fulserit, exurat. Cui nunc non ardet ad veniam, tunc procul dubio ardebit ad pœnam.

Lampadum nomine, cum in comparatione carbonum ponuntur, sancti illi designantur qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per boni **648** exempli flammam lucent. Vide lib. ii, cap. 3, dist. 2.

(875) Lampadarum nomine opera nostra designantur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ* (Matth. xxv, 1). Et post pauca : *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornauerunt lampades* (ibid., 7), (876) Require in cap. De vasis, et hoc add.: Notandum vero quod omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent, quia plerumque bona in se opera cum electis et reprobi ostendunt. Sed soli ad sponsum veniunt cum oleo, qui de his quæ foris egerunt intus gloriam quærunt. Unde per Psalmistam de sancta electorum Ecclesia dicitur : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (Psal. xlii, 14). Venientes autem sponso omnes virgines surgunt, quia electi et reprobi a somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant;

(872-73) Ex hom. 35 in Ev. post medium, etc. l. iii Dial., c. 26.

(874) Ex fine lib. x in Job.

(875) Supra cap. 1, dist. 6.

(876) Ex hom. 12 in Evang.

sed lampades fatuarum virginum extinguuntur, quia earum opera, quæ clara hominibus foris apparuerant, in adventu iudicis intus obscurantur, et a Deo retributionem non inveniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes quas amaverunt.

## CAPUT V.

## DE PHIALIS.

(877) Phialarum nomine, cum in comparatione cyathorum ponuntur, larga prædicatio intelligitur: Unde in tabernaculo, jubente Domino, et phialæ et cyathi facti sunt (*Exod. xxv, 29*). Per tabernaculum namque sancta Ecclesia designatur: per phialas vero exuberans, per cyathos parva atque angusta scientia intelligitur. Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat (878). Per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explanare, quæ sentit, non valet; sed quia hoc utcumque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id est in sancta Ecclesia, et phialæ præparentur et cyathi, quia videlicet in doctrina sacri eloquii non solum **649** sunt exhibenda magna et arcana quæ debriant, sed etiam parva ac subtilia quæ quasi per gustum notitiam præstant. Qui ergo per doctrinam sapientiæ ministrare phialis minime potest, in quantum pro divina largitate sufficit, proximis suis boni verbi cyathos dare debet. In quantum se profecisse sentit, etiam alios trahat in via Dei, habere socios desideret, si ad Deum tendit, curet ne ad eum solus veniat. Hinc enim scriptum est: *Qui audit dicat: Veni (Apoc. xxii, 17)*, ut qui jam in corde vocem superni amoris accepit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem, ut indigenti elemosynam porrigat, non habet; sed majus est quod tribuere valeat qui linguam habet. Plus est enim verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morturæ carnis terreno pane satiari.

Phiala persecutionis quoque supplicium signat sicut in Apocalypsi scriptum est: *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni (Apoc. xvi, 1)*. Phialam namque in solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igni, quia dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quippe temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium augmenta præstant perditionibus infirmorum.

## CAPUT VI.

## DE OLLIS.

*In Scriptura sacra cum olla singulariter ponitur, aliquando Synagoga, aliquando quodlibet cor carnale intelligitur: cum vero pluraliter ollæ dicuntur, aliquando carnalia opera designantur.*

**650** (879) Ollæ nomine synagoga specialiter

(877) Ex hom. 6 in Evang., post medium.

(878) Exstat hæc sent. lib. xx in Job, c. 11.

(879) Ex medio hom. 2 in Ezech.

A designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis (Jerem. i, 13)*. Judæorum quippe mens in persecutione sæviens, atque in credulitate malitiæ undas cogitationis volvens, quid aliud quam olla succensa fuit? Cujus facies a facie aquilonis. Aquilonis enim nomine malignus spiritus designatur. Facies ergo ollæ recte a facie aquilonis esse dicitur, quia si se Judæa adverso spiritui per torporem mentis non subderet, contra bonos in tanta malitia non exarsisset.

(880) Ollæ quoque nomine generaliter quodlibet cor carnale intelligitur, unde et hoc quod specialiter de Synagoga diximus, de quolibet perverso accipi potest: *Ollam scilicet succensam ego video, et B faciem ejus a facie aquilonis (Jer. i, 13)*. Olla enim succensa, est cor humanum sæcularium curarum ardoribus, desideriorumque anxietatibus fervens. Ab aquilonis vero facie cordis humani olla succenditur, cum per instigationem adversarii spiritus illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis (Isa. xiv, 13)*, mentem quam semel ceperit, malignis persuasionis suæ flatibus quasi suppositis ignibus accendit, quatenus non contenta presentibus indesinenter per desideria æstuet, ut alia contemnuenda appetat, alia adepta contemnat, ut modo suis compendiis inhiat, modo alienis commodis etiam cura proprio detrimento contradicat, modo carnis illecebris satisfaciatur, modo quasi in quodam culmine per cogitationis superbiam rapta, carnali cura postposita, totam se in typo elationis attollat. Quia ergo cor per varia desideria abducitur, quod instigatione maligni spiritus inflammatur, recte succensæ et ferventi ollæ simile esse perhibetur, quia per tot se fervores afflata ejus tentationibus conscientia erigit, per quot intra se cogitationes intumescit.

Ollarum nomine carnalia opera designantur, sicut de Israelitico populo legitur, quod dum refectionem **651** mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carniæ, pepones et cepas concupivit. Require in cap. de porris vel cepis, lib. xiv, cap. 10.

## CAPUT VII.

## DE AMPHORA.

D Amphoræ nomine avaritiam designat, sicut in Zacharia propheta scriptum est: *Leva oculos tuos, et vide quid est hoc quod egreditur. Et dixi: Quidnam est? Et dixit: Hæc est amphora egrediens (Zach. v, 5, 6)*. Vide lib. iv, cap. 3, dist. 2.

## CAPUT VIII.

## DE UTRÉ.

(881) Utris nomine carnalis cordis cogitatio designatur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur: *Congregans sicut in utre aquas maris (Psal. xxxii, 7)*. Uter quippe est carnalis cordis cogitatio. Per aquas vero maris amaritudo intelligitur perversæ

(880) Ex lib. xviii in Job, cap. xii, 11; et lib. xxxiii cap. xxvii, 40 post medium.

(881) Ex lib. xix in Job, cap. vii, 8.

mentis. Nunc ergo aquæ maris in utre congregatæ sunt, cum amaritudo perversæ mentis non erumpit exterius in vocem pravæ libertatis. Tunc enim sicut per Joannem dicitur, *draco in abyssum clausus teneatur* (*Apoc. x, 2*), quia diabolica malitia in pravorum subdolis cordibus occultatur. Sed, sicut illic scriptum est: *Educatetur draco de puteo abyssi* (*ibid. ix, 2*), quia qui modo præ timore tegitur, tunc contra sanctam Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentium virus aperturus est. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia, et malitia calliditatis quasi quodam se tegit abyssio simulationis. Veniet profecto tempus, quando contra sanctam Ecclesiam perversi carnaliter aperta voce prædicent, quod nunc occulta cogitatione moliuntur. Extremi quippe temporis perse-

cutione crescento apertas hæreticorum voces tolerare compellitur, cum motus cordis sui, quos nunc intra cogitationum sinus contegunt, tunc in voce manifesti erroris aperiunt. De **652** hoc iterum utre per eundem Psalmistam alibi dicitur: *Statuit aquas quasi in utre* (*Psal. lxxvii, 13*). Require in cap. de aquis. Utrum nomine etiam electorum corda signantur, sicut in Evangelio dicitur: *Vinum novum in utres novos* (*Matth. ix, 17*).

## CAPUT IX.

## DE LAGENA.

Lagenarum nomine corpora nostra designantur, sicut in bello Gedeonis significatur: *Cujus socii cum lagenis, et lampadibus, et tubis ad bellum processerunt*. Vide lib. v, cap. 27, dist. 3.

ANNO DOMINI MCLXIX

# VEN. GERHOHUS

## PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS

### DISSERTATIO PRÆVIA

#### DE VITA ET SCRIPTIS GERHOHI

(D. Bernardus Pezius, Proleg. ad Comment. Gerhoi in Psalmos, *Thesaur. Anecdot.*, tom. V. Aug. Vindeh. 1728.)

AD REVERENDISSIMUM, PERILLUSTREM AC AMPLISSIMUM

D. D. HERCULANUM

Celeberrimæ ac florentissimæ in Bajoaria canonicæ Reicherspergensis, ordinis Canon. Regul. S. Augustini præpositum vigilantissimum, etc., etc., sacræ antiquitatis et bonarum litterarum amantissimum.

Novem præterpropter anni sunt, reverendissime, perillustris ac amplissime præsul, cum a me litteris confidenter appellatus, lectissimos octo membraneos codices, quibus luculenta, et viris eruditissimis hactenus perditæ desiderata sanctissimi juxta ac doctissimi sex fere abhinc sæculis antecessoris tui Gerhoi opera inedita continebantur, singulari benignitate humanitateque transmissos meæ fidei et diligentiae committere haudquaquam dedignatus es. Quos quidem mox ut vidimus (ecquis enim tantum triumphum cum quam plurimis rerum gnaris non illico communicet?) non potuimus non e vestigio adeo sapientem, in sacratioribus Musis facilem liberalemque præsulem prolixis in cælum laudibus ferre, eumque toti orbi litterario effuse gratulari, ut qui nobiliora pretiosioraque veteris litteraturæ monumenta et arcaniora insignis bibliothecæ suæ cimelia luci publicæ et usui communi exponenda tam promptè ac alacriter cederet,